

COMMENTARIUS
RINUCCINIANUS

VOL. III


O'FERRALL

&

O'CONNELL

94156

MCMXXXIX



94,56

COMMENTARIUS
RINUCCINIANUS

COMMENTARIUS RINUCCINIANUS

DE SEDIS APOSTOLICAE LEGATIONE
AD FOEDERATOS HIBERNIAE CATHOLICOS
PER ANNOS 1645-1649

FLORENTIAE
OPUS SUSCEPERUNT ATQUE ABSOLVERUNT
PER ANNOS 1661-1666

FR. PATER RICHARDUS (BARNABAS O'FERRALL)
LONGFORDENSIS

FR. PATER ROBERTUS (DANIEL O'CONNELL)
DESMONDENSIS
UTERQUE E PROVINCIA HIBERNICA
ORDINIS MIN. CAPUCCINORUM

NUNC PRIMUM E FONTIBUS TOTUM
EDENDUM CURAT

FR. PATER STANISLAUS (JOANNES KAVANAGH)
EJUSDEM ORDINIS ET PROVINCIAE

DUBLINI: ANNO MCMXXXIX

DUBLIN
PUBLISHED BY THE STATIONERY OFFICE

To be purchased directly from the
GOVERNMENT PUBLICATIONS SALE OFFICE, 3-4, COLLEGE ST., DUBLIN,
or through any Bookseller

Price 30/-

COMMENTARIUS RINUCCINIANUS

DE SEDIS APOSTOLICAE LEGATIONE
AD FOEDERATOS HIBERNIAE CATHOLICOS
PER ANNOS 1645-1649

VOLUMEN TERTIUM
AN. 1648



DUBLINI: ANNO MCMXXXIX



94156



COMMENTARIUS RINUCCINIANUS

SERIES RERUM

VOL. III. AN. 1648.

Paragraphus	Pagina
(1)-(6) Schedula a Nuncio de Oratoribus Romam mittendis Card. Panzirolo scripta 28 Dec. 1647	1
(7)-(22) <i>Instructiones a D. Nuncio datae Episcopo Fernensi et N. Plunketto mense Januario 1648</i>	3
(23)-(27) Litterae credentiales Oratoribus datae	8
(28)-(29) Litterae postulatoriae Suae Sanctitati missae ut Nuncium in Cardinalem indueret	·
(30)-(31) Scripsit Nuncius Romam in Oratorum favorem	11
(32)-(44) <i>Compendium Status Regni anno 1647</i>	12
(45)-(46) Eugenius O Nellus et Ep. Clogherensis Romam P. Bernardum Davetum, Jesuitam, allegarunt	13
(47)-(72) <i>Instructiones</i> Oratoribus in Galliam mittendis datae 18 Junii 1648	16
(73)-(81) <i>Aliquot Propositiones a Clero factae Instructionibus adigendae</i>	17
(82)-(86) Nuncii Iberniae epistola ad Nuncium Galliarum 9 Januarii 1648 scripta. Nuncius persuasum habuit Baronem Digbaeum et Equitem Digbaeum cum aliis consiprasse ad seipsum Ibernia deturbandum. Nuncius pecuniam in Oratorum viaticum mutuavit. Legati 23 Aprilis Romam pervenerunt	23
(87)-(102) <i>Libellus Kenelmi Digbaei ad Pontificem.</i> Fernensis Roma hanc scripturam Anglice et Latine refutavit	24
(103)-(106) Digbaeus sententiam ter mutavit in ipsa causa religionis. Subdit author brevem anatomiam Libelli a Digbaeo sua Sanctitati porrecti	26
(107)-(125) <i>Exemplum, mores et conversatio Nuncii Apostolici apud Iberos, ab Episcopo Fernensi Suae Sanctitati oblata.</i> Idem praesul narrationem Latinam de bello Ibernico composuit	38
(126)-(127) Agentes Regni Iberniae cum P. Daveto a Summo Pontifice 15 Maii recepti sunt. Legati in Gallias missi ex sinu Waterfordiensi mense Februario solverunt	41
(128)-(141) Nuncius sententiam mutavit de Athloniae Castro Vicecomiti Dillon restituendo. Concilium Supremum in Eugenium O Nellum male processit	49
(142)-(145) Waterfordia Nuncius 9 Februarii Regi Catholico rescripsit. Quatuor Mahumetanos baptizavit. Comes Craffortensis Nuncium convenit	50
	53

Paragraphus		Pagina
(146)-(149)	Massarius Roma regressus Duncananiam 13 Martii appulit, Nunciumque offendit. Nuncius 18 Martii Waterfordiam remigravit. Attulit secum Massarius Bullas Episcoporum sex recenter creatorum, quos Nuncius paulo post consecravit	55
(150)-(156)	Nuncius Kilkennia 1 Maii Summo Pontifici scripsit. Massarius litteras Pontificias Prestono et Eugenio O Nello tradidit. De his scripsit Nuncius Kilkennia 4° Maii Card. Panzirolo. Diploma Pontificium Vicecomiti Dillonu nunquam traditum est	57
(157)-(158)	<i>Carmina Anglicana</i> super Tironiae Comitis gladio ad Eugenium misso. P. Lucas Wadingus Romae Ormonistarum fautor habebatur singularis	60
(159)-(161)	Insequinnius et Jonius praesidiis exierunt praedabundi. Insequinnius Carrigiam et Callanam cepit. Eugenius aditu ad Insequinnium interclusit Jonium	61
(162)-(168)	Nuncii litteris Waterfordia 18 Februarii scriptis Concilium 6° Martii respondit. Richardus O Ferallus ad Sligoam obsidemad se accinxit	63
(169)-(170)	Nuncius Duncanaia 12 Martii ad Episcopi Limericensis litteras respondit	65
(171)-(174)	Parlementum Anglicanum anhelavit, monarca et monarchia extincta, intrudere tyrannidem. Hinc magna in Anglia, Scotia atque Ibernia secuta est animorum mutatio	66
(175)-(176)	Jonius, Dubliniae Gubernator, Parlementum sequebatur. Insequinnius a Regiis partibus ad Parlementum transitionem fecit	69
(177)-(184)	Auctor <i>Diarium Concilii</i> et <i>Diarium Nuncii</i> citat. Joannes Barrius Tribunus, Ormonista, cum Insequinnio et Concilio egit de armorum induciis. Insequinnius induciarum <i>conditiones impertinentissimas</i> petuit	70
(185)-(192)	Propositum, a Nuncio 13 Martii approbatum, ut vires Ultonienses in Momoniam moverent Insequinnium debellatura, ad nihilum recidit	73
(193)-(197)	<i>Epistola ab Insequinnii Concilio militari</i> in Angliam missa, et altera <i>epistola</i> 4 Martii ad Parlementi Anglicani Prolocutorem data. Concilium cum Zepherino Barrono ad Nuncium litteras dedit	75
(198)-(203)	<i>Instructiones pro Richardo Everardo in ejus Legationem ad Insequinnium</i>	80
(204)-(216)	Concilium Insequinnio epistolam scripsit de modo quo induciae erant contrahendae. Capita mandatorum Legatis injunctorum	81
(217)-(218)	Ex intercepta Insequinnii epistola Nuncius occultam Ormonistarum et Insequinnii conjurationem adversus se partesque suas exploratum habuit	83
(219)-(228)	<i>Declaratio exercitus Protestantium in Momonia sub Insequinnio</i> mense Aprili edita	84
(229)-(242)	Epiſtolae inter Insequinnium et Concilium missae, et <i>Propositiones ab Insequinnio ad Concilium 4 Aprilis missae</i>	93

Paragraphus	Pagina
(243)-(271) Nuncii litterae Concilio 6 Aprilis scriptae, et Concilii responsum	95
(272)-(300) Nuncius ab induciis abhorrens Concilio 20 Aprilis rescripsit. Concilium Nuncio rationes exposuit	103
(301)-(328) Concilium Supremum duo Momoniae et Lageniae Concilia Provincialia Kilkenniae celebranda indixit in 20 Aprilis, eodemque una convocavit <i>Concilium magnum. Instructiones</i> quae legatis ad Insequinnum destinatis traditae fuerant	111
(329)-(344) <i>Rationes Cleri</i> in armistitium	116
(345)-(361) <i>Responsio Concilii ad superioros Cleri rationes. Ad quatuor Rationum Cleri appendices Responsio</i>	119
(362)-(377) Lageniae et Momoniae Comitia Provincialia et etiam Concilium Magnum consenserunt ut induciae contraherentur	126
(378)-(381) Cleri Congregatio Kilkenniae die 27 Aprilis inducias condemnavit	133
(382)-(393) <i>Exceptio Procerum et Nobilium Provinciae Momoniae adversus Vicecomitem Taaffum</i>	135
(394)-(405) <i>Objectiones Cleri post declarationem. Responsa Concilii ad praedictas Cleri Rationes.</i> Clanricardius nunquam Faederis juramentum suscepit	137
(406)-(413) Clerus Nuncio et aliis quatuor Praelatis ad censuras procedendi protestatem fecit decreto Kilkenniae 2 Maii dato. Taaffus 14 dierum inducias cum Insequinno contraxit, et Concilium tractandi tempus protraxit. Concilium Commissarios ad Insequinnum allegavit	140
(414)-(424) <i>Ulteriores Instructiones Commissariis datae Kilkenniae 9^o Maii 1648.</i>	144
(425)-(441) Nuncius 9 ^o Maii Kilkennia discessit et inter viam Prestono scripsit. Mariamburgum appulsus litteras dedit ad Kilkenniae Praetorem. Discessum nuntiavit Concilio Supremo. Episcopus Clogherensis et DD. Brian et Barron Mariamburgum Concili litteras attulerunt, quibus Nuncius 13 Maii respondit	147
(442)-(450) <i>Conditiones et remedia necessaria ut Cessatio tuta conscientia fieri possit</i>	155
(451)-(457) Felici O Nello cum Eugenio aemulatio intercessit. Nuncius et Eugenius ex intercepta epistola conspiracyem in amborum ruinam didicerunt	158
(458)-(473) Commissarii ad Insequinnum allegati Concilio scripserunt. <i>Ulteriores Instructiones Legatis pro tractanda Cessatione cum Insequinno datae</i>	162
(474)-(491) <i>Conventionis Articuli</i> inter Insequinnum et Commissarios 20 Maii conclusi, et a Concilio Supremo die 22a confirmati	166
(492)-(497) Recensentur Concilii Supremi membra et suffragandi leges. Ormonistae suam in Concilio conditionem potiorem effecerunt	170
(498)-(513) Concilium actum de induciis 22 Maii edidit, Nuncioque misit induciarum contractum et <i>Ad Propositiones D. Nuncii Responsa</i>	174

Paragraphus		Pagina
(514)-(523)	Nuncius die 13 Maii ad Castellum Kilmense se recepit, et die 25a Concilio epistolam scripsit. Concilii propositiones Nuncio et Eugenio non satisfecerunt	179
(524)-(557)	Massarius excommunicationis sententiam 27 Maii Kilkenniae fulminavit. Nuncius cum quatuor episcopis die 27a Censuras publicavit propter rationes in textu prolatas. Datur relatio de P. Olivero Walshaeo, Iberno Franciscano	184
(558)-(565)	Septem Consiliarii cum aliis Ormonistis <i>Appellationem</i> ad Sanctam Sedem 31 Maii interposuerunt. Nuncius et Praelati assistentes <i>Apostolos Refutatorios</i> Kilcolgan 4 Junii concesserunt. Septemdecim episcopi pro Censuris fecerunt, sed octo se alienarunt. Nonnulli Religiosi Ordines inducias approbaunt	210
(566)-(580)	Duo libella in induciantium favorem Kilkenniae edita sunt. In induciantium propugnatores Latine scripserunt Massarius et Bernardus O Leyn. Controversiae decisio pendet a quaestione facti . Examinantur Cleri objections et Concilii responsiones	224
(581)-(614)	Tractatur de potestate eorum qui Censuras fulminarunt, de ipsa delegationis 2 Maii factae substantia, et de forma et modo Censurarum	238
(615)-(627)	Tractatur de potestate eorum qui Censuras fulminarunt, de ipsa delegationis 2 Maii factae substantia, et de forma et modo Censurarum	261
(628)-(651)	Concilium Synodum Nationalem impedivit et Regni theologos 4 Junii Kilkenniam invitavit. Nuncius Romam de Midiensi, Ardaghadensi, et Dromorensi scripsit. Multa Nuncius egerat quae postea expertus est redundasse in suae et causae Catholicae praejudicium	277
(652)-(654)	Nuncius Kilcolganiam progressus est, indeque Athloniam pervenit. <i>Protestatio D. Eugenii O Nelli et copiarum Ultoniensium</i> , 11 Junii, 1648	290
(655)-(672)	Concilium 27 Maii ad Summum Pontificem appellavit. <i>Nuncii et Episcoporum contra hoc edictum Vindicatio</i> , Athloniae 12 Junii. Nuncius prima circa Censuras nuncia Romam 13 Junii direxit	296
(673)-(682)	<i>Rationes ob quas Nuncius aequum duxit procedere ad Excommunicationem</i>	309
(683)-(696)	<i>Gravamina Nuncio a Concilio illata</i> . His adjunxit Nuncius schedulam Romam 16 Junii scriptam. Adduntur nonnulla circa has scripturas	312
(697)-(719)	In Momoniae Provincia ex novem episcopis omnes, exceptis Limericensi et Finiborensi, Nuncio et ejus partibus adhaeserunt	317
(720)-(732)	In Archiepiscopatu Dubliniensi metropolitanus cum Laghienensi et Vicario Apostolico Kildariensi a Censuris steterunt. Fernensis ante ortam hanc tempestatem Romam perrexerat. Ossoriensis ab initio pro Censuris stetit, sed postea sententiam mutavit	327
(733)	In Provincia Ardmachana Primas et ex suffraganeis quatuor ad Nuncii nutum ambulabant. Aliorum trium duo, Midiensis et Dromorensis, ab induciantibus stabant. De tertio, Ardaghadensi, orta est controversia	335

Paragraphus

Pagina

- (734)-(792) In Conacia, Nuncii Censuras Galviae promulgatae sunt. *Quaestiones Galviae Theologis proponendae.* Clerus Galviae atque Atheniae et alibi forsan in diaecesi Tuamensi Censuras palam fecerunt. Nuncius pecunias sibi a Clanricardo mutuo datas solvit. O Nellus et praecipui exercitus officiales epistolam Richardo O Ferallo scripserunt. *Marchionis Clanricardiae declaratio,* Portumnae 10 Junii data. *Protestatio Cleri Tuamensis contra Treugam Inse-quinianam,* 24 Junii. Tuamensis et Aladensis in Censuras insurrexerunt. Elphinensis et Clonfertensis a Nuncio steterunt. Duacensis tunc in Hispania aberat 335
- (793)-(804) Clanricardius literis Nuncio scriptis operam ad partes reconciliandas adhibuit, quam Nuncius flocci fecit. Mense Julio in Iberniam redierunt Oratores in Galliam hoc vere allegati 363
- (805)-(807) Narrantur res gestae in Scotia et Anglia 367
- (808)-(844) Ormonius Parisiis circa suum cum Proregis titulo redditum in Iberniam tractavit. *Propositiones praesentatae Reginae Angliae et Principi Walliae a Legatis Ibernis,* 2 Aprilis. *Suae Majestatis Interrogationes,* 10 Maii 1648. *Responsiones ad Quaestiones* 370
- (845)-(847) P. Crellius, Abbas Niurensis, Parisiis 11 Maii Nuncio scripsit 381
- (848)-(853) Regina Angliae et Walliae Princeps totum cum Oratoribus Ibernis tractatum absolverunt, 13 Maii. Boydus, Scotus, fasciculos Parisiis ad Nuncium in Iberniam transportavit 383
- (854)-(863) Oratores in Galliam destinati, Antrimio excepto, instructiones non observarunt. Fernensis et Plunkettus die 23 Aprilis Romanam pervenerunt. Ostenditur quantum causae Catholicae damnum intulerunt Muscrius et Brounus. Ex calculo subducto nonnulla ponderanda sunt. Nuncius sententiam de Oratoribus Ibernis in Diarium retulera 388
- (864)-(900) Narratur quo pacto Fernensis et Plunkettus legationem Romanam obierunt. "Tres praecipuae rationes, ob quas Faederati expectant subsidia a Sua Sanctitate." "Fructus pecuniae mutuatae a Domino Nuncio." "Articuli in materia Religionis porrecti Suae Sanctitati." De Oratoribus Romanis Panzirolus Nuncio 31 Augusti scripsit. Quaedam in hac schedula ad trutinam revocantur. Oratores Romani 25 insignia ex haereticis reportata Suae Sanctitati praesentarunt 396
- (901)-(920) Liquebat non solum Muscruim et Brounum sed etiam Concilium conspirasse ut Ormonius in Iberniam Prorex destinaretur. P. Paulus King et Bellinus calamis digladiarunt. Nuncius et Clerus perniciosum hujus conspirationis scopum Concilio objecit. Indicantur qui fuerunt ejus authores.

Paragraphus		Pagina
	Perinde fuit Ormonium in Proregem accire et Nuncium Regno ejicere. Clerus operam dedit ut malorum torrentem sisteret .	412
(921)-(961)	Nuncius Synodum Nationalem Galviae in diem Augusti 15 indixit. Concilium Synodi sessionem impedivit, quapropter Nuncius convocationem revocavit. Ad Nuncium allatae sunt nonnullae quaestiones ex parte episcoporum Laghleensis et Ardfeartensis Synodo proponendae circa bonorum ecclesiasticorum dilapidationem	412
(962)-(967)	Concilium Synodum impeditivit ne Clerus induciarum iniquitatem populo ostenderet. Concilium aliquie laici, Ormonistae omnes, juramentum ab omnibus suscipiendum formaverunt, 27 Junii. Illi juramento nisi Ormonii studiosus subscriptis nemo. Commissarii a Concilio constituti sunt ad ministrandum juramentum	430
(968)-(978)	<i>Instructiones datae Commissariis constitutis ad ministrandum Juramentum in civitate et diaecesi Limericensi, 25 Julii.</i> Digressio fit de Fr. Joanne Verduno, Capucino Laico	448
(979)-(980)	Concilium suorum Ormonistarum conventiculum in 4m Septembris indixit. Duo Galvienses, antea a militibus Ultoniensibus capti, ab Eugenio O Nello libertate donati sunt .	455
(981)-(993)	Clanricardius nihil non tentavit ut Conaciam in Eugenium concitaret. Eugenius ad aggressores repulsandos in Conaciam se recepit. Joannes de Burgo aliquie nobiles Conacienses in Nuncii et Eugenii favorem haud segnem operam collocarunt	461
(994)-(1001)	Concilium Wexfordienses coegit ad inducias admittendas. Nuncius Galvia 6 Augusti epistolam scripsit <i>Praetori et Balvis Wexfordiensibus</i> , et Censuras relaxavit. Magaulius ultimo mensis Julii Athloniae propugnaculum dedidit. Praelati, sacerdotes et Religiosi inter se dissidebant. D. Walterus Enos bis captus, bis dilapsus est. Nuncius Clanricardio scripsit de P. MacKiernano a militibus capto, cui Clanricardius 8 Augusti respondit	462
(1002)-(1011)	<i>Quaestiones D. Nuncio a Clanricardiae Marchione positae</i> , quae et epistola quot verba tot prope continent ineptias falsis fundamentis nixas. Archiepiscopus Dubliniensis procellam ab Ormonistis concitatam sensit	468
(1012)-(1043)	Richardus O Ferallus Nuncii et Eugenii partibus adhaesit. Epistolarum commercium Tuamensem cum Nuncio intercessit de unione Confaederatorum, quam Concilium vel Clanricardius Tuamensi suggesterat. Schismatici Theologi Kilkennyenses quaestionibus a sex Consiliariis propositis mense Augusto responderunt. Libelli Anglicani, quo responderunt, habetur brevis anatoma et dissectione, et etiam eorum qui subscripserunt delineatio	473
		478

Paragraphus	Pagina	
(1044)-(1056)	Nuncio atque Eugenio antiqui Iberni, Concilio vero Anglo-Iberni ut plurimum studuerunt. Eugenius nonnulla in Lageniae et Momoniae confinio castella cepit. Clanricardius Galviae obsidionem minatus est, Nuncioque tutelam obtulit. Nuncius et Clerus Galviensibus 30 Augusti scripserunt. Clanricardius, accepta pecunia, obsidionem solvit. Duo Carmelite atque Archiepiscopus Tuamensis et duo alii episcopi Censuras spreverunt	492
(1057)-(1068)	Eugenius Firram expugnavit. Clanricardius Galviae obsidionem solvit. Prestonus Athiam iterum obsidebat. Datur epistola seditiosissima Jonio a Prestono ejusque exercitus ducibus 10 Septembri scripta	501
(1069)-(1070)	O Nellus religionem quinque vicibus in tuto collocavit. Ormonistae Jonio quatuor legatos variis vicibus miserunt. Ormonistae et Insequinnius multa Eugenio falso imposuerunt, ejusque actiones malis interpretationibus denigrarunt	507
(1071)-(1074)	Rogerus Maguirius Athiam obsidione liberavit. Jonius Ballisonum in potestatem recepit. Eugenius copias omnes in Clanricardium, Taaffum et Insequinnium convertit	510
(1075)-(1083)	Insequinnius Castellum Benchorense seu Fortelandiam ad deditonem compulit. Multas ob rationes Eugenius cum Insequinno praelium committere non potuit. Hac occasione religionis et patriae asserendae semel dilapsa, omnis Nuncii partiumque ejus armis praevalendi spes evanuit. Eugenii exercitus ex variis provinciis conflatus est	511
(1084)-(1090)	Ad ineuntem Octobrim Ormonius Corcagiam appulit. Ejus familia per 40 annos coronae Anglicanae adhaesit. Ormonius, uxor, et liberi haeresim profitebantur, et ille Catholicis bellum indixit. In Iberniae Proregem anno 1644 cooptatus est. Dantur rationes ob quas iterum hoc anno Prorex in Ibernia destinatus est. Mentio fit de libro a Constantino Marullo anno 1645 typis mandato	519
(1091)-(1096)	Suspiciones ab Ormonistis in vulgus sparsae de Principe externo a Nuncio in Iberniam intrudendo nullo fundamento nixae sunt	525
(1097)-(1101)	Ex D. Walteri Enos verbis patet quantopere nationis et Ecclesiae Ibernicae ruina imputanda est novem Catholicis nostratis ibi nominatis	531
(1102)-(1113)	Pseudo-Comitia Kilkenniensia ad Ormonium legatos miserunt. <i>Declaratio Ormonii pro statuenda Protestantium religione, etc.</i> , cusa Corcagiae anno 1648. Nonnulla dicuntur circa hanc declarationem	534
(1114)	Eugenius O Nellus P. Thomam Makiernan in libertatem vindicavit. Rogerus Maguirius ad Drumruiskiam mense Novembri occubuit. Nuncius in sua Relatione de Eugenio conquestus est.	

Paragraphus

Pagina

- Card. Panzirolo Nuncius tres vias aperuit quibus pecuniae in Iberiam transportarentur. Si subsidia suppeditata fuissent, fides Catholica in Ibernia et per vires Ibernicas in Anglia et Scotia triumphasset 541
- (1115)-(1120) Joannes de Burgo sententiam partibus Nuncii adhaerendi mutavit. Alii vero Conaciae viri nobiles Nuncii partes secuti sunt. Suppetias a Nuncio 27 Octobris postularunt et mense sequenti Araniam insulam interceperunt. Antrimiae Marchio in Concilium insurrexit, et in Ultoniam progressus est 545
- (1121)-(1124) Castrum Mangii fluminis ab Insequinno obsumum haereticorum perfidia perditum est. Wexfordienses et Duncanaganiae propugnaculum inducias repudiarunt 548
- (1125)-(1137) Galviae habitatores et Clerus Kilkenniensis Nuncio supplicarunt ut interdictum relaxaret, quorum votis acquievit. Eandem gratiam Clero Waterfordensi et Clonmelliensi probabiliter concessit 551
- (1138)-(1140) Omnes Patres Dominicani, uno excepto, pro Censuris fecerunt 558
- (1141)-(1163) In Ordine Franciscano, ex tot Religiosis pauci respectu tanti numeri Nuncio se opposuerunt. Pseudo-Concilium contra Franciscanos Nuncio militantes Suae Sanctitati et Generali Ordinis Ministro scripserunt. P. Rouaeo Roman profisciscenti data sunt "Monita circa S. Francisci Ordinem." Nuncius suspensionis sententiam in PP. Georgium et Valentimum 19 Julii tulit. Ambo apud Nuncium poenitentiam egerunt 559
- (1164)-(1166) Carmelitarum Discalceatorum Provincialis, P. Rouaeus, aliquie tres Patres a Concilio steterunt. Quo Romae auditio, ex Belgio in Iberiam Visitator missus est. Bini Carmeliteae ad Concilium Kilkenniense et ad Ormonium recursum haberunt 572
- (1167)-(1168) Jesuitae, non omnes, sed plerique de Ecclesia Ibernica in his controversiis pessime meruerunt. In Ordine Augustiniano tres circiter vel quatuor Nuncio restiterunt. Benedictini, Bernardini, et Capucini omnes pro Nuncio steterunt. Nuncius Galviae Capucinos stabilivit. Patres Congregationis P. Vincenti a S. Paulo anno 1646 Limerici pedem fixerunt. Horum Nuncio adversatus fuit nemo 573
- (1169)-(1177) Septem vel octo Episcopi induciantibus adhaeserunt. Pauci sacerdotes, aliorum plurimorum ab Ecclesiae partibus stantium comparatione, ad pseudo-Concilium deflexerunt. Plura acta a pseudo-Comitiis lata iniqua fuerunt. P. Joannes Rouaeus a pauculis Ormonistis Romam missus est ad Appellationem prosequendam. Datur relatio

Paragraphus

Pagina

	Nuncio transmissa de Rouaei et Callagani machinationibus Parisiis contra Nuncium. Rouaeus Romam 16 Januarii 1649 pervenit. P. Joannes Poncii litteras ad Archiepiscopum Dubliniensem circa P. Petrum Walshaeum aliaque scripsit .	576
(1178)-(1195)	Nuncius Suae Sanctitati epistolam Galvia 7 Novembris scripsit, monitaque 11 Novembris P. Arcamonio dedit. Quaedam circa haec monita notanda sunt	586
(1196)	Nuncius jussit ut P. Richardus O Ferallus, Capucinus, P. Josephum Romam comitaretur. Die 17 Novembris vela ventis dederunt, dieque 25 Decembris Parisios pervenerunt	596
(1197)-(1212)	D. Patricius Lynchaeus, Wardianus, libellum suppli- cem Nuncio praesentavit, cuius exemplar P. Josepho traditum est, simulque <i>Indiculus rerum a P. Josepho Romae postulandarum</i> .	596
(1213)-(1233)	Ormonistarum Comitia in 4 ^m Septembris indicta sunt, ad quae Nuncius Regni Praelatos accessum interdixit. Pauci Ormonistae Kilkenniam confluxerunt. Ex veri Cleri partibus se contulit nemo. Nonnulla Comitiorum decreta iniqua- dantur	599
(1234)-(1302)	Richardus Blakus nefariam epistolam 19 Octobris Nuncio scripsit, misitque <i>Compendium alicujus partis eorum quorum accusatur Ill. D. Nuncius.</i> Adduntur calumniarum refutationes	610
(1303)-(1308)	Pseudo-Comitia adversus Nuncium edictum scele- ratum tulerunt. Episcopus Elphinensis Nuncio 18 Novembris scripsit. Nuncius ob injurias ab Ormonistis illatas afflictus fuit	627
(1309)-(1328)	Procellam contra Nuncii fautores concitatam sensit P. Paulus King. Inter Massarium et P. Paulum convenit ut Eugenium Kilkenniam accirent. <i>Articuli accusationis exhibiti adversus Paulum King, 29 Novembris. Responsiones R. P. Pauli King 1 Decembris datae, et P. Pauli supplicatio pseudo-Concilio exhibita.</i> Paulus in molitionis cum Concilio adversus Nuncium fotae suspi- cionem venit	632
(1329)-(1361)	Orta est controversia inter Nuncium et Hispaniae Oratorem circa praedam in mari a Massario 20 Novembris 1647 captam. Pseudo-Concilium adversus Nuncium sententiam tulit, qui causam ad Suam Sanctitatem et Hispaniae Regem devoluisse declaravit. Praeda ad Hispanos non pertinuit. <i>Articuli accusationis adversus Decanum Firmatum exhibiti.</i> Castrum Atloniae mense Octobri Vicecomiti Dillon restitutum est. Milites Anglicani Corcagiae et alibi caeperunt tumultuari	639
(1362)-(1366)	P. Davetus, Jesuita, ad Suam Sanctitatem allegatus Roma in Iberniam iter prosequens Florentiae 24 Septembris expiravit. Fernensis et Plunkettus in Iberniam 21 Novembris appulsi sunt. Citatur	

Paragraphus		Pagina
	Apologia a Fernensi mense Maio 1653 Romae porrecta. Ex quinque Legatis, quorum tres in Galliam, et duo Romam hoc anno missi erant, quatuor turpiter claudicarunt. Antrimius in pseudo-Comitia insurrexit	658
(1367)-(1406)	Breve Pontificium pseudo-Comitiis a Fernensi et Plunketto traditum. Septem Praelati 30 Novembris litteras citatorias ad alios antistites Kilkenniam acciendos scripserunt. Epistolarum commercium Nuncio cum Fernensi et Plunketto intercessit. Breves Fernensis et Plunketti rationes Massario datae	665
(1407)-(1413)	Sua Sanctitas perschedam notis arcanis 7 Septembris scriptam totum Censurarum negotium Nuncio reliquit, sed haec scheda parum Nuncio profuit. Fernensis et Plunketti fraudes et astutia deteguntur. Epistolam a Cardinale Roma noxio artificio obtinuerunt	681
(1414)-(1418)	Informatio ad P. Josephum a Nuncio Roman transmissa quatenus Cardinali os ad os responderet.	687
(1419)-(1423)	Thomas Rochaeus, Duncaniae praefectus, a Nuncio stabat. Eugenio O Nello opus fuit prudentia ut Ormonistarum artifia obviaret. Jonius Dubliniae gubernator, Lageniam vastavit	689
(1424)-(1430)	O Sullevanus Bearrensis, qui in Hispania exulaverat, a Joanne Bathaeo 16 Julii 1618 occisus erat. Ejus filius, Comes de Beerhaven, hoc anno in Oratorem ad Confederatos Iberniae Catholicos a Rege Hispaniae missus est. Cum Episcopo Duacensi in patriam Insulam remigravit. Persecutio litem diremit circa quendam Flandrum in Abbatem de Sruill assumptum	691
(1431)	Si Faederati unanimes essent, triumphum hoc anno confecissent	694



De haeresis Anglicanae in Iberniam
intrusione et progressu, et
de Bello Catholico ad annum
1641 caepto, exindeque per
aliquot annos gesto

COMMENTARIUS

In Nomine Sanctissimae Trinitatis
incipit Annus Christi 1648.

1247

[VOL. III. AN. 1648.]

(1) Jam vidimus a Comitiis Generalibus cooptatos fuisse in
Oratores Romam quidem destinandos Episcopum Fernensem et
Nicolaum Plunquettum, in Galliam vero dirigendos Antrimiae
Marchionem, Muscrae Vicecomitem, et Zepherinum Brounum
Juris consultum, idque ea lege ut instructionibus non nisi a
Clero approbandis munirentur. Itaque 4 Januarii Clerus accep-
tas a magistratu civili legatorum Romam destinandorum instruc-
tiones examinavit ac virgam censoriam adhibuit, demumque
Concilio Supremo in censuram consentiente subscripsit, quae
cum ad meas manus non pervenerit, hic addam schedulam a
Nuncio Cardinali Panzirolo 6° ante die, anni scilicet praeteriti
penultimo, notis privatis et Italice scriptam:

(2) "Episcopus Fernensis et D. Nicolaus Plunquettus, cum
ea sint indole ut sibi cum omnibus bene convenire cupiant,
multa istic repreäsentabunt ut vera, quorum nescio an causas
sint fideliter allegaturi.

*Reg.: p.
557.*

(3) "Si dixerint Regnum ob clades hoc anno illatas multum
perdidisse animum, et credere vires sibi non suppetere ad se
defendendum, verum dicent; causa autem non est Regionis
impotentia, sed partium discordia et invidia. Quod adeo mani-
festum est, ut hodie Confaederati totius pene Regni potirentur,

totoque religionem etiam restituissent, nisi anno praeterito, quando ego sedecim peditum millia Dubliniam versus conduxi, Lagenienses exercitui Ultonensi invidissent, et Prestonus plus Ormonii et Clanricardii quam Cleri rationem habuisset. Praeterea Lageniensium clades hoc anno secuta est manifestis Praefecti Generalis erratis, quae bini oratores istuc destinandi optime norunt, nam interfuerunt. Quod vero ad illam alteram Momoniae spectat, non memoratur fuga tam turpis, quam fuit illa cornu sinistri, in quo se tenebant Momonienses. Quare nostris erratis et non alteri causae status, in quam redacti sumus, ascribi debet; quibus addendum est oblata a D. Eugenio ea conditione ut jam quatuor millia suorum in hostiles Insequinnii partes duceret, quo Faederatorum fines non oneraret, Momonienses eam legem minime gentium admisisse, et malle ut hostis potius continuo progrediatur in nostrum prejudicium.

(4) " Dicent Regnum esse paupertate exhaustum, et neminem non mendicare. Verum hoc autumno Baro Insequinniae cum duos Momoniae Comitatus percurrisset, fecit stipendiarios in

1247

mensem Maium, | exactis centum amplius scutorum millibus. v Unde liquet malo Catholicorum regimini imputandum esse quod res numaria deficiat, cum multi sint Commissarii numquam ad calculos revocati, praesertim in Momonia, ubi omnes Vicecomitis Muscrae nutum sequuntur.

(5) " Dicent populum pacem, utut fuerit, obfirmato animo contracturum et suo se Principi refecturum, eumque in finem fuisse decretam eorum, qui in Galliam proficiscentur, legationem. Est autem veritas populum in hoc sicut in reliquis omnibus se permittere aliis persuadendum. Nam factiosi Ormonici sunt, qui hanc applicationem cupiunt, non ut populi votis respondeatur, sed in suos ipsorum fines illos privatos, de quibus saepius significavi.

(6) " Dicent odium Ultoniensium eo processisse incrementi, ut multis nobilibus decretum sit cum hoste potius faedus percutere quam in suis Provinciis hanc gentem supportare, proindeque opus esse, ut ad alia remedia veniatur. Episcopum ego monitum habui, ne hoc argumento istic utatur. Etenim Suae Sanctitati et Curiae nauseam pareret, et forsitan Sanctae Sedis clementiam retardaret, audire quod sibi protegendus esset populus, qui malit potius amplexari haereticos, quam inire rationem concordandi cum fratribus. De reliquo damna illata ab Ultoniensibus sunt verissima et nimio D. Eugenii patrata imperio. Cumque ille Ecclesiae adhaereat, hoc ipsum odium in Episcopos, tantoque

magis in me militat iis, qui sorte sua contenti non sunt, contribuentibus, ut persuadeant esse me qui exercitum illum duco quo pauperem in me plebem irritent, nullaque pro viribus me non afficiant contumelia. Verum omnia damna ex eo originem traxerunt quod D. Eugenio nec stipendia numerentur militaria, nec stationes assignentur, et ipse semper a suis adversariis passus sit incommoda. Nec verum est ex hoc odio multas nasci novas deliberationes; nam etiam illi, qui ad eas statuendas propendent, utantur hoc odio in praetextum, idque in dies augent, quod quotidie magis magisque hic exercitus palam pro religione et Clero facit, quanquam divulgant adversarii D. Eugenium habere fines sublimiores; quod (quantum mihi in hodiernum constat) est falsissimum. Totum dixi ne hi domini istic veritatem adumbrent. Regnum non alio deteritur malo quam invidia adversus Ultonienses, et (ex horum parte) suspicione, ne ipsi deprimantur. Quae duo sunt velut circulus, in quo reipsa bene reperiri nequit principium. Hoc autem haud dixi quasi non desiderans ne Sua Sanctitas hanc dignam consideratione Insulam protegat. Quinimo jam plusquam unquam id cupio, et arbitror, non obstante quocumque rerum successu et partium morositate, illam, quae melius in religionem affecta erit, pro merito semper protegendarum, nec ob aliorum delicta puniendam. Spero autem ejusmodi partem, vel magnam, vel mediocrem, vel parvam nunquam in Regno defuturam. 28 Decembris 1647." Haec ibi; quibus addam Instructiones Latinas ab ipso Nuncio Romanis Oratoribus traditas.

*"Instructiones ab Illustrissimo Domino Nuncio datae DD.
Episcopo Fernensi et Nicolao Plunquetto mense Januario
1648.*

(7) " Status Regni debet repraesentari Summo Pontifici non deplorandus, ut insinuant Instructiones, sed reductus ad angustias, prout vere est, tum ob parentiam pecuniae, tum ob crescentes animorum dissensiones.

(8) " Et quia dissensio prima facie judicabatur maxima et fere insuperabilis causa malorum praesentium, oportebit ostendere quod habita considerabili summa pecuniarum etiam dissensiones minui ac fere tolli facile possunt. Cum enim invidia Ultoniensium oriatur ex direptionibus hinc inde factis, promptum erit ostendere quod, si ipsius milites potuissent habere stipendia, aut *quarteria* ordinata, cessassent a direption-

ibus. Nec caeterae provinciae invidissent D. Eugenio majorem exercitum supra alios, si ipse habita convenienti summa potuisset applicari servitio utili, quemadmodum hac aestate docuit experientia, cum post conflictum Lagenensem evocatus fuit in subsidium, agebanturque Deo gratiae, quod ipsius exercitus numerosior esset p[ro]ae omnibus aliis.

(9) "Et ad hanc veritatem ostendendam parata erunt exempla Momoniae et Conaciae recentia. Nam in prima perdidimus Caperquin et Dungarvan, quia pecunia tempestive repraesentari non potuit. Et in Conacia nihil est actum, quia Commissarii illam infra indigentiam subministrabant. Ex quo fortasse causam habuit jactura Lagenensis, si verum est quod Scoti, qui auxilio Dubliniensibus venerunt, non potuissent id facere, si in Conacia cum Ultoniensibus occupati fuissent.

(10) "Nec solum debet ostendi quod pecunia potest minuere dissensiones, aliaque incommoda, sed quod etiam potest aperire viam ad recuperandum quod est deperditum et acquirendum *quarteria* inimicorum. Hoc enim constabit ex descriptione fideli praesentis status numerando civitates et castra, quae sunt in manibus Catholicorum, et ea quae anno praeterito recuperata sunt. Item quam anguste etiam inimici possideant etiam similia.

(11) "Imo deberet addi quod si primo anno mediantibus praedictis pecuniis res bene gereretur, non esset ullo modo desperandum quod paucis annis saltem in principalioribus Provinciis debellaretur, et maxime si dissidia inter Anglos et Scotos durarent. Posset enim tunc contingere ut Ibernia bonis conditionibus ab alterutro ex his Regnis in faedus invitaretur, vel quod ipsa per se sola Regnum obtineret. |

1248 (12) "Igitur colligendo quae dicta sunt circa pecuniam, v possunt ex ea ostendi tres fructus, videlicet remedium paupertatis praesentis, recuperatio amissorum locorum, et spes imposterum rei semper in melius gerendae; quod ut fortius imprimatur, debent ad manus haberi numeranda Sanctitati Suae omnia, quae pecuniis Pontificiis primo anno acquisita vel gesta sunt, nempe victoria Ultonensis, Castra Conaciae, Bunnratti, et siquae alia sunt unde Sanctissimus colligere poterit ipsius nummos centuplum fructum attulisse.

(13) "Quoad dissensiones, certum est quod in Romana Curia hoc punctum potest maximam molestiam afferre; ideoque oportebit infrascripta repraesentare ad eam minuendam. Primo, quod simultas inter Ultonienses et alios vetustissima est, ac per

hoc extirpatu difficultis, sed tamen moderabilis duobus modis, videlicet, si Ultonienses per extrema Conaciae impellantur ad comparandam Ultoniam et propria bona, prout D. Nuncius volebat praestare hac aestate. Item si illi per partes uniantur exercitibus reliquarum Provinciarum ita ut possint iis auxilio esse, sed non dominari; in utroque enim casu tam propter eorum absentiam, quam propter aequalitatem virium cessaret vel languesceret aliorum invidia. Ostendent autem apertissime quod pecunia potest utrumque praestare.

(14) "2°. Fasesset negotium in Curia etiam simultas nobilium et saecularium adversus Clerum, cum hic sit in peculiari protectione Apostolicae Sedis. Sed circa hoc oportebit aperire fontem hujus rei, ostendendo nihil aliud esse quam timorem ne Clerus, vires acquirendo, repeatat tandem a saecularibus res ecclesiasticas impropiatas. In qua re fatendum est possessores esse adeo suspiciosos, ut plures neque etiam fidem adhibere voluerunt D. Nuncio profitenti se habere facultatem dispensandi, et paratum esse illa uti erga omnes. In hoc tamen persuadere debent Suam Sanctitatem hanc dissensionem, cum injusta sit, attendi non debere, nec per hoc Clerum privari auxiliis, cum justam causam, et satis moderate foveant.

(15) "3°. Ad obviandum in hac materia dissensionum omnibus difficultatibus et oppositionibus, non est negandum Sanctitati Suae esse possibile, prout accidit in rebus humanis, ut praeter intentionem Cleri, et omnium bonorum, succedat aliquando divisio inter Catholicos, prout in hac ultima Assemblaea fortasse aliqua se dedit occasio. Sed tamen in hoc casu, si permittente Deo succederet, Sanctitas Sua debet sibi persuadere remansuram semper in hoc Regno partem tam militum quam aliorum considerabilem, qui nihil aliud intendunt quam securitatem et splendorem religionis, ac proinde talem futuram, ut eo magis a Sancta Sede expectare debeant opem et auxilia. Nam praeteritis annis cum solus etiam Comes de Tirone contra Reginam et eos, qui ab ipsa stabant, pro religione decertaret, a Clemente | VIII. pluries pecuniis adjutus fuit, licet reliquum Regnum ab eo dissentiret. Si autem praeterea addere volent Nuncium jugiter laborare in hac materia, ut partes in concordiam redigantur, nec parcere super hoc linguae aut calamo, nocere non poterit.

(16) " Venio ad Principem, et ad pacem cum eo faciendam. Certum est quod Romae haec instantia judicabitur inutilis, cum nullum auxilium possit a Principe expectari. Et videbitur etiam

ignominiosa, quia Romae exoptant semper ut Iberni ponerent se in statu dandi potius quam petendi conditiones a Rege, et ob id nunquam approbarunt cessationes cum Ormonio, et e contra voluissernt Dublinium esse in manu Confaederatorum; nec ignorant quod anno praeterito, quando Clerus accessit cum exercitibus ad illam civitatem, Regina jam inceperat de conditonibus tractare. Quare oportebit, ad excusandam hanc Assembleae voluntatem, retorquere culpam in populum ignarum et simplicem, cui noluit Clerus refragari, ne odium in se augeret, aut foveret opinionem illam sinistram, quam populus habet de ecclesiasticis, videlicet quod bellum tantum velint, et omnem pacem excludant.

I. an. 1646
exeunte.

(17) "At si Princeps post stabilita et assecurata Romae capitula veniat in hoc Regnum, tunc nihil est super hac re mihi dicendum, quia omnia fient consulente et dirigente Sanctissimo Domino. Si vero non servatis instructionibus Agentes Gallici ipsum adducerent, vel ex se ipso veniret, non video quid aliud dici possit Sanctitati Suae quam rogare illam, ut Nuncio et Clero praescribat quid sit faciendum. Satis enim interim cautum est ut nullum dominium novum recipiatur, nisi rebus Romae transactis, atque ideo donec super hac re responsum venerit, Nuncius faciet quantum in se est ne Clerus se declareret sed maneat indifferens usque ad illud tempus.

(18) "Cum vero venerit articulus petendi protectionem juxta instructionis formam, primum oportebit sincerare Summum Pontificem cur haec petitio non fuerit facta in principio (quo tempore sine dubio efficacior fuisset) et aperire illas rationes, quae aptiores videbuntur. Ad persuadendum vero Sanctitati Suae ut acceptet nullum erit validius argumentum quam ostendere necessitatem Confaederatorum applicandi se uni ex regibus, quo casu propter diversas hominum inclinationes esset certa illa divisio animorum et unionis, quae in aliis casibus est incerta. Circa hoc vero debent instare etiam apud Cardinales Congregationis et alios impetrandi ad extremum ut vel protectio ad aliquod tempus accipiatur, velut pro experimento, aut tandem quod Sanctitas Sua dirigat saltem Iberos consilio et auxilio ut opem aliunde sperare possint.

(19) "Si autem indigentia pecuniarium et necessitates Europae laborantis objiciatur, poterit hoc punctum discuti 1249 praecipue cum Eminentissimis Capponio et Spada, qui longo v experimento sciunt modos habendi pecunias, rogando illos ut velint pro asserenda in hoc Regno religione Catholica et

occasiones proponere, et inflammare Sanctissimum ad recipiendum populos tam longinquos, et in religione constantes, qui sperant aliquando communicaturos eandem religionem Scottis et Anglis. Atque hic oportebit reducere in memoriam efficaciter quantum intersit Sanctae Sedi quod hoc Regnum non perdatur, cum acquisitio etiam aliorum Regnorum desperata pariter esset.

(20) "Nec dubito quin supradicti Cardinales possint excogitare varios modos satisfaciendi Ibernorum desiderio. Si enim existimaretur necessitas Iberniae comprehendendi in casu Bullae Sixti V. qui posuit in arce S. Angeli tot pecunias ad effectum promovendi fidem, res esset unica largitione confecta. Quin et aliqua decima possent imponi in Italia. Nec deessent qui Episcopos et Capitula Italiae convenienter ad congregandas eleemosynas in hunc finem; et tandem Principes et Cardinales ipsi hortatu et literis Sanctitatis Suae possent aliquid considerable praestare.

(21) "Superest ut duo impedimenta devitentur. Primum est ut quacunque ratione tollatur a Sanctissimo Domino suspicio, ne in Gallia eodem tempore, quo apud Sanctitatem Suam instatur, fiat aliquid contrarium, aut praeveniatur aliquo modo ad eludendam missionem Romanam, quod poterit praestari declarando vim instructionum et diligentias, quibus usus est Clerus, ut debita reverentia Sanctitati Suae servetur, quinetiam sensum Assembleae, ut siquid privatim ab Oratoribus Gallicis fiat, non redundet in alios quibus inclinatio Summi Pontificis utilis esse potest.

(22) "Secundum, parare debent excusationes, si fortasse Sua Sanctitas apprehendat Nuncium male habitum a magistratibus Regni in quibusdam. Fatetur enim se Nuncio scripsisse tria: nempe submissionem mulierum ejulantium anno praeterito; dilatam, atque ideo negatam incarcerationem Danielis post tot instantias; et nullum sibi verbum factum in negotio Domini Clogherensis. Quae si pervenerunt epistolae, potest esse quod Sanctissimus et Curia sinistre accipient, cum existimenter Sedem Apostolicam non parvum honorem communicasse Iberniae, dum Praelatum huc misit, eo titulo ac dignitate, quibus ad Caesarem et ad maximos Reges mitti solent. Viderint ergo qua ratione in primo et tertio excusanda sit Assemblea et Concilium, quod nihil aut verbo aut ulla diligentia praestiterint in honorem Pontificii legati. In secundo vero punto si dederit se occasio, debet candide profiteri si Regnum praetendant non communicare suum brachium Nuncio Apostolico tanquam potestati externae;

prout fortasse cantant leges Anglicanae. Nam vel Sanctissimus eas damnabit, et tunc scient omnes, qui Catholicos se profittentur, incursuros in excommunicationem, quotiescumque id tentarint. Vel eos approbabit, et tunc res est pacata. Vel tandem medium viam ac temperamentum inveniet ad securitatem conscientiarum. | Quae omnia aptari etiam possunt judiciis et tribunalibus, quae praetendunt cognoscere causas ecclesiasticas, non obstante Canonum et Conciliorum authoritate in contrarium. etc." Hactenus Nuncii monita, qui cum iisdem Oratoribus has Italice dedit ad Suam Sanctitatem literas *credentiales*.

" Beatissime Pater.

Reg: p. 571. (23) " Haec Regni Comitia allegarunt Episcopum Fernensem et Nicolaum Plunquettum, profecturos ad pedes Vestrae Sanctitatis, et praesentem Confaederationis statum repraesentatuos. Promptitudo, quam omnes ordines ostenderunt, volentes ante omnem aliam deliberationem recurrere ad paterna Vestrae Beatitudinis consilia et auxilia, mihi peperit occasionem certiores reddendi Oratores de facili audientia et omni alio justo favore in Catholicae religionis progressum. Spero etiam praefatos Dominos eam gratiam merituros per seipso, cum sint duo ex magis honoratis viris, quos Insula suppeditet, meliorique ductis intentione, quales se esse monstrarunt inter continuos labores ab ipsis toleratos multis annis ad moderandam hanc cardine emotam Rempublicam, et primum belli titulum sustinendum. Ipsi committens ut fusius referant Regni successus, ad pedes Vestrae Beatitudinis, meam de novo profiteor humillimam fidelitatem, ipsique diuturnum appreco cursum vitae et gloriosae prosperitatis." Haec ad Pontificem 9 Januarii 1648; ad quem etiam alteram hic sequentem Italice dedit:

" Beatissime Pater.

Reg: p. 572. (24) " Hujus Regni Oratores meo nomine praesentabunt Vestrae Sanctitati quinque supra viginti vexilla ab his Catholicis in hujus anni praeliis reportata. Ablata sunt Scotis in Ultonia et Parliamentariis in aliis Provinciis, omnia sub auspiciis Vestrae Sanctitatis, et pleraque tuis subsidiis cooperantibus. Scit Deus Opt. Max. quantopere cupiam ego ut quamprimum ad Vestrae Beatitudinis thronum portare valeam reliqua, quo horum Regnum haeresis se videat conculcatam sanctissimis Beatitudinis Vestrae pedibus, et, qua insinuitur, authoritate. Quod si tantam gratiam accepero, nullus unquam Sedis Apostolicae Minister majoribus cumulabitur consolationibus, quia inseparabilis ab

insigniori gloria Vestrae Sanctitatis, cui prostratus, osculando sanctissimos pedes precor a Deo horum omnium auguriorum expletionem. 9 Januarii 1648." Haec ibi. Scripsit etiam Concilium Supremum cum iisdem legatis ad Suam Sanctitatem has literas:

" Beatissime Pater.

(25) " Singularis benevolentia, qua Vestra Sanctitas priusquam ad Summi Pontificatus culmen eveheretur, nationem Iberorum prosequebatur, et maxima cura, quam statim ab initio sui Pontificatus de ejusdem nationis et religionis splendore, Christiana libertate, et fortunarum conservatione suscepit, nobis plane persuadent Regni hujus (quod per multos annos gemens sub dirae | haereseos jugo, nunc etiam crudelissimi belli incommodis agitatur) faelicitatem fore Sanctitatis Suae apud posteros et saeculorum omnium Annales amplissimum monumentum, quod sane monumentum honorifacae pacis constitutione, vel praesentis belli tempestiva et nervosa promotione (ea spes est Confaederatae Iberiae) in aeternitate stabilitum atque insculptum relinquet. Ex omnium vero ordinum hujus Regni decreto mittimus ad Sanctitatem Vestram Dominos Nicolaum Episcopum Fernensem, e Concilio nostro, et Nicolaum Plunquettum, ex eodem Concilio, ac Comitiorum Generalium prolocutorem. Ii fuse et fideliter praesentem Regni statum ac desuper nostram resolutionem exponent. Quibus plenam fidem adhibere, et nobis ad pedum oscula provolutis benedictionem suam impertire dignetur, submisse imploramus.

Kilkenniae,

18 Januarii, 1648.

Sanctitatis Vestrae humillimi filii:

Joannes Tuamensis Archiepiscopus electus. Franciscus Aladensis. Emerus Clogherensis. Richardus Bellings. Geraldus Fennell. Patricius Brian. Zepherinus Barron. Robertus Devereux."

(26) Regni autem Praelati has litteras dederunt:

" Beatissime Pater.

" Domini, Nicolaus Fernensis Episcopus e Concilio Catholicorum Faederatorum, et Nicolaus Plunquettus itidem e dicto Concilio et Comitiorum Generalium Prolocutor, destinati sunt

ad Sanctitatem Vestram Agentes hujus Regni. Exponent illi fuse et repraesentabunt fideliter Sanctitati Vestrae praesentem statum supradictorum Faederatorum et periculosam conditionem. Cae- terum ne vel hostium dolo malo, vel ullorum privatorum ignorantia aut imprudenti zelo evenire posset ut Sanctitati Vestrae status hujus Regni praesentaretur aliter quam revera est, enixe rogamus ut praedictis Dominis, Nicolao Fernensi episcopo et Nicolao Plunquetto, Relationique ab ipsis de hac patria facienda plenam fidem adhibere, nullorumque ejusmodi privatorum contrariis informationibus auscultare, et nobis ad pedum oscula pro volutis suam benedictionem impertire dignetur.

Kilkenniae,

18 Januarii, 1648.

Sanctitatis Vestrae humillimi filii:

Thomas Archiepiscopus Casiliensis. F. Thomas Archiepiscopus Dubliniensis et Iberniae Primas. Joannes Tuamensis electus Archiepiscopus. David Ossoriensis. Thomas Midensis. Ioannes Rapotensis. Fr. Edmundus Laghlenensis. Emerus Clogherensis. Franciscus Aladensis. Fr. Patricius Ardaghadensis. Fr. Oliverus Dromorensis."

(27) Concilium etiam ad Sacram Congregationem Cardinalium rebus Ibernicis in Urbe praefectam scripsit his verbis:

"Eminentissimi Domini.

"Dominationes Vestrae Eminentissimae, quibus rerum nostrarum, ex speciali Suae Sanctitatis in nos gratia, incumbit cura, per Illustrissimum ac Reverendissimum D. Nicolaum, Episcopum Fernensem, e Conilio nostro, et per Illustrem virum D. Nicolaum Plunquettum, ex nostro itidem Conilio, et Comitiorum Generalium hujus Regni Prolocutorem, Confaederatorum Catholicorum nomine ad deosculandos Suae Sanctitatis pedes ex mandato omnium Regni ordinum in Urbem missos, praesentem Regni statum audient, et quam invicta animi constantia in Ibernia fidem Catholicam, cuius alte infixas radices nullae Daemonis fraudes hactenus evellere poterant, stabilire | contendunt nostros. Illas praeterea referent gratias, quas debemus Eminentissimis Dominationibus Vestris pro assiduis, quos in res

nostras impendunt, laboribus. Illis ut certam fidem adhibere velint, enixe petunt

Eminentissimarum Dominationum Vestrarum
Humillimi servi:

Kilkenniae,
18 Januarii, 1648.

Joannes Tuamensis electus. Franciscus Aladensis.
Emerus Clogherensis. Henricus O Nellus.
Geraldus Fenel. Richardus Bellings. Zepherinus Barron. Robertus Devereux. Patricius Brian."

(28) Praelati quoque Suae Sanctitati, ut Nuncium in Cardinalem indueret, his verbis supplicarunt:

"Beatissime Pater.

"Cum profunda humilitate ad Sanctitatis Vestræ pedes provoluti mense Septembbris anni Domini 1646 preces fudimus de promovendo ad Cardinalatus dignitatem Praesule, D. Joanne Bapt. Archiepiscopo Firmano, de religione et Ibernia optime merito. Una exposuimus viri optimi in rebus agendis prudentiam, in perferendis malis constantiam, in promovendo Dei cultu zelum, sollicitudinem, et singularem in gentem nostram affectum, ac dotes tanto ac tam alto loco perquam dignas. Idipsum nunc iterum Sanctitati Vestræ humiliter proponimus; ac addimus illum multa et acerba ab hujus revolutionis initio cum ingenti animi fortitudine sustinuisse. Quae omnia harum lator Nicolaus Episcopus Fernensis fusius enarrabit, cui ut fides habeatur enixe rogamus. Et Sanctitatis Vestræ pedes deosculamur.

Sanctitatis Vestræ humillimi filii:

Kilkenniae,
24 Januarii, 1648.

Fr. Thomas Dubliniensis, Iberniae Primas.
Joannes Tuamensis electus. David Ossorien-sis. Thomas Midensis. Emerus Clogherensis. Franciscus Aladensis. Fr. Patricius Ardachadensis. Fr. Oliverus Dromorensis. Fr. Patricius Crilly Niurensis Abbas. Fr. Joannes Cantwel Abbas de Uathny, et Praeses Congregationis SS. Malachiae et Bernardi in Ibernia."

(29) Dedit etiam Eugenius O Nellus, et Episcopus Clogherensis ad Suam Sanctitatem, et Cardinalem Panzirolum, ille Hispanicas, hic Latinas literas id ipsum postulantes, quas brevitatis ergo omitto, exceptis his Clogherensis ad Suam Sanctitatem:

“Beatissime Pater.

“Tot et tanta sunt merita Ioannis Baptistae Rinuccini, Sanctitatis Vestrae Nuncii in Ibernia, ut ego, humillimus Sedis Apostolicae servus, ab eodem petere non erubescam pro ipso Cardinalatum, quem multa et praeclera ejusdem Rinuccini gesta pro Ecclesia Catholica quodam veluti jure exigunt, ac totus orbis non sine maximo fundamento sperat. Certe si Purpura praemium est virtutis ac laborum susceptorum pro defensione fidei, audacter asseram nullum esse in Ecclesia Dei praelatum, qui ipsi anteponi possit. Testis enim oculatus sum perpessionum, constantis animi in rebus arduis, providentiae summae in casibus, qui praeveniri non potuisse videbantur. Neque ullus est immunis a passione, qui objicere ipsi possit vel unicum factum, quo prudentissima Sanctitatis Vestrae electio de | tali Ministro v condemnetur. Et si multi canes haeretici, aliique ipsorum fautores latrare non desinant, dum authoritati Sedis Apostolicae ac virtutibus Rinuccini, quas admirabunt, invident, mordere tamen non possunt. Nec inter ultimas Sanctitatis Vestrae Nuncii laudes recensere debeo, quod ab iniquis odio habeatur. Suppliciter ergo rogo Sanctitatem Vestram ut dignetur hunc virum promovere, de Ecclesia Catholica adeo bene meritum, ut vix ullus vivat Praelatus, qui pro eadem tot subierit labores et incommoda. Deus servet diu incolumem Vestram Sanctitatem.

Sanctitatis Vestrae

Humillimus et obsequentissimus filius,
Emerus, Clogherensis Episcopus.”

Kilkenniae,

15 Februarii, 1648.

(30) Scripsit Nuncius in eorundem Oratorum favorem litteras commendatarias ad Cardinales Sacrae Congregationis rerum Ibernicarum apud Urbem, nempe Capponium, Spadam, Panzirolum, Caraffam, et Grimaldum, praeter alios e sacro Collegio, et ad Principem Pamphilium, Pontificis ex fratre nepotem, Principem Plumbini, Suae Sanctitatis nepti matrimonio conjunctum, D. Olimpiam ejusdem nepotis, et neptis matrem, ad P. Lucam Wadingum, et D. Janusium, Nuncii *Agentem* apud Urbem.

(31) Continebant Instructiones Oratoribus Romanis praescrip-

tae ut repreäsentarent Pontifici Regnum esse in statu desperato. Idque (inquit Nuncius) quo facilius Sua Sanctitas induceretur ad permittendum Proregem haereticum, aliosque pacis contrahendae articulos, in quos Ormonistae propenderent. Quare licet ad Cleri instantiam eadem monita praescriberent ut Prorex Catholicus postularetur, aliaeque propositiones insertae sint, quibus nisi obtentis Praelati acto publico superius posito Comitiorum tempore clam polliciti sunt se nunquam in pacem consensuros; haud tamen instructiones illae hunc in modum castigatae fuere, quin Ormonistae addendum curaverint hanc conditionem, *nisi secus Sua Sanctitas expedire judicaverit*. Sperabant enim Pontificem deplorabili Regni statu ob oculos ponendo flectendum. Verum Nuncius evicit ut clausula Instructionum tradens Regnum esse in statu desperato, expungeretur velut falsa, et Oratorum arbitrio relinqueretur ut articulum illum pro ipsorum judicio Pontifici recenserent. Monitumque habuit Fernensem Nuncius ne Romae Regni statum tam falsis coloribus pingeret, ipseque, ne Oratores suis partibus defuturi essent, scripsit Italice Cardinali Panzirolo sequentem super ea re Relationem Suae Sanctitati communicandam. In qua ubi his terminis: *anno praeterito, hoc anno, hac aestate, anno praesenti*, utitur, confusionem parit, quod nunc ad annum 1647 quem descriptis, nunc ad annum 1648 quo scripsit, respiciat. Tollam ergo in margine confusionem. |

*Reg. p.
560. Ep.
ultimo
Dec. 1647
ad Card.
Panzirol.*

*Reg. p.
565. Ep. 7
Jan. 1648
ad Card.
Panzirol.
um.*

“Compendium Status Regni anno 1647.”

1252

(32) “Cum certum sit res Regni *anno praeterito* optime processisse, et animadvertam multos esse qui jam vellent persuadere quod sint in statu desperato, necessarium est investigare unde nata sit tanta differentia.

*1. anno
1646.
Reg. p.
567.*

(33) “Reperio quatuor esse quae notabilem introduxerunt diversitatem, quae sunt: Primo, rei numariae inopia. 2^o. Auctae supra modum dissensiones. 3^o. Jactura quorundam locorum in Momonia. 4^o. Paupertas Regni male tractati hostilibus populationibus, juxta ac nostrorum transitionibus et diversionibus. In reliquis res omnium Provinciarum in eodem sunt statu, et apud aliquos in statu aliquantum meliore.

(34) “Verum est tamen haec quatuor esse invicem concatenata, et unum esse causam alterius. Pecuniae enim defectus id efficit ut crescant odia, ex odiis descenderunt jacturae, et ex tribus una sumptis paupertas. Unde si excogitetur ratio, qua

Iberniae subministrarentur subsidia sufficientia, facile erit moderari malis quaternis, modo unum solum auferatur.

(35) "Pecuniam defecisse manifestum est ex sumptibus tota
l. anno 1647. *hoc anno* belli causa factis absque vel uno quadrante extraneo,
sicut etiam ex stipendiis, quae cogente necessitate polliciti sunt
hosti in tribus Comitatibus, et ex damnis, quae illata sunt locis et
facultatibus per tot antrorum et retrorum militum transitiones.

(36) "Quod ad odia et discordias spectat major est evidentia.
l. anni 1647. Illi enim omnes, qui pacem praeteritam desiderabant, visis *hujus
anni* successibus, in ecclesiasticos, a quibus proscripta fuit, animi
sunt vindicis, et ipsos considerant saltem velut horum omnium
malorum architectos; cumque Ultonienses pacis rejectioni
adhaesisse non ignorent, veteri in hanc Provinciam odio etiam
hoc modernum adjungunt, quod indies crescit. Cum enim haec
copiae maxima inferant damna, et auctae sint supra numerum
aliorum Provinciarum, multos a se alienarunt amicos; et ex
altera parte adversarios exacerbarunt. Et sane harum suspicio-
num conditio est miserabilis. Nam D. Eugenius ob plurima et
gravissima indicia dubitat ne altera pars cogitet, et agat omnia,
et machinationes struxerit, quibus etiam Principis accessum
procuret, quo seipsum atque exercitum opprimat. Alii vero
videntes se continuo male multari a viribus Ultoniensibus, et
observantes D. Eugenii instituta, credunt ipsum in id animum
intendere, ut omnes ad paupertatem redigat, quo solus supersit,
et in ipsos dominetur. Nec Clerus ad has suspiciones conciliandas
est idoneus. Cum enim illum exercitum, qui semper ab ecclesias-
ticis palam stetit, non derelinquere teneatur, consideratur ut
pars, non ut judex.

(37) "Venio jam ad Provincias ad cognoscendum id quod ex
eorum statu sperari possit, positis, quae dicta sunt, dispendiis.

(38) "In Ultonia, ubi ad belli exordium vix apparabant
Iberni, et omnia erant plena haereticorum, nunc Catholicci
1252 v magnam regionem recuperarunt. In ea Scotti a nostra victoria
 anni 1646 nunquam moverunt, nihilque memoria dignum gesse-
runt. Loca quidem maritima Scotiae respondentia retinent, quae
si pecunia suppeteret, qua exercitus eo conduci posset, facile
recuperarentur. Nec silentio praeterierim modo aliorum duorum
Regnorum dissidia progrediantur, aliquod se prodere indicium,
ex quo conjectetur hos Scotos societatem coituros cum Catholicis
in Anglorum perniciem.

(39) "In Conacia licet nostrorum et adversariorum expilationibus depauperata non alias locus praeter Sligoam restat recuperandus, quae est expeditio satis facilis, et viam aperiet in Ultioniam ex parte Boreali, et ad expugnandam Iniskilliniam, principale illius tractus praesidium.

(40) "In Lagenia ab anno *praeterito* hucusque tantummodo mutata est Dubliniae possessio, translata a Marchione Ormoniae in Parliamentarios. Quantum ad personas, qui res mature ponderant, credunt conditionem evasisse meliorem; majus enim fiebat damnum a Marchione cum parentela et fautoribus quam ab aperto atque implacabili hostile, qui jam ibi se tenet. Quod ad vires pertinet, clades Prestono illata persuadere posset conditionem nostram multum evasisse deteriorem. Verum quisquis non ignorat errata, quae ex parte nostra in illo praelio commissa sunt, aliter judicat. Verum quidem est hostium Praefectum Generalem ducere sexcentos equites nostris satis meliores et melius armatos, unde oportet supplere peditibus et hastatis. Ex altera parte Catholicci hodie conservant maximi momenti limites, et loca, quae anno *praeterito* ibi debellarunt.

(41) "In Momonia praeter Casseliae direptionem, aliaque damna, perdidimus Caperquinniam, Dungarvaniam, et Cahiriam, quae hodie ab hostile possidentur. Quo non obstante, Baronem Insequinniae pecunia et vires deficiunt, nisi ipsi ex Anglia succurratur. Et in hac Provincia plusquam in aliis liquet quod nisi Catholicci in duas partes essent divisi, nec illa loca capta fuissent, nec eorundem recuperatio ipsis nunc negotium facesseret.

(42) "Collendum ergo est Confaederatos, si res numaria non defuerit, posse *hoc anno* non solum resistere, sed offendere et recuperare. Nam in Momonia Taaffi exercitus erit illo Insequinnii numerosior. In Conacia et Ultonia non solum sufficit, sed etiam praecellit ille O Nelli, tametsi in duas partes esset dividendus. Et in Lagenia suae erunt copiae, quae vel solae ad defendendum erunt idoneae, vel si quibunt associari parti virium Ultoniensium, poterunt etiam se applicare obsidioni Dubliniae.

(43) "Itaque ubi per Dei gratiam appulerint subsidia, quae apportat Decanus Firmanus, poterit cum ipsis, et cum eo quod Regnum hic subministraverit, procedi ad *hujus anni* expeditiones hunc in modum. 1°. Videndum nunquid tentari queat obsidio Dubliniensis, et nisi cum summa pecuniaria, quae nobis

1. ab anno
1646.

1. an. 1646.

1. 1648.

1. anni
1648.

erit, suscipi possit, nobis satis esse debet ut, quae jam in Lagenia acquisita sunt, defensentur, et hosti ponatur obex ne progressum faciat. | 2^o. In Momonia exercitus, cui Taaffus ante ultimum praelium praerat, supplendus est, et aggrediebundus Insequinnius, vel recuperandum quicquid ille *hoc anno* expugnavit. Impellendus deinde per Conaciam in Ultoniam O Nelli exercitus, magnam Regionem debellaturus, sicut Nuncio cordi erat ut fieret *hac aestate*, qua in eum finem data opera Galviam perrexit, et acceptis mutuo denis scutorum millibus, caeptum successisset, nisi Concilium Supremum ob exercitus Praestoniani cladem sollicite O Nellum in Lageniam revocasset. Sed si Sua Sanctitas clementer voluerit suppetias *in annum praesentem* augmentare, obsidio etiam Dubliniensis suspienda erit et absolvenda.

l. 1647. id est,
aestate
annii 1647.

l. 1648.

(44) "Ex his omnibus colligere est res hujus Regni periclitari quidem, et esse satis in momento variabiles, sed non desperatas, sicut multi praetendunt. Quinimo si quod dictum est, *hoc anno* successu non caruerit, et Sedis Apostolicae atque aliorum Principum subsidia juxta atque Angliae dissidia continuata fuerint, sperandum est cum probabilitate fore ut biennio vel triennio totum Regnum fidei Catholicae comparetur, et vires in Scotiam vel in Angliam trajiciantur, unaque bellum illo transferatur, et eodem fides reportetur, quod Iberniae gloriam, et ad tempus pareret tranquillitatem. 8 Januarii 1648." Hactenus illa relatio, quae Romae per tabelliones recepta Oratoribus secus forte Regni statum exposituris fidem praeripuit, sicut ex responsione 4^a Maii facta colligo.

(45) Praeter hos Legatos ab universo Regno Romam destinatos, allegarunt eodem Eugenius O Nellus et Episcopus Clogherensis P. Bernardum Davetum, Jesuitam, scriptis ab Eugenio ad Suam Sanctitatem his literis:

"Beatissime Pater.

"Pater Bernardus Davetus nomine meo deosculabitur Sanctitati Vestrae pedes, cum id mihi ipsi non permittat praesens sacrum Iberniae bellum. Ita ipse est in publicis Regni rebus et in meis privatis versatus, et ea est religione et prudentia ut illi omnia commiserim, quae confidenter Sanctitati Vestrae communicata peropto, et a quibus non dubito hujus Regni salutem pendere. Rogo Sanctitatem Vestram dignetur illi eam adhibere fidem, quam mihi ipsi adhibere dignaretur. Deus Opt.

Max. Sanctitatem Vestram orbi universo et huic Regno prae-
cipue diu faeliciterque conservet.

Castlereban,
4 Februarii, 1648.

Sanctitatis Vestrae
Obedientissimus et humillimus servus,
Don Eugenius O Nellus."

(46) Clogherensis etiam literis 30 Januarii ad Suam Sanctitatem datis et uterque binis aliis ad D. Albitium praefatae Sacrae Congregationi rerum Ibernicarum tunc a Secretis, nunc vero S.R.E. Cardinalem meritissimum, exaratis eidem Patri Daveto fidem astruxit. Quas tres posteriores, cum nihil aliud contineant, brevitatis studio in medium non produco.

(47) Ad Oratores in Galliam dirigendos jam transeo. Circa quorum atque Oratorum Romam destinandorum Instructiones Nuncius et Cleri Congregatio 4 | Januarii Kilkenniae ita deliberarunt, ut tunc citra dilationem duxerint subscribendum Instructionibus Oratorum Romam sed non in Galliam mitten-
dorum donec *Clerus saltem in considerabili numero con-
veniret*. Quo etiam die decretum a Clero quod eodem modo *procedendum esset circa commissiones dandas Agentibus ituris ad Reginam et Principem, et ituris ad Suam Sanctitatem*. Quod intelligendum puto in hunc sensum, nempe easdem omnino propositiones a Clero inserendas utriusque Legationis Instructionibus a Magistratu Civili communicatis. Porro 18° Januarii praesidente Nuncio frequentior Cleri Congregatio Kilkenniae Instructionibus Gallicanis jam a se reformatis subscrispsit, tradiditque Instrumentum Episcopo Dromorensi monito ne Agentibus in Galliam ituris daret, nisi prius exemplari earundem accepto chirographis Agentium firmato. Quod ille eodem die acceptum ex ejusdem Congregationis decreto ad Nuncium retulit. Itaque exemplari a se tradito subscrispsit Clerus, et ei quod Clerus recepit, tres Agentes in Galliam destinati calculos apposuerunt, ut utrinque esset unde fieret convictio, si vel Agentes Instructionibus non starent, vel Clerus postea aliquid ulterius postulandum censeret. In quo ab ambabus partibus ex aequitate et prudentia processum est. Instructiones illas ex ipso autographo Anglicano, quod tres Agentes in Galliam destinati calculis munierunt, et Clero tradiderunt, hic Latine verto. Praemoneo autem titulum respicere ad alterum earundem exemplar, cui non tres Agentes,

1253
v

sed Magistratus subscripserant, et Agentibus in normam prescripserant.

Kilkenniae 18 Januarii 1648.

"Per Supremum Concilium, et alios Dominos Spirituales et temporales hic infrascriptos, et Municipes Confaederatorum Catholicorum Iberniae.

" Instructiones prosequendae, et observandae a D. Marchione Antrimiae, D. Vicecomite Muscrae, et Zepherino Brouno Armigero, Commissariis constitutis et autorizatis per, et ex parte Confaederatorum Romano-Catholicorum Iberniae, allegatis et ad suam Excellentissimam Majestatem Reginam Magnae Britanniae, Franciae, et Iberniae, et ad suam Celsitudinem Principem Walliae.

(48) " 1. In primis facturi estis vestram applicationem ad suam Reginam Majestatem Reginam nostram, et ad Principem Walliae, quibus hujus Regni statum et conditionem representabis in Confaederatorum Catholicorum utilitatem, quam possitis, maximam.

(49) " 2. Urgebitis, et insistetis iis concessionibus, et conventionibus in materia religionis, et in earum securitatem, quas Sua Sanctitas approbabit, et quibus ipsi satisfiet. |

1254 (50) " 3. Quandoquidem nostris Instructionibus, per nostros Commissarios ad Suam Sanctitatem allegatos missis, expressimus nobis visum esse idoneum insistere (quo conventiones, de quibus circa religionem conventum fuerit, sartae tectae reddantur) ut D. Prorex, Deputatus, vel alias hujus Regni praecipuus Gubernator, sint Romano-Catholici, nisi Sua Sanctitas, statu, quo res hic sunt, reprezentato, vel aliqua alia ratione aequum judicaverit delere illam propositionem. Eapropter praefatae sua Majestati et Princi (quo caveatur ne ille Regiminis locus in ullum alterius religionis conferatur) notum facietis, eidem articulo insistendum esse nisi Sua Sanctitas judicet esse cur expungatur.

(51) " 4. Suae Majestati et sua Celsitudini declarabitis omnes concessiones ad religionem Catholicam in hoc Regno stabilendam faciendas et paciscendas, eodem tempore, quo temporalium rerum pacandarum articuli promulgabuntur, esse publicandas, nisi Sua Sanctitas ad relationem status rerum, vel ob aliquod aliud commodum, duxerit expedire ut earum, vel aliquarum ex ipsis publicatio ad tempus differatur, vel suspendatur. Et illa

ex parte sic ineunda vobis est ratio, ut inter concordandum in Gallia res rata habeatur.

(52) " 5. Suae Majestati et sua Celsitudini exponetis praesens Regimen nullo modo hic mutandum vel alterandum esse donec articuli pacis et accommodationis juxta praesentem autoritatem et Instructiones, quibus muniti estis, conclusi, perfecti, et promulgati fuerint in hoc Regno ab iis, quibus credita est autoritas in Confaederatos Catholicos.

(53) " 6. Animadvertisendum vobis est Concilium Residens, et jam nominatum, esse eos, quorum erit Rempublicam interea moderari usque ad proxima Faederatorum Catholicorum Comitia Generalia, et integrum esse Comitiis ut, si libuerit, alios cooptent, nullumque actum vel mandatum obligatorium durante praefato intervallo statuendum esse a paucioribus quam octo concurrentibus ex dictis Residentibus.

(54) " 7. Absolvenda vobis sunt vestra negotia cum sua Majestate et Principe secundum vestras Instructiones omni (quoad ejus fieri potest) festinatione postquam receperitis Roma decisiones super rebus relatis ad Suam Sanctitatem.

(55) " 8. Si a vobis, vel quovis alio ex vestris in Commissione collegis pecuniae in Gallia dono, oppigneratione vel aliter receptae fuerint, easdem huc afferetis, vel mittetis ad eos, qui in autoritate constituti sunt, easdemque illic non disponetis, nec ullam earum partem nisi ex mandato Comitiorum Generalium vel Supremi Concilii, quibus ejusdem rei reddenda est ratio.

(56) " 9. Postulabitis, et insistetis iis conditionibus, pactionibus, et concessionibus circa temporalia, quales in pacis nuper proscriptae articulis continentur, et operam dabitis ut eas ulteriores obtineatis conditiones, quas | Nationi utiles judicabitis; in meliorem autem vestri informationem accipietis vobiscum factas super illis articulis observationes, et instructiones mense Decembbris 1643 Waterfordiae traditas, Glamorgani quoque concessiones, nec non pacis nuper rejectae articulos typis mandatos.

(57) " 10. Instabitis ut omnia castella, municipia, possessiones, tenementa, et haereditamenta cuicunque indigenarum Regni ab anno 1^o Regis Jacobi sub praetextu ullius confisctionis vel *Plantationis* ablata, et mense Octobris 1641 ad quemcumque exinde vel nunc adversanti nobis parti adhaerentem spectantia, et ex quo bellum hoc caeptum est, hosti Parlamenti Anglicani partes sequenti erepta, relinquuntur, et assignentur continuanda in manibus et possessione aliquorum ex indigenis,

1254

v

quorum majores respective ejusmodi castellis, municipiis, possessionibus, tenementis, et haereditamentis primitus excussi fuerint. Adversae autem partis sit eadem ab indigenis repetere via judiciaria, et in quacunque lite, vel litibus in eum finem inchoandis, nullum Parlamenti actum, tabula memorialis, vel alia causa quaecunque allegetur, praeter titulum, quo *Plantatio* decreta fuit, confiscationem et literas patentes insuper concessas. Indigenae autem adversus omnem ejusmodi confiscationem, titulum, et literas patentes allegent suam refutationem, redargutionem erroris, omnesque exceptions et praejudicia, quae ex Regni lege militent in omnem ejusmodi confiscationem, titulum vel literas patentes, nullumque *ex duplice causa recordationis* derivetur ejusmodi praejudicium, quo parti praeccludatur facultas procedendi ex mera aequitate.

(58) " 11. Pari modo instandum vobis erit ut omnis persona et personae ex indigenis hujus Regni, quorum majores ab eodem anno 1° Regis Jacobi suis patrimoniis spoliati fuerant, et quorum patrimonia modo jam dicto nec recuperata sunt, nec ante proximum Parlamentum recuperata fuerint, facultatem habeant in dicto Parlamento libero, vel in quacunque alia idonea curia, vel curiis forensibus litigandi, prosequendi, et recuperandi sua respective jura et patrimonia *Plantationis* vel confiscationis titulo ablata vel ipsis, vel ipsorum respective praedecessoribus, vel cuicunque ipsorum a praefato anno 1° Regis Jacobi, et inter eandem disceptationem nullum statutum, *Plantatio*, literae patentes, recuperationes multatitiae, *officia*, sententiae judicariae male fundatae, falsae confiscationes, *duplices causae recordationis*, vel alia exceptio ab anno 1° Regis Jacobi jam dicto sancita, facta, censa, tolerata, habita, lata, vel oborta ipsis, vel ulli ex ipsis sit obstaculo, remorae, vel praejudicio, sed ipsis, et ipsorum quilibet lite prosequantur et recuperent sua respective jura in proximo Parlamento libero, vel quacunque alia idonea curia, vel curiis judiciariis. |

1255 (59) " 12. Similiter instabit ut quicunque ex adversis partibus vel hostibus ullum ex praefatis castellis, municipiis, possessionibus, tenementis, et haereditamentis possident, si pacem antea concludendam, vel in proximo Parlamento libero in hoc Regno stabiendum acceptare, vel ei morem gerere detrectaverint, ad ejusmodi inficiationem cadant omni jure, et possessionibus in praefatis, et indigenae, quorum praedecessoribus eadem a praedicto anno 1° Jacobi Regis ablata sunt, in eorumdem respective possessione, ubi eadem adversis partibus jam

dictis erupta fuerint, collocentur, et unum vel plura Parlamenti acta in hunc scopum ferantur in prima proximi Parlamenti liberi sessione.

(60) " 13. Valde serio, et quantum per Regni securitatem vobis licebit, insistetis propositionibus exhibitis a Rogero Morrio, Ioanne Lacio, et Antonio Morrio circa possessiones, quibus spoliati sunt.

(61) " 14. Desiderabis ut ii ex Confaederatis Catholicis, qui suorum in Anglia patrimoniorum jacturam fecerunt, obtineant, ubi pax conclusa fuerit, aequivalentem compensationem in Ibernia ex possessionibus, quae ibi spectarunt ad eos, qui stant a Parlamenti partibus, vel ab aliis suae Majestati in Anglia adversantibus, et omnem operam navabitis ut hoc impetratis.

(62) " 15. Ubi hae conditiones concessae fuerint, rogaturi estis ut firma pax in hoc Regno stabiiliatur.

(63) " 16. Si pax obtineri queat, in ejusdem tractatu et progressu Reginae et Principi referetis Regni necessitatem, et imminens Nationi periculum succumbendi hosti, nisi ipsis cooperantibus, et interveniente suae Majestatis autoritate aliquis excogitur modus, quo hostiles in hoc Regno agri oppignerentur, vel aliqua alia reperiatur via procurandi subsidia, vel si opus fuerit dandi hypothecae Catholicorum Confaederatorum agros in Regni praeservationem.

(64) " 17. Si autem impraesentiarum cum illa praeservandi probabilitate nulla pacificatio obtineri potest, vel defectu facultatis in eum finem a sua Majestate derivatae, vel ob conditionem in qua modo Rex positus est, vel ob qualemcumque aliam rationem ipsis melius notam; tunc exposituri estis evidens esse nos absque subsidiis, quibus bellum hic adversus hostem supportetur, non fore pares nobis ipsis defendendis, vel Regno suae Majestati conservando, proindeque Regina et Princeps rogandi sunt ut vobis in auxiliis impetrantis assistant. Et in hoc curandum vobis erit ne vobis ullo modo conveniat cum nostris Commissariis Romam, in Galliam, et Hispaniam destinatis, quorum instructionum exemplar vobiscum afferetis in Faedatorum Catholicorum processuri utilitatem quam possitis maximam.

(65) " 18. Si nec ejusmodi pacificatio, nec alia praeservationis media (sicut jam dictum est) procurari queant, tunc suae Majestati et suae Celsitudini | notum feceritis eas esse conditionis, ad quam redacti sumus, angustias, ut nos cogant ad asciscendum Protectorem. Circa quam deliberationem nomine et ex parte

Faederorum Catholicorum protestabimini, non obstante quacunque ejusmodi protectione, plenam ipsorum voluntatem et sententiam esse, ut in obsequio persistant, seipso praeservent, et Regnum retineant suae Majestati.

(66) " 19. Cum nostris Commissariis Romam, in Hispaniam, et Galliam missis fovebitis consiliorum vices, quo omnes procedatis mutua cooperatione in majus Faederorum Catholicorum commodum.

(67) " 20. Antequam Faederatos Catholicos ulli obligaveritis Protectori, tentandum vobis est nunquid ab aliquibus ex Catholica nobilitate Gallicana, vel aliis Romano-Catholicis aliquot nec mediocres pecuniae summas mutuo accipere valeatis, tradendo ipsis in solutionis securitatem hostium latifundia, punctiones, loca piscaria, Catholicorum (si necessum fuerit) patrimonia, et (excepta Duncana) praesidia.

(68) " 21. Animadvertis nec Faederatos Catholicos Protectori devinciendo nisi casu quo nulla alia praeervationis ratio procurari queat; nec tradendum esse a Regno in ejusmodi Protectoris cujuscunque manus aliud quam hostiles agros, punctiones, loca ad piscandum nata, Catholicorum (si necessitas urserit) possessiones, et (excepta Duncana) praesidia hypothecae danda in cautionem rependendi eas suppetias et auxilia, quae Protector suppeditaverit.

(69) " 22. Modo Rex in Gallia, vel in Jersia, vel alibi, ubi ad ipsum convenienter applicatio fiat, se teneat, vestrae relinquitur maturae optioni, ut cum ipso agatis, vel cum Regina et Principe sicut antea praescriptum est.

(70) " 23. Tractabitis circumstantiam vestri modi procedendi circa has instructiones sicut praesentes judicabitis magis profore Confaederatis Catholicis.

(71) " 24. Qui in *Aula Anglicana* erunt (nisi pacificatio fieri, et subsidia ad nationem in tuto ponendam sufficientia procurari queant) Reginae et Principi notum facient Suam Sanctitatem a Natione in Protectorem esse cooptandam. Quo facto mox illi qui in Aula Anglicana versabuntur, iis qui Romae erunt, significabunt tunc certo esse tempus agendi omni instantia cum Sua Sanctitate, ut *Protectoratum* assumat, eo modo, quo Nationem ab excidio praeservet. Si autem Sua Sanctitas *Protectoratum* respuerit, Suae Sanctitatis commendatio ejusdem (*Protectoratus*) ad eum Principem Christianum, qui maximopere assistat, postuletur, si iis qui Romae erunt idoneum visum fuerit commendationem illam postulare. Tunc autem illi qui Romae et

in Gallia erunt, et Agens in Hispaniam destinandus, talem in Protectorem electuri sunt Principem, vel Principatum, qui Nationem melius servet juxta mentem Comitiorum.

(72) "Hoc est verum exemplar praefatarum instructionum.
Antrimius. Muscrius. Zepherinus Brounus." |

(73) Ut autem Propositiones a Clero Instructionibus insertae 1256 dignoscantur, schedulam Italicam huc spectantem, quae mihi in Nuncii Scriniis occurrit, hic Latine verto:

"Aliquot Propositiones factae a Congregatione Episcoporum Iberniae Legatorum Instructionibus adigendae.

(74) "1. Ut fiat in Gallia et Romae instantia ad obtinendum Proregem Catholicum, nec acceptetur, si fuerit ex Protestantibus.

(75) "2. Ut non publicentur articuli Pacis politicae, nisi una promulgatis illis qui ad religionem pertinent, et aliter pax non admittatur.

(76) "3. Ut non invitetur, nec veniat Princeps Walliae nisi prius stabiliti et acceptati fuerint praefati articuli temporales et spirituales.

(77) "4. Ut non possint hypothecae dari possessiones, Castella, vel aliud in Regno sine Concilii licentia per octo suffragia.

(78) "5. Ut exercitus sint semper penes Praefectos Generales Catholicos.

(79) "6. Ut Oratores, si pecunias mutuo acceperint, eas debeant schedulis collybisticis in Iberniam transmittere, et non aliter tangere vel divertere.

(80) "7. Ut solum apud Suam Sanctitatem, et ante omnes alios fiat instantia quatenus acceptet Regni *Protectoratum.*"

(81) Hactenus illa schedula, ad cuius calcem lego omnes illas propositiones fuisse admissas, *cum aliqua verborum mutatione*, quod easdem cum Instructionibus comparanti patebit. Porro mihi non liquet nunquid praeter has mense Decembri admissas Cleri propositiones ulla alia in progressu examinis et disceptionis ad ejusdem Cleri instantias inserta fuerit Instructionibus vel Romanis vel Gallicanis Clero quidem die 22 vel 23 Decembris 1647 ex Comitiorum Generalium altera die post finitorum praescripto communicatis, sed Romanis non nisi 4 Januarii, et

*Ep. 24
Dec. 1647.
ad Card.
Panzirol-
um. Reg.
p. 547.*

Gallicanis non nisi 18 ejusdem mensis 1648 ab eodem Clero post admissam plene suam censuram approbatis. Caeterum hic extra callem non erit sequens Nuncii Iberniae epistola ad Nuncium Galliarum Italice, et notis secretis tunc scripta:

Reg : p. (82) "Regnum mandat Episcopum Fernensem et Nicolaum Plunquettum Romam, et istuc Vicecomitem Muscriae, Mar-chionem Antrimiae, et Zepherinum Brounum. Habent in mandatis ut tractent reconciliationem cum Principe, et Regina Angliae, et Papae interventum adhibeant, cuius arbitrio capitula ad religionem spectantia relinquuntur stabienda. Nisi pax succedat, volunt postulare Protectorem et primus erit Sua Sanctitas. Nam obtinui ego ut instructionibus insereretur ut in omnibus recurratur ante omnes ad Suam Sanctitatem, et qui in Galliam mittuntur, nihil possunt istic nec incipere, nec finire, nec acceptare pacem, nec Regiminis mutationem, nisi ante omnia compactis Romae Articulis, et in seculo positis ad votum Suae Sanctitatis.

1256 Verum cum Muscruis et Brounus, qui | istuc pergun-t, sint Clero suspectissimi, et aperti pene inimici, dubitatur a multis ne (non obstantibus omnibus instructionibus) possint ex se ipsis ini-re aliquam deliberationem, et forsan hic conducere personam Principis antequam Romae aliquid statuatur. Quo tali malitia, quam possit optime, obvietur, Illustrissimam Dominationem Vestram ejus rei certiorem facio ut sciat et possit dicere iis, quibus expediatur, quicquid Roma non consentiente factum fuerit hic expositum iri multis periculis, sicut ipsam rogo ut si id contingat, subito certiorem reddat Suam Sanctitatem. Hoc totum Illustrissima Dominatio Vestra collegerit ex epistola non obsig-nata, quam 29 mensis praeteriti scriptam, ipsi misi tradendam Cardinali Mazarino, et cujus nunc transmitto alterum exemplar, ne forte primum non pervenerit. 9 Januarii 1648." Haec ille, cujus votis Nuncius Galliarum magno zelo respondit sicut inferius videbimus.

(83) Interea timor, qui Nuncium reddebat ancipitem, ne scilicet Ormonistae in Ecclesiae Ibernicae praejudicium antea Principem Walliae in Iberniam invitarent, quam conditions Ecclesiae proficuae obtinerentur, et executioni mandarentur, magna ex parte deferbuit ad 20 Januarii, quo tempore Marchio Antrimae Nuncio aperuit Principem sibi significasse ipsum in Iberniam non transmissurum, quamdiu ibi Nuncius resideret. Ex quo Nuncius magis persuasum habuit quod Romam scripserat, nempe Baronem Digbaeum et Equitem Digbaeum cum aliis conspirasse ad seipsum Ibernia deturbandum.

*Ep. 21
Jan. 1648
ad C.
Panz. Reg.
P. 575.*

(84) Inter haec Clero in id animum intende ut Oratores Romanii ante solverent, quam Gallicani, et Muscrio suis votis praetendente majorem navigationis securitatem, proindeque percupiente saltem una cum legatis Romanis transfretare, Nuncius controversiam diremit peracto ut relicta Muscrio atque aliis descendendi pro libitu facultate, Concilium Supremum ad Suam Sanctitatem literas dederit, quibus se ipsi de hac Oratorum promiscua discessione excusaret, et constanter affirmaret nec Muscrium nec alios sive prius sive posterius vela darent, aliquid in Gallia conclusuros, vel tractatueros, nisi praecognita Suae Sanctitatis voluntate. Regis etiam Christianissimi Agens apud Iberniam exinde iisdem diebus Reginae Angliae in Galliam scripsit monitam habens ut Proregem Catholicum in Iberniam destinaret, affirmans futurum ut aliter in Ibernia pacanda nihil proficeret. Nuncio etiam professus est se magnopere ejus aequo procedendi modo contentum, quod in Protectoris negotio absque personarum acceptione inter Coronas extereras se gessisset. Sed (addit tunc Nuncius) *cum ipse sui voti compos evaserit, mirum non est quod agnoscat sibi factum esse satis.* Porro Concilium circa expediendam Oratorum discessionem Nuncio, qui 25 Januarii Waterfordiam perrexerat, has eodem literas scripsit:

“ Illustrissime et Reverendissime Domine.

(85) “ Solliciti valde sumus de festina solutione et abitu nostrorum Agentium in Gallias; pecunias vero, quibus possent expediri, non habemus paratas, nec colligere possimus sine mora majori quam negotiationi conduceat. Cogimur igitur quaerere mutuas, et eo fine mittimus obligationem restitutionis faciendae super Provincia Lageniae. Agentes eandem obligationem Illustrissimae vestrae Dominationi ostendent. Si illam recipere et pecunias Agentibus suppeditare valeat Sua Gratia, faciet nobis rem gratissimam, et nullam patietur jacturam. Manus Illustrissimae Dominationis vestrae deosculamur, et omnem vovemus faelicitatem.

2 Januarii,

1648.

Illustrissimae ac Reverendissimae Dominationis vestrae
Addictissimi servi:

Joannes Tuamensis electus. Emerus Clogherensis.
Franciscus Aladensis. Henricus O Nellus.
Zepherinus Barron. Geraldus Fennell. Torloch
Boile.”

Ep. 16
Jan. 1648
ad Card.
Panziolum.
Reg.
p. 573.

1257

(86) Dedit Nuncius mutuo hanc pecuniam in Oratorum viaticum, quorum Fernensis et Plunquettus ad 10 Februarii Wexfordia navigarunt. Verum triduo circiter procellis jactati adverso vento Duncaniam repulsi sunt. Postridie etiam Muscrius et Brounus, qui altera navi ex sinu Waterfordensi solverant, eadem aurae inclemensia quassati redierunt. Refectis autem viribus Fernensis et Plunquettus 17 ejusdem mensis mari iterum se commiserunt, et in Galliam appulsi magnis itineribus Romam contenderunt Bononia, ubi a D. Neillo Glacano, Iberno Ultoniensi, antea in Tolosana, et tunc Bononiensi Universitate Doctore medico et celebri ejusdem scientiae Professore publico, humanissime tractati sunt, adeo ut nobilia tunc nec pauca Universitatis Bononiensis ingenia elegantem in lucem ediderint libellum exercitationibus literariis, praesertim stricta oratione variegatum, quo Confaederatis Iberniae Catholicis ipsorumque legatis flagrantissimum Ecclesiae asserendae studium, victorias ex haeretico hoste reportatas, et Legationes Romanas gratulabantur. Pervenerunt autem Romam Legati 23 Aprilis, a Pontifice, Cardinalibus, aliisque Praelatis ardentissimo causae Catholicae zelo incensis omni honore cumulati.

(87) Communicatum fuit Oratoribus Ibernis Romae quoddam scriptum Suae Sanctitati paulo antea porrectum a Kenelmo Digbaeo, Equite Anglicano, qui aestate anni 1646 secunda vice a Regina Angliae Orator ad Suam Sanctitatem allegatus, Romae exinde pedem fixerat usque ad paucas hebdomadas ante Oratorum Ibernorum appulsum, quo tempore scriptum illud Pontifici tradidit, in Galliam redditurus. De quo Fernensis ad Nuncium 27 Aprilis ex Urbe in Ibernam scribens: "Kenelmus (inquit) Digby, Eques auratus, post prolixum cum Sua Sanctitate (nomine Serenissimae Reginae) tractatum exivit male satisfactus. Etenim Sua Sanctitas bene de re tota informata noluit a bono Equite iudicari. Quapropter spe frustratus Kenelmus audacem, mendacem, prolixam, et acrem scripturam depositum ad pedes Suae Sanctitatis lingua Italica conscriptam." Haec Fernensis, qui cum Italicam linguam non calleret, scripturam illam a patriotis tunc Romae degentibus Anglice vertendam curavit, ut Latine refutaret, et ego eandem tunc Anglice versam hic (excepta ultima parte huc non spectante) Latine reddo, postea ad Iberos Oratores redditurus; sic enim fiet ut quid Kenelmus in Iberniae Confederatos et Nuncium toto illo tempore Romae molitus sit, et quo modo nostri Oratores circa suggestiones

ab ipso factas se gesserint, neminem lateat. Digbaeus ergo ibi Pontificem sic alloquitur:

Libellus Kenelmi Digbaei ad Pontificem.

“ Beatissime Pater.

(88) “ 1. Sinceritas et ingenuitas, quae ego semper praemetuli, et proprias non solum privati viri generosi, sed etiam publici Ministri status virtutes esse duxi, me impraesentiarum eo impellunt ut ponam ad sacros Tuæ Sanctitatis pedes breve compendium, vel summam eorum omnium, quae jam ab anno, et quod excurrit, in variis occasionibus ex mandato Reginae Magnæ Britanniae ita proposui, ut voti compos non evaserim.

(89) “ 2. Revocantur ad tria capita principalia, videlicet: suppetias pecuniarias a Sanctitate Tua in suæ Majestatis Anglicanae usum humiliiter petitas; res Iberniae cum quibusdam ad Illustrissimi D. Rinuccini personam, et negotia pertinentibus; et confirmationem Decani et Capituli in regimen Cleri Anglicani. In his omnibus instantiis (testis est mihi Deus) in id tantummodo animum intendi, ut me conformem redderem sanctissimis Reginae intentionibus, quae ab omni proprio commodo alienae sunt, praeterquam quod inter stellarum polarium circumferantur in publicum bonum Religionis apud Angliam, in quietem et securitatem Faederatorum Catholicorum Iberniae, in Sanctitatis Tuæ honorem et reputationem, et in Sanctae Sedis Apostolicae commoda, progressusque.

(90) “ 3. Primo considerandum relinquo, ubi Regina etiam ob negotia privata vel in novercantis fortunae levamen, se ad Sanctitatis Tuæ pedes prostravit pecuniam postulatura, nonne ejus natales, Regia dignitas, religionis zelus, filialis in Sedem Apostolicam affectio, exilium et infortunia eam ob causam tolerata atque ab haereticis infecta emollire deberent, et ad commiserationem flectere cor communis Patris Christianismi, quo liberales manus reseraret, et ejusmodi Reginam in extremis necessitatibus positam donaret aliquanta suorum amplorum thesaurorum, quos ipsius decessores Reges et Reginae Angliae jam a tot saeculis citra numerum aut reservationem (ut ita dicam) erogarunt, et profuderant in subsidium et conservationem Sanctae Sedis Apostolicae, et aliorum Summorum Pontificum, praedecessorum Tuæ Sanctitatis, idque eo magis quod haec liberalitas Ecclesiae hostibus aeque esset admirationi ac confusione, et ab omnibus Europæ Principibus gaudio applausuque

publico approbaretur et celebraretur. Sed (sicut ante dixi) Reginae magnanimitas non privatos sed publicos et sublimiores sibi fines praefixit, et consideravit. |

1258 (91) "4. Ab ipsis primis diebus, quibus sua Majestas in Angliam pedem intulit, haud ignoravit crudelissimarum legum, regnantibus moderni Regis Caroli, mariti sui, et mei Principis ac Domini decessoribus, in Catholicos latarum fundamentum fuisse inanem timorem, et vehementem suspicionem ex revolutione Iberniae sub moderamine Reginae Elizabethae secuta ortam, a Sede Apostolica Catholici Regis Hispaniae armis et censuris, excommunicationibus, depositionibus, atque amotionibus a Corona a Pio V. et Sixto V. (in eandem Reginam) fulminatis fotam, et viribus Hispanicis, nec non Philippi Secundi classe anno superioris saeculi octogesimo octavo ad Angliae Regnum invadendum et debellandum instructa auctam; nempe Pontifices Romanos animum non in aliam metam direxisse, quam ut sub religionis colore partes Catholicorum Anglorum in illo Regno foverent, qui mox atque ulla occasio nasceretur, invadentium alienigenarum vires et exercitus adjuvarent, cum adeo fuerint propensi ad deponendum et abdicandum Regno et regimine naturalem Principem sub obtentu restituendae antiquae religionis. Regina ergo, Serenissima Princeps mea, id inter omnes idoneas occasiones studuit ut Regis animum, et omnes ejus consiliarios ab admittendis hujusmodi sinistris cogitationibus dimoveret, ipsis persuadens Pontifices Romanos et Catholicos Angliae longe abfuisse ab ejusmodi consiliis et deliberationibus, nullumque fore, quo exterarum virium aggressionibus occurretur, medium motumque efficaciem, et mage securum, quam si leges paenales in Catholicos conditae defervescerent, detumarent, et mitigarentur, et amicabile cum Papa commercium haberetur. Adeo autem sua sapientia, et constante industria profecit, et magnis difficultatibus, quibus initio ab eo fine assequendo praepediebatur, superatis, ita processit ut demum mutua publicorum officialium Romae et Londini introduxerit commercia tanto Catholicae religionis profectu, ut Catholicorum numero (per favorem, benignitatem, et sagacem Regis procedendi modum extinguendis legibus paenalibus in eorum praejudicium latis) in dies crescente, haeretici in aemulationem venerint, et adeo inviderint, ut iteratis edictis palam fecerint Regi decretum esse mutare religionem, et Ecclesiae Romanae coalescere. Temporelam utilitatem nostrorum mercatorum Anglicorum commercio, et concursu in Centumcellarum Portu receptam silentio

praetereo, tanti factam, ut Cardinalis Cesi, nunc Thesaurarius, navium duces ad faelicis recordationis Urbani VIII. pedes deosculandos introduxerit, procurans ut aureis *medallis* donarentur, et Sua Sanctitas ulterioribus ipsos benignae mentis suae significationibus dignaretur. Venit etiam in deliberationem ut constans in hac urbe negotiatio statueretur, quae in singulare mercatorum, Ecclesiae clientum, lucrum, et in alia magna totius status Ecclesiastici emolumenta effectum facile sortita fuisset, nisi Angliae motus supervenissent. Sed ante omnia | maximi momenti fuit, quod hac mutua benevolentia ibatur viam Regiam ad 1258
mitigandos Protestantium animos, et ad imprimendam eorum cordibus bonam opinionem Catholicae religionis, et sectatorum eius, nec non sincerae et sanctae mentis Romanorum Pontificum. Et hunc quidem in modum Regina sensim sine sensu illis non animadvententibus progrediebatur procul faciens, quae retro temporibus Protestantium animos occupaverant, timores et suspiciones, et de die in diem magis magisque proficiebat, nulla e medio non tollens obstacula modo tam suavi, ut sua Majestas sperarit progrediente tempore excogitatum iri viam plenae accommodationis et reconciliationis cum Sede Apostolica. Nec ejusdem mutuae benevolentiae censendus est fructus mediocris, quod eadem Sedes suae Majestatis opera dissolvendum procuravit torrentem scandalosae dissensionis, quae primo inter Angliae Clerum et Missionarios Regulares exarserat, et se deinde per totam pene Europam diffudit, in magnam Ecclesiae perturbationem, easque laicorum Angliae ipsis associavit factiones, tanto fervore, studio, et animorum strenuitate ut magno scandalo noverint hujus Curiae praecincta et censuras cum inordinatis ipsorum desideriis non arriderent, vilipendere, donec amica consiliorum responsio, quae Reginae cum Urbano VIII^o intercesserat, has omnes confusiones dissipavit.

(92) "5. Hi omnes effectus praefatae correspondentiae pro praeterito, et spes majoris, nedum similis, in futurum eo impulerant Reginam, ut etiam post ortos Angliae motus *Residentem* Romae habere voluerit. Validae quidem rationes contrarium suadebant, et Rex metuens ne Parliamentarii, qui sub nimii commercii cum Papa excludendi praetextu rebellare caeperant, bellum eadem larva continuarent, et motibus Ibernicis partim in suspicionem adductus, atque alteratus, in omne cum Roma amputandum commercium haud mediocriter propendebat. Verum in ea deliberatione manus dedit industriae et diligentiae Reginae securum reddentis Regem, maritum, de spe et promissionibus

ipsi factis a Sanctitate Tua, scilicet suam ipsius mutuam cum tua Sanctitate responsonem benevolentiae non pericula, nec detrimenta, sed magnos profectus, et firmum adminiculum sua Majestatis rebus in Anglia atque Ibernia parituram. Credendum erat Reginæ ultra jam dictas pollicitationes fore, ut quo magis Regis mariti et Principum liberorum fortuna prostrata jaceret, eo promptior ille esset ad obtemperandum Sanctitati Tuae, tempore ad ipsum gratiis, favoribus, et subsidiis demerendum opportunissimo; cum solenne sit hominibus, ut magis agnoscant, et pluris faciant beneficia atque officia ipsis exhibita in adversitate, quam quae praestantur in prosperitate. Pene certo tenebatur in ejusmodi occasionem, qua Catholicismo, quod Papæ adhaeretur, evidens ruina imminebat, Suam Sanctitatem prompte consensuram in aliquid ex sua satis nota abundantia tali magnæ Reginæ ad arctas adeo angustias redactæ elargiendum, quo locus non esset suspicandi Sedem Apostolicam aliorum bona appetere. Cuncta | subsidia, quae in his circumstantiis a Sanctitate Tua subministrarentur, Regem, Reginam, liberosque insigniter confortarent, Catholicis gloriam procrearent, partibus Regiis animum adderent, et consternarent Parliamentarios, qui etiam, ubi Papa velut Christi Vicarius, quem omnes orbis Christiani Principes reverentur, huic negotio se immiseret, timerent ne perniciosissimum undique in se bellum accersirent, suaque Majestas id præviderat quod ex hoc fonte originem derivavit, nempe quod Parliamentarii, quo impendentia sibi pericula declinarent, compulsi sint ad agendum de pace modo magis tolerabili et favorabili cum Rege et Catholicis.

(93) "6. Quod ad Ibernam spectat, sicut Faederati a Faederis initio ad Sedem Apostolicam recursum habuerunt, sic Regina pro certo tenuit Sanctitatem Tuam prudentibus vii id effecturam, ut stabilita in illo Regno secura pace in favorem liberi exercitii Catholicae religionis (cum certa cautela, qua bellis et futuris ruinis obviam iretur, cum nimis multi illius nationis rebus hodie se immiscere videantur) unanimi consensu suas omnes vires converterent in utilitatem Catholicorum Angliae, qui omnes concorditer procedebant in conjungendo religionis profectu cum prospero successu Regis et Monarchiae, idque ipsum absque ulla exaggeratione de Regina prædicare possumus, scilicet quod sua Majestas, etsi nulli Principi, quaecunque illa sit, debita Regi et marito affectione atque amore cedat; nihilominus semper (et specialiter post Angliae motus) perinde se gesserit, ac si

nulli alteri obnoxia esset obligationi quam illi, quae est sponsae et filiae Ecclesiae Catholicae.

(94) "7. Has ob considerationes atque causas, et ad reddendam Sanctitati Tuae rationem ejus quod circa articulos a Sanctitate Tua propositos ut a Regina executioni mandarentur, successerat, sua Majestas impulsa fuit ad me iterum destinandum ad pedes Tuae Sanctitatis, et non ob aliud commodum tam certo (ne dicam aliter) quam liquet alios rei notitia falso imbutos secus imaginari. Porro humiliter Sanctitatem Tuam rogo, ut sibi persuadeat tanto esse Reginam stemmate et magnanimitate, ut centum scutorum millia in suae humilis postulationis mercedem sufficere non arbitraretur, nisi aliquibus aliis sublimioribus rationibus urgeretur. Itaque his modernis boni communis stimulis actus ipse in tota mea legatione ita egi cum Tua Sanctitate, ut testimonium mihi perhibente mea conscientia, testificari et legitime et credibiliter asseverare valeam, quam reluctanti animo hanc legationem et provinciam susceperim, cum jam diuturna me docuerit experientia amare potius solitudinem et secessum, quam tractare res aulicas.

(95) "8. Sed (ut ad scopum regrediar) cum tot incassum menses me Romae fatigassem, Regina ineunte aestate mihi injunxit ut ab hac Aula discederem, et mense Iunio mea jam disposui et me ad abscedendum praeparavi, cum ob subitam exercitus Parliamentarii revolutionem, et per Regis liberationem a Puritanorum manibus res ita mutarunt faciem ut Divina Providentia ex bonitate et clementia extraordinaria inter Sanctitatis Tuae manus collocasse videatur | occasionem et opportunitatem, 1259 v
qua in aeternam tui Pontificatus gloriam possis promovere res Catholicorum Angliae, componere res Ibernicas citra sanguinis effusionem, et sine periculo exponendi Te magnis sumptibus, eventis, et ulterioribus discriminibus, et fixam stabilire correspondentiam cum Corona Angliae in Sedis Apostolicae bonum et utilitatem in iis, quae nedum ad spiritualia, sed etiam pertinent ad maximi momenti commoda et profectus temporales. Quare Regina cum crederet esse tempus, quo non posset ulterius metuere, nec ulla tenus dubitare quin articuli a Tua Sanctitate, cum hic Romae prima vice me tenerem, propositi locum haberent, et effectum sortirentur, mihi praecepit ut abscessum differrem, et novas facerem instantias ad obtainendas suppetias pecuniarias, si non prorsus juxta contentas in articulis jam dictis pollicitationes et conditiones, saltem vel semel, et per modum provisionis, vel certe per modum subsidii et tanti ut adjuvaretur

exinde Regina ad suscipiendam sustentationem et impensas necessarias et ad sustentandum et conservandum in illa occasione et temporis opportunitate in beneficium religionis, partes Catholicas, et earum fautores a suae Majestatis nutu pendentes. Cujus rei multam et magnam mihi spem facere dignata est Sanctitas Tua in diversis audiensiis.

(96) "9. Hoc tempore pro copiarum militarium vicissitudine sub Praefecti Generalis Farfaxii imperio, duae potentissimae factiones, Independentes scilicet et Praesbyteriani, palam sibi invicem adversabantur, et utraque partium caepit magni facere, et sibi conciliare Catholicos Angliae atque Iberniae Confaederatos, considerans in ipsis vires, quibus pollerent, vel commoda, quae sunt ipsis propria, aut extrinseca et extranea, idque ex proposito liberam ipsis concedendi religionis exercendae facultatem, dum securum et solidum jacere possent fundatum, quod in ipsorum redundaret utilitatem, et causam promoveret. Hac nata occasione existimavit Regina se (modo competens pecuniae summa suppeteret, et certum Sedis Apostolicae auxilium non deforet) partes Catholicas effecturam adeo potentes, ut brevi temporis spatio a praefatis factionibus leges non reciperent, sed leges ipsis et conditiones dicerent omni illa cautela et securitate, quam humano modo possent desiderare, cum ex altera parte timeret, ne Catholicae partes ejusmodi autoritate atque ope destituae contemnerentur, et nullo numero haberentur, et tam Angliae quam Iberniae Catholici in ipsorum conventionibus excluderentur omnibus favoribus et gratis, et Anglii Catholici antiquis, iisque maxime severis, legibus in ipsos latis obruerentur; atque Iberniae Catholici relinquerentur obnoxii bellorum ruinis, quibus ab unitis Angliae et Scotiae viribus infallibiliter involverentur; idque ita ut ex una parte Sedes Apostolica nationem illam tantopere Tuae protectioni devinctam, cum eam tua ipsis authoritate ad omnem cum partibus Anglicanis accommodationem amputandam impuleris, non desereret nec derelinqueret; et ex altera parte nullum quantumvis magnum subsidium a Sanctitate | Tua suppeditandum sufficeret ad obviandum inevitabili, quod ipsis immineat excidio, sed potius ipsum augeret miserias cum extrema fidei Catholicae, et nominis Ibernici in illo Regno exterminatione atque omnimoda extirpatione.

(97) "10. In nullum alium finem, quam ob has causas Regina, suprema Princeps mea, humiliter petuit, et adhuc implorat suppeticias numarias una saltem vice, et ut aliquis

idoneus destinetur Minister (Apostolicus) qui pactionibus assistat et attendat, quo res ad Catholicos suae Majestati subditos spectantes hunc in modum faeliciter componantur, et Sanctitas Vestra suam ab omni alia molitione reputationem purget, in religionis profectus et continuationem mutuae inter Romam et Coronam Anglicanam correspondentiae, quae (sicut hodie homines singulari sapientia et diurna superiorum temporum experientia praediti mature considerant) magno in diversis occasionibus praesidio et summo Sedi Apostolicae posset esse emolumento. Cum enim Anglia sit terra marique adeo potens, si suis ad nutum imperaret viribus (violentia autem et discors conditio, in qua jam posita est, perpetua esse nequit) posset quocunque vellet tempore (sicut nunquam hactenus non praestitit) aliorum Monarcharum vires ponderare atque expendere, et bilancem, quo inclinanda esset, detorquere; et sicut vidimus Regem Daniae cooptatum fuisse in unum ex mediatoribus pacis in congressu Monasterensi, simile succedere posset Coronae Anglicanae, quo casu quam magni referret bonam cum eodem Regno fovere correspondentiam ad stabiliendam pacem universalem in honorem et utilitatem Sedis Apostolicae. Praeterea siquod Regnum in suis dominiis oppugnaretur, alii Principes (sicut temporibus antegressis evenerat, et futuro evenire posset) Mari Anglicano partibus subsidia, apparatus bellicum, et vires suppeditare possent, freti tanto numero Phaselorum, magnarum navium, et potentissimarum virium maritimarum, quibus praeformatum Regnum gaudet. Cujus insigne sunt documentum, et fidele in aevum ferant testimonium ampla auxilia ab Henrico 8° missa Clementi VII. in angustiis constituto.

(98) " II. Multa alia super hoc maximi momenti articulo mihi occurrerent, sed ne Sanctitati Tuae sim taedio et fastidio, non nulla super eo praecipue consideranda mihi sufficit insinuasse, cum ea sit eximia sapientia et perspicacia Tua ut magis exigat et postulet colloquium, quo Tibi cujuscunque negotii conditio explanetur, quam res diligentius et maturius perpendendi occasionem. Quapropter ad secundum punctum, quo res Ibernicæ, et non nullae considerationes ad Illustrissimum D. Rinuccinum, Tuae Sanctitatis in Ibernia Nuncium, spectantes tractantur, digrediens, Tuae Sanctitati cum debita submissione repraesento quo pacto illius Nationis motus (sicut superius tetigi) id effecerint, ut Regis animus in magnam venerit suspicionem, multos scilicet inter ipsos, qui jam a Reginae Elizabethae diebus

1260 excutiendi jugum, et separandi se a | Corona Anglicana
 v opportunitatem complecti consueverant, jam velle ejusmodi et
 occasiones captare, et nutrire cogitationes. Regina quoad potuit
 operam dedit ut hanc a Regis animo suspicionem et timorem
 amoliretur, ipsi persuadens hanc machinam a Pontificia depend-
 dere authoritate, proindeque fore non posse, quin in suaue
 Majestatis commodum et utilitatem redundaret. Verum nescio
 quo modo omnes deinde secutae occasiones non potius auxerunt
 quam imminuerunt suspicionem. Barbara et inhumana crude-
 litas initio insurrectionis Faederatorum Ibernorum perpetrata in
 Anglos inermes tunc cum in Ibernia essent, et nulla data
 occasionis umbra inter ipsos quiete vitam degerent, legationes
 decretae ad exterros Principes et Coronas, quo ad societatem
 allicerentur, et diffidentia ac dubitatio qua cum Regina egerunt,
 et palam procurarunt ut in omni negotiorum spiritualium et
 temporalium administratione (sua Majestate nec conscientia, nec
 consulta) procederetur, Regi et Reginae pepererunt cogitationes et
 suspiciones procrearunt, quas ab initio non conceperant. Nihi-
 lominus Regina in sententia perstabat, et constanter credebat
 futurum ut Sedes Apostolica omnino illius Regni perturbationes
 ita moderaretur, ut demum consentirent in pacem et concordiam
 cum partibus regiis, qua utrinque coirent, et concurrent ad
 stabiliendam securitatem libertatis conscientiae pro Confaederatis
 Iberniae ad efficiendam Catholicorum Angliae conditionem
 meliorem, et ad procurandum ut Rex in suam authoritatem
 restitueretur, adeo ut ipse in sua persona cum liberis perpetuae
 esset obnoxius obligationi agnoscendi Tuae Sanctitatis bene-
 dictum, et respondendi votis Sanctitatis Tuae in qualibet occasione
 circa Catholicos in ipsius dominiis, vel circa Sedis Romanae
 profectum cum omni vera et sincera voluntate. Regina eo magis
 hoc sibi persuadebat, quod prima vice, qua ego Romam veneram,
 Sanctitas Tua se adeo benignam et liberalem ostenderit, pro-
 mittens large omnem ex tua parte assistentiam. Rex etiam
 Reginae opera rei notitia imbutus ex altera parte vicissim
 promisit se non commissurum ut ipse humanitate et beneficentia
 superaretur. Verum (sicut ante dixi) occasiones quae acciderunt,
 praesertim ex quo Illustrissimus D. Rinuccinus in illius Regni
 Nuncium nominatus erat, non solum primam bonae voluntatis
 inclinationem et confidentiam expugnarunt, fregeruntque, sed
 etiam magnopere praefatam confirmarunt auxeruntque sus-
 picionem.

(99) " 12. Mihi scopus non est decidere verum an falsum

sit id quod experti et perfamiliares affirmant de Illustrissimi D. Rinuccini natura, qualitate, indole et dispositione; nempe ipsum *caeremoniis*, argutiis, propria affectatione, et perpetua ductum consuetudine fingendi vel imaginandi abstractas chymeras et conceptiones sibi peculiares, magis esse idoneum ad concitandas discordias et fovenda dissidia quam ad accommodanda et componenda ardua et magni momenti negotia. Id tantum dicam quod successit, ubi in Ibernia Nuncius ascitus fuisse. Declarat 1261 antequam Roma discederet, se nullum in itinere | nec familiae, nec comitatui ascripturum ex natione Anglicana. Antequam Parisios pervenerit, magno gaudio ad amicos Romae degentes scripserat quandam civitatem (quod tamen falsum erat) interceptam fuisse proditoria machinatione Confaederatorum Iberniae dum inducias et armorum cessationem cum partibus Regii continuarent, et de rebus componendis et pace inter ambas partes contrahenda ageretur. Cum Parisios, ubi plures menses commoratus est, appulisset, nunquam dignatus est, non dico cum Regina rem ullam quae ad ipsius Nunciaturam, vel sui missionem spectaret, communicare, sed ne revereri quidem vel semel visitare suam Majestatem titulo urbanitatis, perinde ac si non ad ejus subditos sed ad capitales hostes proficiseretur. Appulsus in Iberniam omni studio conatus est impedire et interrumpere tractatum pacis cum Rege jam absolutae, et perductae ad perfectionem, atque ad finem desideratum. Quando in pace jam dicta dissolvenda suos conatus efficaciter collocaverat, se ostendit successu valde laetum, et supra modum gavisus est, sicut ex literis ab isto Lutetiam Parisiorum scriptis, deindeque Reginae monstratis liquet. Et cum veritate dici potest, ipsum in illo Regno negotia tractasse potius cum sceptro Regio, quam cum pedo pastorali, et in id animum intendisse ut potius supremi Principis Iberniae Minister in rebus temporalibus, quam Papae Nuncius haberetur in spiritualibus. Se ipsorum Concilii Praesidem effecit. Supremi Concilii status negotia tantopere moderatus est ad suum arbitarium beneplacitum. Et progressus est in regendo ut quicunque ipsorum mentem ejus non secundarent, licet generis nobilitate, sequacium adhaerentia, prudentia et religionis zelo essent praestantiores, eo solum quod se palam exhibuerunt fideles naturali Principi subditos, et suaे ipsorum patriae tranquillitatis studiosos, mox in carcerem fuerint contrusi, et ab ipso in custodiam dati magno scandalo et imminentे discrimine perturbationum et dissidiorum in Natione. In summa sibi assumpsit dominium despoticum in civilibus et militaribus, dando

mandata, commissiones, et literas patentes sui ipsius calculo munitas, sicut etiam in bellum maritimum potestatem fecit. Appulsus in Iberniam adhaesit Aboriginibus, qui nedum ab Anglis, sed etiam a parte nobilitatis Ibernicae numerosiore et meliore et a parte populi ejusmodi Insulae urbanissima dignissima censemur irreconciliabiles. Ut autem dictam factionem melius sustineret, ecclesiis et episcopatibus de ecclesiasticis, et Episcopis ejusdem fermenti providendum curavit, illis, quos Regina proposuerat, etsi doctrina et virtute ultra ullam exceptionem praecellerent, exclusis, contra ac Tuae Sanctitati placuit, ut scilicet ego circa hunc articulum desudarem, quae etiam promisit satisfactum iri in hoc Reginæ ad suum beneplacitum. Regina tamen ex parte sua non defuit sed operam dedit ut pacis jam semel ab Illustrissimo D. Rinuccino proscriptæ et rejectæ

1261 tractatus resumeretur, adeo ut sua | Majestate connivente tractatus

v pacis non modo resumptus sit, sed etiam post magnas ex parte Illustrissimi D. Rinuccini difficultates et oppositiones pax demum inter Regios et Faederatos conclusa fuerit, eaque ipsis reddita secura non solum verbo Regio sed etiam retentione exercituum, civitatum, propugnaculorum et civilis Magistratus cum possessione suarum ecclesiarum et beneficiorum ecclesiasticorum nec non libero Catholicae religionis exercitio. Sed et haec omnia publico decreto et authenticis legibus a Regni ordinibus, satrapis, Nobilibus et municipibus in liberum Parlamentum una cogendis stabienda erant et sancienda. Nec solum Regina, suprema Princeps mea, sua cavit authoritate hoc totum executioni mandandum, sed etiam corona Gallicana satis dedisset sua authoritate. Faederati Catholici si hanc pacem amplexi fuissent ruinae et belli pericula declinassent, sibi de conscientiarum et bonorum temporalium securitate prospexit, partibus Regii et Catholicis in Anglia ita subvenissent ut Regem liberassent, restituissent, et iterum in Regio throno collocassent, ex quo Catholicorum bonum in omnibus ejus dominiis dependebat. Futurum etiam fuisset ut Sedes Apostolica cum honore et gloria omnibus sumptibus et expensis eximeretur et liberaretur, pateretque janua ad agendum progrediente die de universalis regnorum, quae sub Principis et Domini mei Regis imperio et dominio sunt, reconciliatione cum Ecclesia Catholica.

(100) "13. Hunc pacis tractatum ab omnibus partibus tamdiu expectatum interruptus Illustrissimus Dominus Rinuccinus tanta violentia ut compulerit Marchionem Ormoniae Proregem ad se praecipitandum praeter animum et inclinationem inter

manus Parlamenti Angliae ingenti atque immensa Regis et Catholicorum, non solum Angliae sed etiam Iberniae jactura et detimento. Majorem etiam Nobilitatis Ibernicae partem exasperavit et irritavit, et venerabile Sanctae Sedis Apostolicae nomen effecit odiosum inter haereticos, idque ita ut Catholicorum Europae Principum votis parum satisfecerit, perinde ac si non solum spirituale bonum sibi in metam praefixisset, sed temporalia commoda, mittendo se in possessionem dominii Iberniae. Cum etiam Baro Digbaeus et D. Bironus obtulissent de novo (ex parte Marchionis Ormoniae) agere cum ipso de pace perficienda ille solum censuit permittendum ut audirentur. Verum ut D. Bironum magno discrimine et labore ad quandam villam, quae Midiae Occidentalis Comitem concerneret, (ubi ipsum allocuturus permansit) accessisse intellexit, Comiti, ejusdem loci domino, author fuit ut praefatum D. Bironum dimitteret tempore nocturno contra omnes urbanitatis et humanitatis leges in magnum ejus incommodum et periculum inter illas perturbationes, Comite ipsi protestante se esse in procinctu ad discedendum eadam hora ex eadem villa.

(101) "14. His procedendi modis Illustrissimus D. Rinuccinus toti mundo occasionem dedit judicandi ipsum habere privatum et secretum mandatum mutandi Regimen Iberniae, et separandi illam Insulam a Corona Angliae. Quae opinio confirmata fuit cum paulo post quidam Marullus, vel quocumque alio nomine vocetur, librum in Lusitania typis mandavit, quo probare studet omnes Angliae Reges fuisse Iberniae vel tyrannos vel usurpatores, et in eadem Ibernia dominandi jure privatos lapsosque, exhortans verbis contumeliae et opprobrii plenis suos patriotas omnes ut Anglos occidant, nullum in ipsos crudelitatis genus non exerceant, et novum ex ipsorum indigenis Regem eligant. Hoc barbaro et sanguinem sitibundo libello tota Ibernia sparso, et usque in praesens a Sede Apostolica tolerato; et circa id tempus continuatione historiarum sub Oderici Raynaldi nomine in lucem edita, qua is ex industria Supremam Sedis Apostolicae etiam in temporalibus jurisdictionem et dominium in Iberniam et Angliam statuere contendit, et conatur, omnibus considerandum relinquonunquid haec omnia ad suspicionem et diffidentiam gignendam sufficiunt, et nonne Regina omnibus boni publici rationibus ducta Sanctitati Tuae cum aliqua audentia repraesentasset Illustrissimi D. Rinuccini actiones tantopere intempestivas, et illis finibus, ob quos missus fuisse ferebatur ex diametro oppositas? Et ego Sanctitatem

1262

Tuam humiliter rogo, ut consideret si quis Rex non modo Protestantus sed etiam Catholicus in suis dominiis Papae Nuncium (eo modo, quo Illustrissimus D. Rinuccinus in Ibernia praestitit) imperantem et praedominantem videret, quae diffidentiae, quae quaerimoniae, et quot exinde sequerentur inconvenientiae? Ob has ergo causas Regina crebras fecit, sicut et impraesentiarum facit instantias, ut Rinuccinus revocetur et alias in consiliis moderatior et ad bonum publicum propensior in ejus locum substituatur." Haec Digbaeus.

(102) Tertia, eaque ultima hujus scripti pars, quae hic praetermittitur, ad nostrum scopum non pertinet; eo autem tendebat ut a Pontifice erigeretur in Anglia capitulum Clericorum saecularium, quibus Decanus praeficeretur. Porro de his tribus punctis, quorum duo prima in medium produxi, nullam se a Pontifice recepisse satisfactionem Digbaeus sua scriptura Pontifici porrecta testatum voluit, quam tunc Romae et Anglice et Latine Fernensis refutavit; Anglice quidem scholiis *marginalibus*, Latine vero fusiore Apologia, qua Pontificem alloquitur. Quae duae refutationes propria ejus manu tunc in Urbe scriptae jam mihi praemanibus sunt, sed depraecandae prolixitatis studio non subdam, nisi subdenda.

(103) Qualis sit Digbaeus, et cujus spiritus, etiam ibi lego apud Fernensem. "Habetur (inquit) animi levis, qui sententiam ter mutavit in ipsa causa religionis, modo Protestans, modo Catholicus, iterum Protestans, prout religio ipsius rebus et propositis poterat favere." Sunt Fernensis verba. Legatur libellus Anglicus ab authore Anglo, Doctore Leyburno, Collegii

pag. 7^o.

1262

v

pag. 66.

ibid. p. 57.

pag. 69
usque ad
pag. 75.

Anglorum Duacensis Praefecto, anno 1661 Duaci in lucem editus, quo Leyburnus affirmat Kenelmum Digbaeum esse Blaclo Maecenatem et discipulum. Qualis autem sit hic Blaclo ibidem tradit, et notorium est, cum ejus opera Romae fuerint condemnata, ipseque atque ejus Angliae Catholici sectatores Sedis Apostolicae decreta hanc censuram continentia in eodem Regno publicare recusarint, ipsorumque Agens Doctor Gagius Roma 20 Februarii 1661 scribens: "Blaclo (inquit) doctrina tantopere hic est detestationi, ut nunquam majori fuerit Lutherana vel Calvinistica." Abominabilia autem et haeretica ejusdem Blaclo dogmata idem Leyburnus ibidem in compendium redigit. Digbaeum etiam prodit hoc toxico adeo fuisse inebrium, ut antequam anno 1645 ad primam legationem Romanam a Regina assumptus sit, ubi recens ex Anglia Parisios accessit,

*ibidem una cum Jansenismo Digbaeanus Blacloismus caeperit ibid. p. 12.
doceri etiam laicos et mulieres, necdum in lucem editus.* Haec
Leyburnus tunc Parisiis testis oculatus. Unde paulo post in
Iberniam trajecit, ubi Nuncio et ipse negotium facessivit. Kenel-
mus ergo, qui anno 1645 primam, et anno 1646 secundam
legationem ad Suam Sanctitatem suscepit, mirum non est quod
(juxta ea quae diximus) Romae Catholicum ita prae se tulerit,
ut sub Catholicismi propagandi specie legationem obierit magna
ex parte in causae Catholicae praejudicium, quo etiam spiritu
possessus, hodieque cum suo Blacloo et Digbaeanis Blacloistis
Catholicorum Angliae schisma ob praefatas novitates ortum,
fovet; adeo ut idem Leyburnus se Kenelmo comparans se quidem
sacerdotem esse affirmet; sed *Kenelmus (inquit) ad summum non pag. 6.
est nisi laicus Catholicus.* Quasi dubitaret Leyburnus ne Diga-
baeus nullo modo esset Catholicus.

(104) Jam illius scripti a Digbaeo Suae Sanctitati porrecti
brevem subdo anatomiā. Ac primo quidem, quae in Reginae
laudem dicit, ita probo, ut Reginae et majora debeantur encomia,
et melior encomiastes. Nam re ipsa negari non potest, quin sit
Principum Catholicarum modernae haeresi supparium post
gloriosissimam martyrem, Mariam Stuartam, mariti ejus aviam
paternam, Catholicismi constantia et laude facile princeps, licet
haereticorum violentia et fraudibus factum sit ut non, quantum
alias vellet, Catholicis profecerit. Pontificem autem audacter
taxat Digbaeus quasi Reginae subsidia denegarit. Nam anno
1645 ad ipsius Digbaei supplicationem suppetias Pontifex
elargitus est; in futurum etiam centena scutorum millia pollicitus
ea lege ut Rex conventionibus nec nisi aequo longe inferioribus
in Catholicorum Iberniae favorem acquiesceret. Idemque Pontifex
modo Rex cum Angliae Catholicis certis legibus superius
memoratis mitius ageret centena alia scutorum millia, eaque
annua, in bellum Anglicanum adversus Rebelles Parliamentarios
prosequendum spondit. Quas binas pollicitationes et leges,
quibus factae sunt, Cardinalis Pamphiliius (Pontificis nomine
et jussu) suo calculo munivit Romae 30 Novembris 1645 in-
strumento publico, quod superius Latine traduximus, et cuius
autographum huic ipsi Digbaeo tunc traditum est transportan-
dum ad Reginam, et utrinque executioni | mandandum, sed
haereticis et Digbaeanis artibus per Regem Reginamque stetit
quominus processum sit in executione, Pontifice Romae, et
Nuncio ejus in Ibernia in id incumbentibus ut Rex articulis
acquiesceret, et subsidia Pontificia subministrarentur, sicut fuse

suo loco superius recensuimus. Quibus non obstantibus idem Digbaeus anno 1646 Romam regressus est Pontificem pecunaria ope illis articulis et praefatis conditionibus promissa emuncturus, licet Rex et Regina articulis et conditionibus non acquieverint. De quibus praefata Digbaei scriptura num. 7 et 8 mentionem facit fraudulentam et confidentem, quo perinde atque si ipse circa hos articulos caste et sincere legationem obiisset, et Rex ac Regina iisdem exequendis non defuisse, premit Pontificem ut suppetias eodem instrumento promissas suppeditet, idque tali verborum fuco ut insinuare videatur non Regem nec Reginam sed Pontificem conditionibus illo instrumento propositis defuisse, cum tum utrinque in confessu esset contrarium.

(105) 2°. Quod suae scripturae cap 4. dicit leges paenales a Regis Caroli tunc regnantis decessoribus Angliae retro Principibus in Catholicos ob bella ab ipsis in Reginam Elizabetham gesta et censuris Pontificiis nixa latus fuisse, tantopere est notorie falsum, ut potius his bellis et censuris occasionem dederint leges paenales longe crudelissimae, et Catholicos sanguine madentes sub Henrico 8° Eduardo 6°., et Elizabetha ante haec bella et censuras intrusae; sicut etiam eaedem a Rege Jacobo confirmatae et sub Rege Carolo (etsi mitius) continuatae, sed demum sub eodem a Parliamentariis Angliae et Scotiae Calvinistis in Catholicis nominis excidium arreptae, atque ad majorem crudelitatem extensae Faederatos Iberniae Catholicos ad bellandum in necessarium impulerunt defensionem Cleri primum populique Iberniae ter Catholicos, deindeque crebris Sedis Apostolicae decretis confirmatam, proindeque adeo causae justitia fretam, ut calumniae Digbaeanae, quibus haec defensio improbatur, sunt lapis Lydius, quo et Catholicorum Iberniae innocentia (nam ab improbis vituperari, a probis laudari est) magis resplendeat, et generationi omni, quae ventura est, innotescat quo spiritu possessus eam legationem obierit Digbaeus, Catholicum prae se ferens, sed re ipsa id totis viribus anhelans, ut tectis machinationibus haereticorum Angliae patronum in Ecclesiae Ibernicae ruinam ageret, et Pontifici fucum faceret, quo ipsius in eandem Ecclesiam autoritate uteretur. Sed ille qui dixit: "Tu es Petrus et super hanc Petram aedificabo Ecclesiam et portae inferi non praevalebunt adversus eam," Pontifici ita adfuit ut Digbaei artificiis non acquieverit.

(106) Aliarum ineptiarum, quae hoc scripto Digbaeano effutiuntur, falsitates innotescunt ex rebus superius fuse traditis, quas brevitatis causa hic non repeto. Porro de Digbaeo Car-

dinalis Panzirolus Nuncio 16 Martii | 1648: “ Discessit (inquit) ¹²⁶³ hinc diebus nuperis in Galliam Digbaeus forsan suis tractationibus male contentus, et licet in Dominationem vestram se parum bene affectum esse ostenderit, nihilominus sibi certo persuadeat Suae Sanctitatis affectionem in Dominationem vestram non fuisse ejus conatibus imminutam, imo dicere possum esse propterea auctoritatem.” Haec ille Italice et notis secretis. Porro praeter scholia marginalia Anglice et Apologiam Latine in Digbaei scriptum ab Episcopo Fernensi Romae tunc exaratam, idem Praelatus haec Suae Sanctitati porrexit in Nuncii vindicias.

“ Exemplum, mores et conversatio Joannis Baptistae Rinuccini Archiepiscopi Firmani, Nuncii Apostolici apud Iberos, ipsiusque labores, pericula, perpessiones, insignia facinora pro sancta Dei Ecclesia; per Nicolaum Episcopum Fernensem nomine Episcoporum Clerique tam saecularis quam Regularis Regni Iberniae ad pedes Suae Sanctitatis humillime oblata.

(107) “ Idem Nuncius antequam appelleret in Iberniam, passus est a piratis haereticis maximam persecutionem (ut notum est), adeo ut oportuerit illum per montes Momoniae cum omnibus sarcinis et prope hostes non sine periculo et incommodis proficiendi Limericum.

(108) “ Fuit personaliter ad obsidionem Bunrati, Castri munitissimi, in quo erant praesidiarii milites duo mille; atque ibi per quindecim dies mansit omnes adhortando ad animi fortitudinem donec Castrum expugnatum fuit.

(109) “ Convocavit laboriosam Congregationem Ecclesiasticae Waterfordiae in qua Pacis Ormonicae capitula examinavit eamque rejicit. In hac re sibi nomen fecit nobilissimus vir Eugenius O Nellus Generalis Ultoniensium, qui vocatus a Nuncio (ad ipsum juverat Emerus Episcopus Clogherensis) spretis ab Ormonio oblatis nomine Regis honoribus, duxit exercitum copiosum, 12 hominum millia complectentem, ecclesiasticorum partes et causam palam defensans.

(110) “ Arcem Duncanan, clavem Regni fortissimam, quam Ormonius statim post publicatam pacem occupare statuerat, Rinuccinus per Nicolaum Episcopum Fernensem (in cuius Diaecesi Arx ipsa jacet) servavit, militum necessitatibus subveniendo per octingenta scuta continuo distributa. Tota expeditione Dublinensi secutus est exercitum, habens ad latus

Episcopos Clogherensem et Fernensem, laborum et constantis animi testes. Haesit prope Lucan 5° lapide a Dublinio non sine periculo vitae; ibi inter dissidentes Generales Catholicos situs mansit, curans quantum potuit, ne aliquid mali inter ipsos oriretur.

(111) " Congregavit tempore secundae et tertiae *Assembleae* omnes Episcopos et alios de Clero, ut confirmaretur rejectio pacis a toto Regno, prout factum fuit; tum ut in ultima Assemblea expedirentur legati ad Summum Pontificem, et Reges, servata reverentia et praeeminentia, quae debetur Sedi Apostolicae, et emendatis instructionibus Oratorum non obstante quacunque oppositione in contrarium. | Dum esset Clonmeliae interposuit se, quantum potuit, ne dissensiones Momonienses ortae in exercitu sumerent majora incrementa.

(112) " Fuit in Conaciam ad impellendos Ultonienses ad expeditionem Sligoae et postea in Ultoniam, pro qua re jam mutuo acceperat quatuor millia scutorum atque verisimiliter secutus fuisset effectus, nisi D. Generalis O Nellus vocatus fuisset propter cladem Lageniensem.

(113) " Visitavit omnia quarteria et civitates, quae sunt in manibus Catholicorum confirmingo omnes in fide et amore religionis Catholicae.

(114) " Assuevit per totam Quadragesimam et Adventum Kilkenniae in templo Divae Virginis singulis feriis sextis Latine concionari cum magna omnium auditorum satisfactione.

(115) " Familiam habet compositam, devotam et bene gubernatam; capiuntur omnes eo adventantes eorum comitate. Neque unquam audivimus de ullo in illius famulatu, qui esset malae famae.

(116) " Diebus Sabatinis canuntur in ipsis oratorio Litaniae Lauretanae cum musica solemnii, ubi ipse constanter adest cum pluribus Praelatis virisque nobilibus.

(117) " Difficile esset effari Rinuccini diligentias, labores, itinera, lucubrations, perpetuas audiencias, continuas literarum scriptiones. Sedente autem Assemblea, alternis diebus congregare solet Episcopos aliosque de Clero praelatos ad expediendas spinosas difficultates et quaestiones, ne forte ecclesiasticorum jura et immunitates in aliquo patiantur. Omnes mirantur posse Rinuccinum parem esse tot laboribus, vigiliis, audiencie, ad quem saepissime convolant Episcopi pro consilio capiendo in rebus difficillimis. Certe vel in hoc favet Iberniae Deus dando

servo suo Rinuccino spiritum constantem et majores vires ac meliorem valetudinem quam in Italia.

(118) "Si de Rinuccini moribus agatur, et bono versus omnes exemplo, vel hostes ipsius colunt in eo pietatem. Omnes enim vitam bonam et irreprehensibilem in eo fatentur. Et merito censeri potest lumen et exemplar Episcorum, vir sane ad tantam legationem aptissimus, in qua ad magnam Ecclesiae Dei aedificationem Vestrae Sanctitatis electione prudentissima se perquam dignum praebuit.

(119) "Fovet continuo splendorem religionis, honorem episcoporum, et existimationem Cleri, contra odium quorundam nobilium. Huic in ipso virtuti invident, qui reliquas admirantur.

"Beatissime Pater.

(120) "Non latet nos, quibus animarum committitur gubernaculum, serenissimam Angliae Reginam per Residentem Kenelmum Digbaeum instanter petisse revocationem Rinuccini a Nunciatura Iberniae, multa ipsi falsa obtendentem, praesertim Nunciature Apostolicae limitem excessisse, quasi authoritatem sceptrumque Iberniae sibi arrogando. Unde id consilii habuit | Domina Reginam? A lupis haereticis qui avent oves Ibernicas depascere, amoto semel Rinuccino, cane Dei sagacissimo, qui solet non tantum latrare, sed et haeresim mordere. Profecto ea res male cedit Ecclesiae Dei apud Iberos quod Reginam nostra, Princeps alioquin Catholica et bona, infaustis Ministrorum haereticorum consiliis dirigatur. Hinc quicquid ab Ibernis praesertim ecclesiasticis amore pietatis gestum sit, modo eorum repugnat consiliis, vertitur nobis in vitium, et eapropter jura atque immunitates Ecclesiae propugnantes habemur saepe Regiae authoritatis usurpatores. Hucusque Rinuccino arctissime conjuncti consolando, exhortando, increpando, et saepe patiendo egimus opus Dei. Atque in Vobis est ob nullas tentationes a recta via illa declinare. Tenemur enim magis divinam trepidare indignationem, quam hominum autoritatem. Habita ergo Reginae nostrae debita reverentia, in hac causa, quae ovium est, sumus prae illa a Sanctitate Vestra exaudiendi. Ut autem bene sit ovibus Christi et sacrosanctae Dei Ecclesiae, humiliter exponimus Sanctitati Vestrae in Ibernia Nuncium Apostolicum esse super omnia necessarium, qui haereticae authoritati se opponat et omnem ipsi viam occludat. Videmus enim vicinos Britannos, optimos olim Catholicos, nunc innumeris haeresum malis obrui. Quis scit an bellua haeretica rabiei plena etiam ad

1264

v

hoc armata et jurata Catholicam Iberniae gentem non tandem absorbeat, nisi obsistat episcoporum atque ecclesiasticorum constantia? Ad quem finem maxime conductit Nuncii Apostolici authoritas, quae unire solet et colligere animos atque virtutes. Quapropter sperat Ibernia Vestram Sanctitatem non passuram populum suum tanto solatio privari.

(121) “ Ea vero est nostrum omnium de Rinuccini moribus, zelo, conversatione, exemplo, animi constantia, atque in tractandis rebus arduis prudentia ac felicitate, ut non solum non revocari, sed praemiari debeat a Vestra Sanctitate pro rebus ab eo in illo Regno paeclare gestis. Imo (si de tam alta dignitate nobis disponere liceret) propter relatas a nobis ipsius virtutes animique dotes, labores, lucubrations, pericula terra marique superata, et praesertim constantiam in perferendis Dei causa malis ad augustum Cardinalatus moveretur fastigium, ut tanto honore auctus reddatur hostibus Ecclesiae formidabilior, Principibus Catholicis gravior, et ad promovendam fidem ubique potentior. Ipsa enim in hac re loquitur justitia, ut idem Rinuccinus, qui apud Iberos pro sancta Dei causa laborans, inter aerumnas et rerum concussions coruscat virtutibus, apud Romanos tandem prope Cathedram Sancti Petri Cardinalis fulgeat honoribus. Sua Sanctitas ponat in gremio sapientiae suea hanc humilium servorum suorum supplicationem pro viro optimo, quem Deus ad sancta et magna praestanda ordinavit. A nobis autem illum avelli nullatenus patiatur propter malas Digbaei preces. Si enim uspiam terrarum jussione Sedis Apostolicae debebit laborare apud Iberos, Sanctitatis Vestrae filios, tantum literarum et virtutum sidus, ibique apud eos quos | jam illuminare caepit. Pro tanta gratia Praesules Clerusque Iberniae et cum iis omnes viri boni orabunt ut Deus diu incolumem Vestram conservet Sanctitatem.” Haec ibi, quibus et Cleri Ibernici atque Eugenii O Nelli, ut Cardinalitia dignitas Nuncio conferretur, postulationibus, quas superius videris, non obstantibus, Pontifex ulteriore deliberatione super hac dignitate conferenda utendum duxit.

(122) Idem etiam praesul brevem de belli Ibernici causis, origine, et progressu, atque Insulae ac Confaederatorum tunc statu narrationem Latinam, qua Pontificem alloquitur composuit, cuius priorem partem ea quae hactenus fuse retulimus perstringentem in medium non produco, ne earundem rerum repetitionibus lector fatigetur. Subdam autem posteriorem, quae

hic a scopo nostro non aberrat. Is ergo suo et collegae Nicolai Plunquetti nomine Pontificem ibi his verbis alloquitur:

(123) "Ad hoc (inquit) exponendum nos humillimi filii, et servi a Confaederatis Iberniae Catholicis missi, cum profunda humilitate prosterimus nos ad Sanctitatis vestrae pedes, et animas Ibernorum in conspectu tuo tanquam aquam effundimus, manusque nostras levamus pro animabus parvolorum Iberniae; ut per Sanctitatem vestram, et omnes praesules Ecclesiae bellum Dei justum et sanctum contra venenatos Puritanos potenter alatur; unde dicemus Sanctitati Vestrae et Ecclesiae Principibus verba quae fratres in Jerusalem manentes scripserunt ad fratres in Egypto, nempe haec: "Beneficiat vobis Deus, et det vobis cor omnibus ut colatis eum, et faciat eis voluntatem corde magno et animo volenti." Aperire jubemur bona et sancta ecclesiasticorum, Procerum et populi desideria collocandi in hoc sancto opere operam suam, substantiam et vitam. Quis novit annon statuerit Deus per humilem et afflictam Iberniam superbam Angliam, Scotiamque contumacem ad fidem convertere? Crevit tumidi hostis potentia, ex quo deturbatus est Rex noster autoritate et gratia apud suos populares et subditos, praesertim per proditionem Marchionis Ormoniae, qui Dublinium, Regni caput, civitatem Pontanam, et magnum pinguis glebae tractum in Parliamentariorum manus dedit tam vili pretio, quam turpi conventione. Hac occasione ad hostem nostrum a Parlamento annona, arma, pecuniae facillime devehuntur. Econtra in dies fortunae nostrae diminuuntur. Recogitet rogamus Sua Sanctitas quantos thesauros effudit Ibernia in alendo sexennii et sex mensium bello; calculum recte ponens aureorum milliones enumerabit impensos in stipendiis officialium et militis gregarii; nec non hodie Confaederati Iberni habent exercitus in quatuor Provinciis ut minus viginti quinque hominum millia complectentes. Non erimus diu, Beatissime Pater, tanto et tam gravi expensarum oneri pares. Bellum nostrum Dei est, sanctum et justum | pro gloria Dei et religione caeptum. Ergo (ut libere veritatem dicamus) ali debet vel titulo justitiae a Principibus, Praesulibus, et viris potentibus in Ecclesia Dei. Confaederati pro viribus (id sancte promittimus) cooperabuntur universi. Sumus ad hoc multa animarum millia parati fortunas, sanguinem et vitam pro Deo et pietate profundere. De reliquo Sanctitas Vestra curam habebit (ita est spes Iberniae) gregis tam numerosi, studebitque pro sua pietate singulari atque officio ab eis excidium et destructionem avertere. Est modo tempus opportunum, dum Anglia et Scotia

Fernensis
ad Ponti-
ficem.

I. Macab.
lib. 2.
Cap. i. v. 3.

1265
v

pugnantia errorum dogmata disseminando laborant dissensionibus. Meruimus a Sanctitate vestra et orbe Catholico gratiam et suppetias, idque multis titulis et nominibus. Dum enim Anglia et Scotia per centum et plures annos de vino Babylonis inebriatae (unde commotae gentes factae sunt) furerent in sacra omnia et Sanctae Sedis authoritatem spernerent, faedeque laniarent, Ibernia, et re et nomine Sanctorum Insula, Catholica, et semper Cathedrae Petri obediens perstabat. Olim celeberrima Iberniae schola populis paganismo caligantibus lampades excitavit. Olim Ibernia in mundi theatro magistros, qua sanctitate, qua suada amaenos exposuit. Olim Ibernia Provinciis Praesules, gentibus Doctores, nationibus Apostolos progenuit. Quanquam non in eo praecipuum Iberniae decus ac gloriam ponimus quod gentium multarum magistra extiterit, scientiaeque radios in mundum errore caligantem vibraverit. Plus inde honoris Ibernia adipiscitur quod puram absque veneno doctrinam gentibus destillaverit. Multum est scire, et non altum sapere, perfectionis est scientia abundare, et tamen intellectum captivare in obsequium Christi. Hoc Iberniae singulare elogium est gentes docuisse et nunquam errasse, nunquam fidem a Patrio praedicatam amisisse, nunquam Sanctorum panem canibus projecisse, nunquam Cathedram Petri deseruisse, nunquam terram veneno polluisse, imo ab haereticorum plantis conculcatam venenum nunquam admisisse. Iberniam (ut elogia ex Venerabili Beda, Jona, Joselina, aliisque vetustis Historicis praetermittam) scribit Baronius modernus author gravissimus: *Christiana fidei tenacissimam*. Historia societatis dicit: *Iernos intactam Catholicae fidem, et sincerissimam erga Summum Pontificem obedientiam servasse*. Vel propter singularem hanc et constantem Sancti Petri successoris observantiam ac reverentiam non exiguum a Sancta Sede gratiam meretur Ibernia. Fortunarum amissio, multorum a lapsu Henrici octavi malorum perpessio; imperterrita religionis inter equuleos et tormenta professio aliquid praemii et solatii a Praesulibus Ecclesiae et orbis Principibus depositit. Ex his colligere licet quam ingens erit infamiae labes orbi universo, si Ierni (dum pro fide sanguinem fundunt) defectu annonae, armorum, pecuniae (spectantibus eorum causam Principibus Christianis) | a phalangis haereticorum vincantur. Avertat Deus ab Iernis hoc grande malum, propter seipsum faciat ut non blasphemetur, et alteri gloriam suam non det, etiam alteri populum suum non det, nunquam permittat gentem tam Catholica haereticorum rabiei et libidini.

(124) "Non est opus, Beatissime Pater, hanc rerum, vel potius miseriarum Ibernicarum narrationem ulterius pretendere. Dicemus paucis quatuor mala et ea acerbissima ab Anglia (ex quo haeretica esse caepit) passi sumus: Religionem, omnemque ^{1.} pietatem extinguere conati sunt, ecclesias et sacra omnia polluendo. Arma Ibernis Catholicis ademerunt, sicut Philistium ^{2.} Hebraeis. Haec erat nota probrosae servitutis. Non nullas leges ^{3.} crudeles, injustas, Deo et pietati repugnantes condiderunt. Fortunas, patrimonia, territoria nostra malis artibus occuparunt, ^{4.} etiam tributa et vectigalia iniqua, nimis onerosa imposuerunt. His acti gravaminibus ad arma accurrimus. Judicet mundus an forte tempus erat Ibernis e languido mortis somno surgere, irasci, pugnare pro altaribus, patriis legibus, vitis, fortunis. "Faber ^{1^o. Reg.} ferrarius (ait Sacra Scriptura) non inveniebatur in omni terra Israel. Caverant enim Philisthiim ne forte facerent Hebrei gladium aut lanceam." Eadem plane sors erat, et plaga Ibernorum. Exarmati fuimus; grande crimen erat Iberno Catholico, vel nobilissimo habere in domo sua vel unam pulveris nitrati libram absque speciali *Status* licentia. Nulla nobis data est fides, nullus honor habitus. Vult Sua Sanctitas audire leges contra Catholicos injustas, severas, horridas! Juramentum Primatus negare, erat crimen laesae Majestatis. Nunquid horrida lex ut sit crimen laesae Majestatis non agnoscere unam faeminam (et eam malae famae) caput Ecclesiae Dei, et Christi in terris Vicarium? Idem crimen erat tueri aut afferre in ullo autoritatem Sanctae Sedis Apostolicae. Diem perderemus similes leges, quibus sacra omnia violata sunt, recensendo, quas Elizabetha Regina Angliae condidit. Jacobus Rex confirmavit, serenissimus Rex Carolus non reprobavit, sed earum usum et executionem non nihil castigavit. Lapsu Henrici octavi perdidimus terras et bona ecclesiastica per tyrannidem; dein per Plantationis artifia et nequitiam terras nostras temporales; cribravit nos magistratus sub rege durus et haereticus. Quot viri generosi laqueo suspensi sunt, quia erant domini fundorum et terrarum? Sedebant pro tribunal Judices super Ibernorum animabus, quibus necatorum terrae et patrimonia cedeabant. Vedit sol haec grandia mala et non est obtenebratus. Deturbati sunt nostres omni magistratu in re civili, honoribus in re militari, nullus Catholicus sedebat in Concilio arcane. Legibus cautum est, ut incapaces redderentur omnis dignitatis atque authoritatis, et hanc duram servitutem servierunt in terra non aliena. Provocamus omnes

^{1^o.} Eliza-
beth.

1266 mundi annales et historias, producant ullum tandem | populum
 v (quia Catholicus erat) ita perversis legibus afflictum, tributis
 flagellatum, ab iniquo magistratu spretum, et tanto innocentis
 sanguinis profluvio per haereticorum libidinem cruentatum.
 Sanctissime Pater, in exilium acti, magna pars nostratum in
 viis peregrinis sparsi et palabundi, foris panem et scientiam
 collegerunt. Pars non exigua in fossis sudantes, et nobili pulvere
 atrati militantes panem quaerebant, sed semper sub auspiciis
 Catholicorum Principum et praesertim Augustissimae Domus
 Austriacae in Belgio contra Batavos, acerrimos fidei Catholicae
 et Monarchae Hispaniarum hostes. Domi qui remansimus
 propter religionem et Sancta carceres, catenas, labores, famem,
 sitim, passi sumus. Tandem surreximus e somno lethargico pro
 religione et patria, pro quibus fortia egimus, et fortia toleravimus
 modo prompti fortunas et vitas prodigere, omnia tentabimus ad
 avertendum a terra sancta atrox Calvini aliarumque viperarum
 venenum.

(125) "Dignare, Beatissime Pater, ausus nostros justos et
 pios tua authoritate et benedictione juvare. Per Tuam Sancti-
 tatem excitentur Ecclesiae Praesules et Principes, ut thesaurum
 Dei in hoc Dei opere bene collocent. Sic Dei gloriam augebunt.
 Religionem pietatemque propagabunt. Animas Ibernorum nun-
 quam haereseos lue infectas, sanctas et puras Deo conservabunt.
 Sanctitas Tua animas universi orbis pascis. Audi ergo voces
 periclitantis tui gregis in Ibernia. Pasce nos, juva nos, ab
 haeresi, plaga pessima, defende nos. Ibernorum causa Dei causa
 est, Dei pugna est, Dei animae sunt. Ergo Beatissime Pater,
 omnia tua sunt. Belli justitiam, Beatissime Pater, approbasti
 per tuum Nuncium, Illustrissimum Firmanum, benedixisti
 pugnantes, hostium vires tuo thesauro fregisti. Proficiscere,
 Beatissime Pater, felici gressu quo caepisti, et mundus universus
 Tuam pro animabus Iberniae sollicitudinem agnoscat et admire-
 tur. Esto Moyses Ibernorum in deserto, Aaron in sacrificio,
 Josue in bello. Sis Samuel noster Sanctus, Philistaeis terribilis.
 De Samuele scriptum est: Facta est manus Domini super
 Philistaeos cunctis diebus Samuelis. De Tua Sanctitate haec
 sententia posteris transferatur: Facta est manus Domini super
 haereticos in Ibernia cunctis diebus Innocentii Papae: annalibus
 imprimatur, columnis sculpatur, et Catholicorum orbis universi
 cordibus figatur. Absit ut Ibernica natio Sanctitati Vestrae
 obedientissima modo pro Deo et religione pugnans Te regnante
 cadat, et defectu annonae, armorum et thesauri victa haereti-

corum plantis subjaceat. Sumus modo non dejecti aut despici, ut multi gloriae nostrae osores fingunt, et mendaciter foris declamant, sed in eo statu ut possimus juvari, et fieri copiarum adversantium victores. Forsan vocavit hoc tempus adversus malos Deus ut conterat eos. Emoriantur in Ibernia haereses nefariae; Concurrerunt (ut cum D. Augustino loquamus) diu in viis suis; speramus per Te Sanctissime Pater brevi non reperietur in Ibernia eorum memoria; ad nihilum devenient tanquam | aqua decurrentes. Hoc est (ita nos amet Deus) quod 1267 Confaederati Iberni desideramus, poscimus, efflagitamus. In causa tam pia non deerit nobis Deus, qui solet adesse omnibus exquirientibus eum in veritate, neque deerimus nobis ipsis (id nomine Confaederatorum Catholicorum sancte pollicemur) in bello suscepto. Reliquum Iberniae in gremio Sanctitatis Vestrae manibusque Eminentiarum DD. Cardinalium, reliquorumque Ecclesiae Antistitum deponimus. Ita, Sanctissime Pater, loqui et facere jubemur." Haec ex ipsius Fernensis autographo, et prima (opinor) scriptione, quia lacunis et mendis non caret.

(126) Quam autem oratores spem tunc conceperint, docet me epistola Italica a Patre Laurentio Incurio Jesuita Italo 16 Maii Equiti Rinuccino, Nuncii fratri, ex Urbe Florentiam scripta: "Agentes (inquit) Regni Iberniae hesterno mane simul cum nostro Patre Daveto iverunt ad Summi Pontificis pedes deosculandos, a quo recepti sunt cum extraordinariae benevolentiae demonstrationibus, et (quod magis refert) auditio ab ipsis illius Ecclesiae statu et necessitate obtinendi suppetias, quo in haereticos bellare et praevalere valeant, eas ipsis magna obtulit promptitudine, promisitque se ipsis opem laturum et pecunia atque omni alia ratione adfuturum, unde ab ea audientia recesserunt maximopere contenti." Haec ille. Caetera ad hanc legationem pertinentia suo loco et tempore inferius videbimus.

(127) Interea Antrimiae Marchio, legatorum in Gallias missorum primus, 20 Februarii Waterfordia discessit, eademque nocte in Galliam navigaturus solvit, et die ejusdem mensis 27^a secundus et tertius, nempe Muscrius et Brounus, ex eodem sinu Waterfordensi vela ventis dederunt, comitante Molinaeo, Regis Christianissimi apud Faederatos *Agente*. Die autem deinde 3^a Muscriae Vicecomitissam Nuncius Kilkenniae convivio exceptit a marito regredientem, quae in ejus redditum ad matrem Turlesiae commorantem se recepit, forsitan sperans futurum ut Ormonius frater suus Muscrii mariti opera in Iberniam rediret Prorex. Porro tres legati jam dicti, Antrimius prius, alii duo

Ep. 16
Maii 1648.

posterioris terra in Gallia potiti Parisios contenderunt, ubi atque apud S. Germanum, quo loco Regina Angliae et Princeps Walliae tunc commorarentur, saltem duos menses et quod excurrit in rebus tractandis collocarunt, sicut suo tempore et loco inferius recensebitur.

(128) Interea temporis in Ibernia ad ineuntem hunc annum Nuncius mihi videtur fuisse sollicitus de persuadendo Eugenio O Nello ut Athloniae Castrum antea memoratum Vicecomiti Dillonae restitueret. Quo Eugenius auditio, scripsit Nuncio hanc epistolam submissione et obsequio in re tanti momenti et tempore tam difficile plenissimam:

“ Illustrissime ac Reverendissime Domine.

(129) “ Dominus Clocherensis ex parte Dominationis vestrae Illustrissimae scribit mihi iterum super negotium Arcis de 1267 Athlone, pro qua video Dominationem vestram | multum v inquietari ab Illustrissimo D. Dillonae. Itaque cum videam ipsam circa hoc nimium angi, resolvi hac mea epistola quicquid habeo in praedicto Arcis totum remittere prout remitto ad arbitrium Dominationis vestrae Illustrissimae, ut ipsa de ea disponat prout ipsi libuerit, cum ego nihil aliud praetendo praeter utilitatem religionis et reipublicae, et manus Illustrissimae Dominationis Vestrae officiose deoscular.

Illustrissimae ac Reverendissimae Dominationis Vestrae Addictissimus servus,

6 Januarii 1648. Eugenius O Nellus.”

(130) Credendum ergo est Nuncium rebus bene consideratis mutasse sententiam. Nam Athloniae Castrum hac vice penes Eugenium mansit. Conjecto etiam Nuncium fuisse tunc hac in re deceptum magna ex parte falsis eorum, qui Eugenio adversarentur, suggestionibus, quasi Eugenius Comitorum etiam Generalium decretum de hac Arce Dillonae restituenda spreverit. | Verum quale fuerit illud decretum te docebit ipsius Concilii Supremi edictum, quod hic ex Anglo traduco:

“ *Per Supremum Concilium Confaederatorum Catholicorum Iberniae.*

(131) “ Quandoquidem optimus Dominus noster Emerus, D- Episcopus Clocherensis, coram nobis varias movit querimonias, et ultimorum Comitorum Generalium decreto 24 Decembris

circa Athloniae Castrum dato occurrit diversis exceptionibus in hunc modum:

(132) “^{1°}. Illud decretum fuisse latum profecto Natalis Domini ultimo Comitiorum Generalium die, cum Comitia essent infrequentissima, plerisque eorum suffragatoribus vel jam ex urbe profectis vel in procinctu ad proficiscendum.

(133) “^{2°}. Comitia a die 23 fuisse comperendinata, excepto quod legenda erant quaedam decreta eodem die 23 lata (ad quae legenda cum Comitia usque ad noctem sederint tempus ea die non suppetebat), proindeque neminem expectasse futurum ut ulla res alicujus momenti, quae antea in Comitiis agitata non esset, die praefato desideretur.

(134) “^{3°}. Comitiis ultimo, quo sedent, die semper solemne esse ut aliquam patientur confusionem, omnibus qui aliquod antea in Comitiis negotium agitarint, et quibus aliquid ad id absolvendum desit, tunc prementibus ut ante Comitia dissoluta perficiatur, adeo ut nullum magni ponderis negotium unquam esse potuerit, nullumque juxta perennem Comitiorum consuetudinem fuerit ejusmodi die admissum in Comitiis ad primam disceptationem, vel certe (si secus contingit) nunquam consuetudo non inoleverit, ut referetur ad Concilium, vel ad aliquos Commissarios, qui maturam de re controversa admittere possent disceptationem.

(135) “^{4°}. Controversiam super Athloniae Castro non fuisse motam pendentibus Comitiis, excepto quod semel inter tractandam aliam causam contingit ut ejus obiter mentio fieret, idque ad postulationem suae Reverendissimae Dominationis urgentis ut negotium, de quo tunc agebatur, differretur, quatenus Comitia Athloniae causam dirimendam susciperent, vel certe Athloniae disceptatio differretur, donec plenam sibi diem designatam haberet, et conformiter fuisse prorogatam in aliam diem exinde constitutam.

(136) “^{5°}. Eam omnibus Comitiorum decretis esse naturam, ut formata scriptis mandentur, in Comitiis legantur, et tunc ubi lecta fuerint, admittantur, alias Comitiorum statutis nullatenus accensenda. Hoc autem decretum, de quo querala movetur, nunquam in Comitiis fuisse lectum.

(137) “^{6°}. Suam Reverendissimam Dominationem existimare gravem sibi illo decreto irrogatam eo fuisse injuriam, quod Praefecto Generali Eugenio O Nello et ex Ultoniae Provincia caeteris, quorum in jam dicto decreto res agitur, sit, cur nunquam imposterum in Reverendissima sua Dominatione spem ponant.

Cum enim a Comitiis solemniter jussus esset ut ad dictum Praefectum Generalem se conferret, et ad rectam in Regno animorum concordiam ac mutuam amicitiam stabiendum ejus in hanc urbem adventum procuraret, nec non publica Confaederatorum Catholicorum fide ipsi cavisset fore ut dum hoc accederet, hic resideret, et hinc rediret, nullam injuriam pateretur, cumque id peregisset, et ejusdem Praefecti Generalis adventum in urbem procuravit, praefatum decretum latum fuit dum Praefectus Generalis in urbe se teneret, non citatus ut se purgaret, cum tamen idem decretum in ejus ignominiam vergat, contra fidem publicam, ad quam, et ad communis amicitiae atque honestatis jura violanda | sua Reverendissima Dominatio facta est instrumentum in magnum suum dedecus. Quod suae Reverendissimae Dominationi impraesentiarum in praefato decreto et modo quo conditum fuit, magis displicet.

(138) "7°. Idem decretum nisi ex nostro mandato typis mandatum fuit eo modo publicatum fuisse, data opera ut omnes ex Ultoniae Provincia caeteris ex Confaederatis Catholicis odio haberentur ad concitandum ea ratione inter Confaederatos Catholicos bellum civile et seditionem.

(139) "Quapropter sua Reverendissima Dominatione a nobis remedium postulante, Nicolaus Plunquettus Armiger eorundem Comitiorum Prolocutor, tunc praesens, declaravit quod sibi notum esset circa ejusdem decreti condendi tempus et modum sicut hic sequitur. Nempe praefatum decretum ultimo Consensus Generalis die formatum fuisse Comitiis infrequentibus, cum pleraque Comitiorum membra vel ex urbe discessissent, vel jam discederent, nulla persona vel personis citatis ex iis, quorum interesseret, et Comitiis eo die comperendinatis idem decretum in Consessu non fuisse lectum (sicut in aliis casibus communiter assolet) sed signatum inter alia decreta a Comitiorum secretario. Quod Reverendissimus D. Episcopus Fernensis eorum qui ex Concilio Supremo nunc adsunt solus qui tunc Comitiis interfuit, confirmat quantum ad illius edicti sanciendi tempus et modum spectat. Examinata autem ratione, qua idem decretum typis mandatum sit, reperimus allatum fuisse ad prelum Kilkenniae a quodam Domini Vicecomitis Costelochensis famulo, et absque ullo Comitiorum vel hujus subsellii mandato vel authoritate fuisse temere et imprudenter excussum a typographis, et ejusdem preli praefectis, qui fatentur se ejusdem ectypa centum praefati D. Vicecomitis servo subministrasse.

(140) "Quod totum ad suae Reverendissimae Dominationis instantiam et in ejus satisfactionem aequum duximus hoc nostro publico instrumento certificare, et statuimus ac mandamus ut praefati decreti exemplaria typis mandata ubicunque inveniri possunt supprimetur, et (ne inveniri non possint) hoc confestim excudatur, ejusdemque centum ectypa eidem Reverendissimo D. Episcopo Clocherensi tradantur. Hoc tamen testimonio nostro modi, quo praefatum decretum conditum et typis mandatum est, non obstante, volumus ut suum cuique partium jus sit illaesum.

Signat.

Kilkenniae,
29 Januarii,
1648.

Joannes Tuamensis electus. Franciscus Aladensis.
Henricus O Nellus. Turlachus O Boillus.
Geraldus Fenellus. Patricius Brianus. Zepherinus Barronus. Robertus Devereux."

(141) Ex hoc decreto liquet illius primae sanctionis authores in Eugenium O Nellum male processisse. Nec dubitandum est quin ipsi et complices multa alia in ipsum, aliasque Nuncii et Cleri fautores occulta pariter molitione patrarint, a Supremo Judice olim revelanda, nisi paenitentia deleantur.

(142) Interea Nuncius 25 Januarii Kilkennia Waterfordiam appulsus primo omnium ad ecclesiam Cathedralem se contulit, deindeque Bikingamiae Ducissam, tunc Antrimio uxorem, in ea urbe commorantem visitavit. Quo tempore in eum portum detortae sunt quatuor naves hostiles, quas nostrae bello navali superarunt, indidemque Nuncius receptis a Rege Catholico literis responsum dedit, quod ex Italico hic interpretor:

"Sacra Regia Majestas.

(143) "Ad laudes quas Majestas Vesta, ob hujus meae *Nunciaturae* labores mihi attribuere dignata est, non potest mihi occurtere responsum magis appositum, quam me illis indignum confiteri, sed cogitare, quod eodem responso regium Majestatis vestrae judicium posset haberi ullo modo offuscatum, id efficit, ut deliberatum mihi sit potius tacere, et mutare responsionem in humillimam gratiarum actionem. D. Didacus de La Torre inter referendas Majestati vestrae hujus miserandi Regni perturbationes persuaserit etiam Majestati vestrae

quantopere debiles sint vires meae et impares oneri hic sustinendo ad restituendum postliminio splendorem religionis. Lenitur autem magnopere tota haec difficultas, ubi video in obsequio, quod Sedi Apostolicae exhibeo, concurrere pariter observantiam Majestatis Vestrae suis propriis actionibus intentae superandis etiam suorum Regiorum progenitorum studiis in fidei semper utilitatem et propagationem. Et sic Deum precans, ut
 1269 sancta et magnanima Majestatis | Vestrae magis magisque prosperet consilia humillimam ipsi offero reverentiam. Waterfordia 9 Februarii 1648."

(144) Nullam invenio antehac datam ad Nuncium a Rege Catholico epistolam praeter illam 28 Maii 1647, quam suo loco superius ex autographo Hispanico Latine verti. Crediderim autem ob interceptionis metum tardius fuisse Nuncio traditam, non nisi post ejus regressum Galvia Kilkenniam mense Novembris, ipsumque Nuncium pari metu detentum distulisse responsum donec ipse portui et navi mox solventi esset vicinus. Verum his omnibus praecautionibus non obstantibus Ministris Gallicanis, ipsique Ministro Principi, Cardinali Mazarino, relatum est Regem Catholicum ad Nuncium dedisse literas gratulatorias, et licet Cardinalis usque ad Nuncii redditum in continentem tacuerit interpretationem tamen fecit textu graviorem suo loco recensendum, et ita verbis dissimulavit, ut operibus locutus sit, quibus Nuncii conatus potentissime pessundedit, sicut in progressu palam fiet.

(145) 13 Februarii duobus Mahometanis Waterfordiae in ecclesia Cathedrali maximo populi concursu baptizatis, mox duo alii ejusdem nationis, nescio quo pacto illuc tracti declararunt se etiam velle converti, rogantes Nuncium ut se baptizare dignaretur, quos ille Franciscanis illius urbis fide instruendos commisit, deindeque ibidem Sabbato Sancto primum baptizavit, mox confirmavit, ac demum eadem die ad sacrum solemne sanctissimo Christi corpore refecit. Eademque die Waterfordiam ex Hispania appulsus Nuncium laetus convenit Comes Craffensis, Scotus, quem anno superiori haereticum ab ipso in Ibernia ad fidem Catholicam conversum fuisse vidimus. Quo 23 Aprilis cum Moinerio, Regis Christianissimi in Ibernia tunc Agente, Kilkenniae colloquium habente, orta est inter ambos ita contestatio ut post discessum alterius ab altero Moinerius Craffensem ad duellum provocaverit. Sed ambobus jam in equis sedentibus, atque ad locum singulari certamini ex condicto

designatum progressuris, Concilium Supremum et Taaffus autoritatem interposuerunt, atque ad concordiam reduxerunt.

(146) Diximus antea multa ad D. Massarium, Decanum Firmanum, pertinentia, qui anno 1646 a Nuncio et Iberniae Clero ex illo Regno ad Innocentium decimum allegatus et a Sua Sanctitate cum subsidiis jam indicatis anno superiore ex Urbe remissus, plurimas molestias superius relatas atque itineris obstacula in Gallia patienter devoravit. Speravit ille se ante regressum ex Gallia coacturum lite Gubernatorem Rupellae ad restituendam sibi praedam pecuniariam a suarum fregatarum altera mari factam Novembri praeterito. Verum ita praedae partem nescio quam a praefato Gubernatore clanculum datam recepit ut tum litem illam atque alteram super navis S. Petro nuncupatae venditione superius tactam Nuncio Galliarum reliquerit prosequendam, ipseque hoc anno id curavit ut | arma a Magno 1269 Etruriae Duce in bellum Ibernicum suppeditata ex urbe v Burdegalensi Rupellam fuerint transvecta, cum quibus ac duabus suis fregatis ad 4^m Martii Rupella ventis vela dedit. Novem autem diebus quibus navigavit, non solum ab aurae inclemensia, Oceani procellis, et ventis adversis difficultatem passus est, sed etiam quinque vicibus in hostes piraticam exercentes incidit, et tribus ex his pugnando, duabus autem fugiendo, suae saluti consuluit; demum 13^o Martii stylo veteri Duncaniam appulsus consumptis in ea legatione Romana mensibus duodeviginti et diebus tredecim, ex quo pridie Calend. Septembris anno 1646 ex eodem maris sinu Romam profecturus navigaverat. Offendit autem Massarius in ipso Duncaniae propugnaculo Nuncium, qui auditio a mercatoribus paulo antea ex Gallia advectis ipsum fuisse Rupellae in procinctu ad trajiciendum, velut interno instinctu tractus, 7 Martii Waterfordia Duncaniam venerat, ipsi ad appulsum congratulaturus. Porro vix verbis assequi quis posset quanta laetitia cumulatus alter alterum est amplexatus. Egit autem Nuncius ante Massarii trajectionem per epistolam 29 Januarii Waterfordia scriptam Magno Etruriae Duci ob armorum donum gratias infinitas, eadem pollicitus fore ut etiam Faederati ipsi literis gratitudinem profiterentur, qui (credo) in hoc ejus fidem liberarunt. Denique Nuncius armis jam dictis magna ex parte in eo propugnaculo depositis cum universo comitatu 18 Martii Waterfordiam remigravit.

(147) Dixi alibi suppetias a Sua Sanctitate Faederatis Iberniae Catholicis cum Massario missas fuisse scutorum millia

quinquaginta. Ex quibus (juxta computum ab ipso Massario Rupella Romam et Roma Nuncio in Iberniam a Cardinale Panzirolo 16 Martii hoc anno missum) Massarius in comparanda, instruenda, resarcienda, et providenda Sanctae Ursulae fregata 7196, in fregata S. Petri vendicanda et reparanda 2933, et in aliis sumptibus circiter 4086 scuta collocavit, praeter impensas, quas fecit ab ineunte hoc anno, quo tempore calculum illum in Urbem scripsit, usque ad appulsum in Iberniam, adeo ut multis scutorum millibus, quae Nuncius a discessu Massarii usque ad ejus redditum mutuo acceperat detractis et solutis, haud omnino magna praefati subsidii summa potuerit esse deinde superstes ad novas expeditiones.

(148) Attulit secum Massarius diu expectatas Episcoporum recens creatorum Bullas, quorum Nuncius aliis Episcopis assistentibus consecravit 19^a Martii die Dominica P. Patricium Plunquettum, Cisterciensem, Episcopum Ardachadensem; 25 Martii festo Annuntiationis B. Virginis P. Boetium Mac Eganum, Franciscanum, et totius Ordinis Observantinorum Diffinitorem Generalem, Episcopum Rossensem, unaque D. Robertum Barraeum, Episcopum Corcagiensem. Dominica Resurrectionis (stylo veteri) 2^o Aprilis P. Terentium O'Brien, Dominicanum, Episcopum Imliacensem, unaque P. Antonium Mageocheganum, Franciscanum, Episcopum Clonmacnosensem. Dominica in Albis D. Walterum Lincaeum, Episcopum Clonfertensem. Et hos quidem Waterfordiae; Kilkenniae vero sequentes, nempe die Dominica 23 Aprilis D. Andream Lincaeum, Episcopum Finiborensem. 1^o Maii P. Arthurum Magnesium, Cisterciensem, Eugenii O Nelli ex sorore nepotem, Episcopum Dunensem. Et denique 7^o Maii die Dominica P. Oliverum Darsium, Dominicanum, Episcopum Dromorensem. Quorum Imliacensis, ac Clonmacnosensis, Clonfertensis, Finiborensis, Dunensis, et Dromorensis Nuncium aliosque convivio exceperunt, sed caeteris munificentius Clonfertensis, ac Dunensis, et prae illo hic, qui Concilium Supremum, et tanto numero Proceres ac nobilitatem invitavit, ut octoginta ad primas mensas discubuerint. Ardachadensem potius Nuncius post consecrationem aliosque consecrationis ejus die prandio exceptit, exhibita ad epulum Lectione. Rossensem et Corcagiensem tabulae mihi non tradunt nec invitasse, nec invitatos fuisse, nec contrarium.

(149) Attulit etiam Massarius literas Pontificias, seu *Brevia*, anno quidem superiore, quo ille Roma recesserat, data, proin-

deque a nobis superius ad eum annum inserta, sed hoc anno, quo in Iberniā appulit tradita, quorum suo Nuncius accepto sic respondit:

“ Sanctissimo D. Nostro Innocentio Papae X.

“ Beatissime Pater.

(150) “ Indignum plane me Sanctitatis Vestrae filium ostenderem religiosa hujus Regni incrementa non ipsi statim autori, velut olim Christo Domino Discipuli, renunciarem. Sanctitatis Vestrae pietas ac directio, quae tam grande opus incepit, ipsa perficit solidatque. Ego inutilis servus aerem duntaxat verbero, neque ausus fuisse ejaculari sagittas, nisi meis manibus superpositas Elisaei manus persentirem. Laetatur sane Ibernia Beatissime Pater, quod diuturnas animorum tempestates sedente ad Petri Clavum Sanctitate Vestra sedare jam speret, quod haeresi pluribus in locis profligata in caelestis aedificii constructionem insurgat, et quae tot annos ingemuit quasi discipula erroris, fulgeat hoc tempore, prout antiquitus audiebat, magistra veritatis. Nimirum nunquam felicius quam in ipso innocentiae saeculo *Sanctorum Insulam* veteres sibi titulos vindicaturam sapientes existimant. Mihi, in perturbatissimo Regno pro fide ac Sede Apostolica laboranti, praecipuum erit votum, ut Sanctitati Vestrae pro ea, quam gerit erga hos populos, pastorali sollicitudine praemium ipse Dei filius rependat, asserens ea vidente ac gaudente inter donatas sibi a Patre haereditates Iberniā, et possessionem suam terminum hunc terrae. Caeterum quas voluit eximia Sanctitatis Vestrae benignitas ad me literas destinare, eae consequentibus etiam annis honori mihi juxta erunt, ac verecundiae, datae videlicet in Apostolici exemplar ministerii si imitari didicerim, contra, si aberravero, in male obiti muneris exprobrationem. Ut haec vota fortunet Deus, 1270 ac Sanctitatem Vestram diu incolumem servet faelicitati Christianae, humillime ad ejusdem sanctissimos pedes provolutus, ex animo precatur

Kilkenniae,

1^a Maii, 1648.

Humillimus, obsequentissimus ac fidelissimus servus
Joannes Baptista, Archiepiscopus Firmanus.”

(151) Massarius literas Pontificias Prestono, et Eugenio O Nello, singulas singulis, traditurus, Prestoni filium Kilkenniae monuit se

Caterlacha, ubi Prestonus tunc domicilium haberet iter facturum, ibique literas Pontificias Prestono traditurum, deindeque transiturum ad Castrum-Rebanum, ubi Eugenius tunc esset in hybernaculis. Prestonus a filio monitus exivit die condicto ad viam Regiam (quae Kilkennia Caterlacham ducit) cum uxore (ad ineuntem hunc annum ex Flandro-Belgio reversa) et liberis Massario occursurus, et honorificentius domum ducturus. Verum Massarius alia venit via, cumque Prestonum domi non offendisset, perrexit ad Eugenium, qui flexis genibus literas Pontificias recepit venerabundus. Massarius autem Prestonum data opera abfuisse suspicatus, proindeque ipsi succensens, literis etiam 5 Aprilis datis justam sibi datam fuisse succensendi ansam significavit. Verum Prestonus 7^o Aprilis Hispanice respondit se (sicut retuli) Massario purgans, et objiciens se dum in via illa praetoria spatiaretur (audito Massarii per aliam viam appulso) mox fuisse redditum, sed Massarium licet loci capellanus ejus famulo, qui Domino referret, rem sincere, et celerem Prestoni redditum dixisset, tamen discessisse. Denique Prestonum etiam in Massarium excanduisse video, quasi ejus scopus simulatione tectus non fuisset aliis, quam ut Eugenium preferret, nedum honoraret. Id certum est Nuncium tunc in Eugenium fuisse longe propensiorem, nam 6^o Aprilis notis arcaniis Cardinali Panzirolo Italice scribens: "Quod (inquit) significavi de suspicione, quae D. Eugenium O Nellum occupaverat, se incurrisse indignationem Suae Sanctitatis, feliciter sopitum est non nullis literis, quas ipsi scripsi, et aliis considerationibus, quas ipsi a quodam bono viro Religioso repraesentandas curavi. Hodie hic copiarum Imperator constanter militat religione Catholicae, et modo ab Ecclesia adjuvetur, nunquam se in ea promovenda tepidum ostendet. Nam multa incitamenta, et specialiter inimicitia, quam in factionem Ormonicam fovet, ipsum semper inconcussum servabit. Utinam sic scribere possem de Generali Prestono, qui velut homo levissimus, et ad nullum per se consilium ineundum idoneus, pendet totus a perversorum virorum suggestionibus, adeo ut maximo teneat metu ne in illam conjurationem, de qua in annexa schedula cyphris exarata scribo, ipsum traxerint, non alia ductum ratione, quam ut societatem coeat in O Nellum, in quem flagrat invidia intimo cordis penetrali radicata." Haec Nuncius, postridie quam Massarius Prestono et pridie quam Prestonus Massario (sicut dixi) scripserat. Quibus non obstantibus, idem Nuncius Massario author fuit, ut | Prestono literas

Ep. 6 Apr.
1648 ad
Card.
Panzi-
rolum.
Reg.
p. 591.

Pontificias praesentaret. Quare Prestonus haec ipsa Nuncio scripsit verba:

“ Illustrissime ac Reverendissime Domine.

(152) “ Sanctitatis suae literas in forma Brevis a D. Decano reverenter accepi, et (ut par erat) venerabundus colui. E quibus, ut per amanter Beatissimi Patris animus erga nos et Regnum hoc afflictum afficiatur, intellexi, utque sentiat atque desideret pro securitate Regni, et tranquillitate confirmanda Catholicorum, ac res uno plane spiritu, unaque fide gubernandas. Faxit vero caelum, ut non minus feliciter quam sancte et sapienter exoptat. Ego quidem in id omnino incumbam ut Beatitudinis suae voto satisfaciam, atque utinam caeteri, quorum praecipue una mecum interest idem cupiant atque ex animo velint, etc.” Haec Prestonus 25 Aprilis 1648. Ad alias autem et praesertim ad has ipsas litteras Pontificias spectat schedula paucis post diebus a Nuncio ad Cardinalem Panzirolum notis secretis et Italice scripta, quam Latine traduco.

(153) “ Judicavi tandem idoneum id efficere ut Decanus Reg. Firmanus Suae Sanctitatis Breve traderet etiam Praefecto p. 606. Generali Prestono; nam tametsi in sua plus quam unquam cum D. Eugenio aemulatione persistat, nihilominus semper professus est se semper mecum bene convenire et meis monitionibus auscultare. Est tamen verum mox atque Decanus se Comitis Tironiae ensem ad D. Eugenium cum Suae Sanctitatis benedictione attulisse publicavit, Prestonum cum omnibus ipsis adhaerentibus tantas super hoc fundamentum fabricasse malignas imaginationes, ut jam non alia fama toto Regno vagetur, illis in vulgus spargentibus ensem esse insignia Regia, et futurum ut Sua Sanctitas prima vice mittat coronam. Procuro ego (quoad ejus fieri potest) ut hoc negotium, sicut in se est, intelligatur, sed ea est hujus gentis natura ut nullus non sit incapax persuasionis. Nunc dierum Prestonus ob praeteritae aestatis cladem tenui pollet fide et ab amicis sustinetur non quod ab ipsis in rebus militaribus aestimatur, sed tantum ut non desit, qui O Nello aemuletur. Et certus sum praesens Concilium cogitare de ipso Generali copiarum Praefectura abdicando, quod si contingat, non succedit nisi bene in Regni securitatem.

(154) “ Vicecomiti de Costeloch mihi deliberatum est jam non tradere suum *Breve*. Nam post aliquas controversias, quae ipsi circa Athloniae propugnaculum adversus D. Eugenium intercesserant, se gessit erga me non nulla cum diffidentia, quare expectandum duco usquequo ad mentem redeat saniorem.

(155) "D. Eugenius suum Breve recepit tanta submissione et laetitia, ut eam literis ad ipsam Suam Sanctitatem dirigendis professurus sit, sicut mecum egit. Congregatio Episcoporum suum recepit; et suum D. Terentio Cochlanu quamprimum mittetur. Kilkenniae 4 Maii 1648." Haec Nuncius. |

¹²⁷¹ v (156) Crediderim (quod etiam superius tetigi) diploma Pontificium Vicecomiti Dillonu vel de Costeloch missum nunquam fuisse traditum. Nam tantum abest ut Vicecomes ad illam, quam Nuncius expectandam duxit, mentem redierit saniorem, ut etiam illis ipsis diebus, exindeque coaluerit iis, qui in Nuncium ejusque fautores insurrexerunt, nec usque ad Nuncii regressum destiterit. Porro super praefato Tironiae Comitis gladio ad Eugenium misso quidam aemulorum suam exoneravit bilem his carminibus Anglicanis, quae totidem Latinis mox subnexit interpretor:

(157) "The sanguine hands of the O Nellian scept
Have now receaved the Papall giftes long kept,
Earl Hugh, to whom the Phenix plume was sent,
Among the birdes on earthe most eminent.
And to his Nephew Owen (a sword is come)
The Hercules both of ye world and Rome.
And expect a further present, what ?
The Imperial Scepter of O Neilles lost stat.
Left with the Pope to keepe. With reason then
The Pope should not restore the same again."

Latine autem sic sonant⁽¹⁾:

(158) Haec indicant quanta Prestonus atque alii Ormonstae in Eugenium invidia tunc flagrarent, quantoque passionis impetu praecepitarentur ad conflandum ipsi Faederatorum odium citra causam exceptis malignitate et livore plenis interpretationibus. Nam illum Hugonis O Nelli, Tironiae Comitis, Ecclesiae Ibernicae adversus nefariam Reginam Elizabetham acerrimi vindicis, qui Romae anno 1616 exul decesserat, gladium non Pontifex sed Pater Lucas Wadingus Romae Massario tradidit, rogavitque ut suo nomine ad Eugenium transportaret. A Pontifice autem (si non etiam P. Luca certe Massario supplante) fuisse benedictum non nego. Nam Massarius 9 Februarii

Rel.
cap. 25.

⁽¹⁾ (*Versio Latina in MS. desideratur.*)

1647 Roma Nuncio in Iberiam scribens: “Recuperavi (inquit Italice) illius celebris bellatoris, Tironiae Comitis Ultoniensis ex O Nellorum familia, gladium *duarum manuum*, quem praefato Generali D. Eugenio destinavi, | et ubi Sua Sanctitas benedicere 1272 dignata fuerit, mecum portabo ipsi praestandum.” Haec ille. Quod ergo hic fuit mysterium? Quod peccatum, nisi maligne interpretantium? Cum tamen praefatus P. Lucas ipsorum Ormonistarum fautor haberetur singularis usque adeo ut propterea apud Pontificem Innocentium aliorum deinde querelis motum offenderit, magnaqua qua antea valuisse ceciderit fide et auctoritate. Et haec quidem sunt, quae de Massario tunc regresso significanda habui.

(159) Ad ineuntem hunc annum ex Gallia pervenerunt Kilkenniam duo nobiles Scotti rogatum magnis instantiis ut Faederati missis in Scotiam copiis bellum in eo Regno instaurarent, partes ibi Regias adjuturi. Verum deploranda Faederatorum discordia deinde secuta ipsis hac occasione arripienda interclusit. Interea hostes in Momonia et Lagenia ad primam Januarii septimanam praesidiis exierunt praedabundi. Quorum Insequinnius in Comitatu Limericensi haud parvi momenti castellum occupavit, et Jonius Dubliniam egressus, ac per Midiam Occidentalem pabulatus, non nulla ibi loca igni consumpsit, sed in eodem tractu Montisfernani Monasterium aggressus confusionem reportavit et damnum, Franciscanis cum non nullis militibus, qui Religiosis suppetias venerant, se generose defensantibus. Nec servorum suorum vindictam distulit Deus, cum post pauculos dies ab iis, qui se interfuisse dicerent, Faederatis Kilkenniae relatum sit plures naves ex Anglia praefatis Dubliniensibus cum militum supplemento et subsidiis pecuniariis fuisse missas, sed mox orta faeda ac turbulentia tempestate quatuor navigia ita certo fuisse inter trajiciendum submersa, ut crederetur alia simili infortunio justam Dei sensisse animadversionem.

(160) Ad primam Februarii septimanam Insequinnius jam ex comitatu Limericensi digressus tribus peditem millibus et paulo minus equitibus sexcentis Clonmelliae viciniam infestabat, adeo ut Surio, fluvio, copiis trajecto, Carrigiam interceperit, non nullis Ultoniensibus, ibi tunc praesidiariis, caesis, captaque deinde Richardi Everardi, census equestris, uxore, familia, et rebus, cum quibus illa post noctem pridianam Carrigiae transactam flumine, et cymba Waterfordiam decem milliaria vicinam fugiebat. Quo etiam tempore relatum est Jonium Dublinia exiisse versus comitatum Kildariensem. Quo factum ut Faederati

Diar. ad
22 Jan.
1648.

metuerent ne mens hostibus esset ex Momonia et Lagenia in unum corpus coalescere, et se conjunctis viribus valentius divexare. Hinc Waterfordiae, ubi tunc Nuncius commoraretur, data est opera ut civitas in tuto poneretur auctis ita excubiis, ut ipsi etiam ecclesiastici arma sumpserint. Aucta autem fuit et metuendi et excubias agendi ansa, Insequinnio post captam Carrigiam progresso cum viribus ad agrum Waterfordensem, 1272 ubi aliquot dies impune grassatus, | misit qui suo nomine urbis v Praetorem moneret, ut suppeditato vino honeste cum militibus ageret. Praetor tria vini dolia, et non nihil rei cibariae concessit, nec ita quin Nuncius ejus liberalitatem aegre tulerit. Ille vero cum reliquo urbis magistratu Nuncium convenit et efficit propitium, ostenso (credo) non fuisse liberalitatem, sed necessariam vexationis redemptionem, ne scilicet hostis Waterfordensis praedia rusticana et suburbana dirueret.

(161) Insequinnius exinde medio circiter Februario ad agrum Kilkenniensem se recepit viciniam late patentem praedabundus et conatus indigenas efficere stipendiarios. Callanam autem oppidum quinto lapide Kilkennia dissitum cepit et mox misit qui Concilium Supremum Kilkenniae tunc residens moneret ut de tributis circa ipsam urbem, nedum comitatum numerandis convenirent. Interea intercepta a Faederatis fuit epistola ab Insequinnio ad Jonium data, qua ille hunc ad virium coalitionem circa Kilkenniam condicto die Februarii 16 invitabat, affirmans urbem ab ambobus paucarum horarum insultu certo certius expugnandam. Epistolae baiulus confestim Kilkenniae laqueo suspensus est diebus illis percussae extremo pavore, et maxima animorum consternatione, quod praesto non esset nec dux, nec praesidium, quo hostium audacia reprimeretur. Inter quas angustias Concilium Supremum (inquit Nuncius) constanter se gessit, quod nullum ostenderit signum volendi discedere Kilkennia, aliter civitas capta fuisse. Verum haec Concilii constantia vix profuisset nisi Eugenius O Nellus ejusque exercitus in Lagenia hybernans, aditu ad Insequinium interclusisset Jonium, qui ea mente cum quatuor millibus peditum et equitibus mille Dublinia movit, fluminis etiam interpositi, atque Eugenio foventis inundatione praepeditus, et non nullis suorum ab exercitu Ultoniensi peremptis demum regressus cum confusione. Quo viso, nec non Prestono cum tribus peditum millibus in Kilkenniae praesidium accito, et Taaffo cum suis viribus movente, Insequinnius spei irritus Carrigiam retrocessit, duodecim etiam scutorum millibus, quae in tributum comitatui Kilkenniensi

Reg. p.
588. Ep.
24 Feb.
1648 ad
Card.
Panz.
Diar. ad
13 et
19 Febr.

extorturus esset, frustratus Concilio jam vetante ne solverentur, conjecto etiam in carcerem eo, qui aliorum nomine jam numeratus proficiscebatur. Porro his motibus factum est ut ad portum Waterfordiae vicinum, quem *Trajectum* vocant, 50 Ultonienses collocati fuerint, qui et munitionem ibi erectam et portum servarent. Qua procella utcunque sedata Nuncius 18 Februarii Waterfordia Concilio Supremo hanc epistolam scripsit:

Passage.

(162) "Audio constantiam DD. VV. Illustrissimarum in recenti periculo istius civitatis, quam ego, si praesens fuisse, ex animo nulla habita ratione seu facultatis seu vitae fuisse imitatus. Jam pluribus ex successibus apertissime constare potest quem animum adversarii habeant erga Catholicos, quid moliantur, et qua confidentia id attentent, ita ut non vereantur in vulgus dispergere lacrimabilem nuncium, quod nimirum non desint illis inter ipsos | Confaederatos, qui ejusdem cum illis 1273 sententiae sint, et (si Deo placet) vel convenientia, vel secretis auxiliis opem ferant. Quapropter instituendam hic censui continuam orationem, eo fine, ut Deus omnipotens DD. VV. Illustrissimis sensum et vires concedat ad dispellendas has turbas, et sanctam Confaederationem ad primaevos fines, non obstantibus quibuscumque oppositionibus, retrahendam. Ego certe audeo vitam exponere pro hac veritate, quod si unionem animorum resumant, vel protrahatur hoc bellum seu defensio Ibernia victrix futura est. Interim dum majora nequeo praestare, restat mihi tantum lugendum quod omnes pecuniae, arma, facultates Catholicorum tanta facilitate transeant in hostes, seu raptu, seu contributione, seu aliis modis; et e contra, in necessitatibus Confaederatorum, nemo sit qui vel levissimam pecuniae summam velit mutuare. Quid sperare possim a Deo tam graviter in hac re offenso, et qua ratione potero id exteris ac Summo Pontifici repraesentare. Deus, cuius potentiae non est terminus, ipse qui caepit, perficiat, et porro perficiet, nisi peccata obstiterint. Et DD. VV. Illustrissimis manus deosculor." Haec Nuncius.

(163) Concilium autem respondit his verbis:

"Illustrissime ac Reverendissime Domine.

"Illustrissimae ac Reverendissimae D. vestrae literas 18 Februarii datas accepimus, et gratias quantum possumus redimimus maximas, quod tam alacri animo se periculis pro nostra incolumitate et honore (prout revera in dies facit) objicere voluit.

Nos, etsi id temporis non tantum ab hoste timendum duximus, quantum fama ferebatur, animis tamen neque nobis neque Reipublicae deesse voluimus. Antiquae est illud astutiae in hoste, ad quod saepius recurrat, ut nos velit inter nos serendis discordiis et odiorum causis discindere invicem, eoque fine nunquam non spargit rumores de suis inter nos amicitiis privatis, correspondentiis, et id genus. Unde quia hoc diu multumque nobis compertum est, istos nuncios non tanti facimus, nec Illustrissimam D. vestram illos multum curare volumus, nisi aliis quam vulgaribus sermonibus pateant.

(164) "Quomodo arma, pecuniae, facultates Catholicorum ad hostes transeant, nisi quae in acie fugatis nostris, aut coercita contributione habeat, nos equidem non novimus. Si Illustrissima D. vestra aliquid super his rebus fusius novit gratum erit si nos certiores faciat, qui omni studio conabimur malo subvenire et reos condigno suppicio afficere.

(165) "Non possumus negare quin deplorabilis sit noster in hoc status, quod paucissimi pecunias in usus publicos mutuare velint, etsi illas forsan (uti fit) hosti praemium incendiorum, rapinae, et mortis ipsis illatae reservent.

(166) "Orationibus continuis istic institutis eo fine, ut his nostris malis velit Deus Opt. Maximus remedium praebere multum nos devincit Illustrissima D. Vestra. Ut enim principio rerum nos non ausi sumus, propriis viribus fisi, duo potentissima Regna bello lacessere, nisi Deum cuius causa potissimum bellum gerimus, propitium speraremus, ita nisi per ipsum finem malorum nostrorum non expectamus. Illustrissimae D. vestrae manus deosculamur.

Kilkenniae,
6 Martii, 1648.

Illustrissimae Dominationis vestrae
Addictissimi servi: |

I²⁷³
v
Joannes Tuamensis electus. Franciscus Aladensis.
Edmundus Limericensis. Geraldus Fenell.
Zepherinus Barronus. Robertus Devereux.
Patricius Brianus."

(167) Eodem tempore centum pedites hostiles D. Poueri domum duobus milliaribus Clonmellia distantem egressi uxorem ejus et filium male multarunt seque manubiis onerarunt. Verum 50 Catholici milites ex Clonmelliae praesidiariis illo digressi in

praefatos praedones adeo viriliter insilierunt ut octoginta duobus captis et caeteris eorum caesis manubias recuperarint.

(168) Ad ejusdem mensis Februarii initium quidam Faederatorum, quem Nuncius D. Forgallum vocat, suum magni momenti Castellum in Roscomaniae comitatu situm, quod ante tres menses hostibus proditione traditum erat, ab iisdem recuperavit, eademque occasione vicinam Insulam, quae ad defensionem haud mediocriter conduceret, occupavit. Eodem mense praecipi relatum est ipsum trecentos Scotos, qui in Castellum iterum invadere conati erant, interemisse. Et D. Richardum O Faerallum, qui hoc anno ex copiarum Ultoniensium legato in exercitus et Provinciae Conaciensis Praefectum generalem cooptatus erat, se accinxisse ad Sligoam obsidendam. De qua expeditione faeliciter absolvenda magnam omnes spem concipiebant, quod Richardus esset et disciplina militari praeclarus, et fere omnibus, praesertim militibus valde gratus.

(169) Proderit etiam ad posteritatis instructionem quod invenio Nuncium hoc mense Martio ad Episcopi Limericensis literas Kilkennia datas respondisse his verbis, ex quibus ipse lector colligat de qua re esset disceptatio:

(170) "Quod causa sacerdotis, de quo scribit D. vestra Illustrissima, videatur in foro saeculari, non solum est contra Canones et sanctiones Apostolicas, sed etiam non video quo modo se ingerentes possunt evitare censuras in illis inflictas, cum praetextus legum regiarum vanissimus sit, utpote nullam habentium a Sancta Sede confirmationem, quae semper reclamavit, ut videri potest in historiis Anglicanis. Cum autem ego aliquid de similibus rebus scripserim ad Sanctissimum D. N. per Agentes Romanos ut Sanctitas Sua moneatur ad aliquid concedendum, si fieri potest, ob securitatem conscientiarum, D. vestra Illustrissima videt quam importunum esset ut ego deberem scribere hunc actum Sanctitati Suae, eo praesertim tempore, quo nova auxilia ab ejusdem Sanctitate sperantur. Quapropter cum DD. Consiliarii aperte videant me in hoc casu silere non posse, tum ob predictas rationes, tum ob debitum mei officii, precor illos enixe ut contenti sint delegationem accipere a me praedictae cognitionis vel alium similem modum adhibere, quo nec conscientia laedatur, nec Sedes Apostolica interveniat offensa. Praeter enim haec duo nullum alium habere finem possum in re, quae bonum publicum respicit, ut D. vestra Illustrissima significat. Quo vero ad capturam sacerdotis, si Ordinarius loci ex se ipso vel ex mandato Epis-

coporum eam jussit, fortasse bene processum est. Si ex mandato Concilii perinde est, ac si saecularis ipse magistratus jussisset, et multo magis si carceratus Curiae saeculari consignatus est, quo casu eadem censurae incurruntur. Precor Deum ut inspiret I²⁷⁴ Confaederationem Catholicam agnoscere se obligatam diverso modo se gerere quam olim Reges, qui tandem ex hac praecipue usurpatione se et Regna pessum dederunt. Scribam separatis de reliquis, et D. V. Illustrissimae manus deosculor.

Addictissimus servus,
Joannes Baptista, Archiepiscopus Firmanus
et Nuncius Apostolicus."

Duncaniana,
12 Martii, 1648.

(171) Antequam ulterius in rebus Ibernicis progrediamur, necesse est paulisper digredi ad perstringendum Angliae tunc et Scotiae statum, cum haec digressio ad res Ibernicas imposterum referendas sit nedum summopere utilis, sed etiam plane necessaria. Nam quicquid domi a Faederatis vel foris ab Oratoribus Ibernicis reliqua hujus veris parte et hac aestate gestum est, maximaque inter ipsos Faederatos orta discordia, non nisi praevia hac brevi rerum Britannicarum notitia potest explicari.

(172) Itaque anno superiore cum Farfarius atque ejus exercitus (partibus Regiis jam in Anglia Scotiaque omnino debellatis, et Rege in Parlamenti Anglicani potestatem a Scotis tradito) haereticae Independentium sectae adversus sectam Praesbyterianam adhaesissent, et Praesbyterianos jam in Parlamento superiores, ac militiam subitariam consribentes ad initium Augusti depressoient, Parlamentum quoque ex sui fautoribus conflassent, ab utraque hujus novi Parlamenti domo 7° Septembris missae sunt Hamptoncurtum ad Regem ibi ab arctis excubii, et armata rebellium manu detentum, propositiones, quibus Regi intra sex dies annuendum erat vel abnuendum. Verum Rex iniquissimis conditionibus non subscrispsit, sed rogavit ut propositiones paucis retro diebus ab exercitu exhibitae in deliberationem venirent. Exercitus enim paulo ante a factione Praesbyterianana sibi metuens Regem abripuit, et omnium, qui Rege studerent, coalitione vires aucturus propositiones jam dictas Regi (ut videbatur) magis proficuas palam proposuit, verum nefarii rebelles superatis jam Praesbyterianis easdem nunc a Rege propositas confirmare detrectarunt. Interea Scotia in

Angliae Presbyteranos adversum Independentes propensior per deputatos, Loudenium et Lanericum, Parlamentum urgebat, ut Regi fieret potestas accedendi Londinum, qua cum ipso praesente ageretur, vel certe Hamptoncurti constitueretur in libera conditione extra Independentium et copiarum Farfaxii potestatem, quatenus Rex, Parlamentum, Scotti, partes denique omnes libere de rebus pacandis agerent. Verum tantum abest ut hoc concessum fuerit, ut etiam Rex 12° Novembris 1647 Hamptoncurto in Vectim, Insulam, translatus, ibi sub Hamondi Tribuni, quem utraque rebellium domus Parliamentaria dictae Insulae nuper praefecerat, potestate in custodiam datus sit, ne si in Anglia potius destinaretur, facilius dilabi posset, antiquorum sui fautorum et Praesbyterianae partis jam depresso exacerbataeque, nec non Scotorum coalitione Independentes tunc rerum | potitos aggressurus. Rex per literas ex ea Insula eodem mense scriptas, et Scotorum delegati Londini residentes vehementer apud Parlamentum institerunt ut de pace ageretur, sed Rege prius libertate donato, et Londinum admisso. Parlamentum autem post longam disceptationem 26 Novembris 1647 abnuendum decrevit, nisi ea lege ut Rex ante omnia quatuor propositiones ratas haberet: 1°. Ut militia regni secundum Parlamenti decreta constitueretur. 2°. Ut revocarentur omnia Regis edicta et juramenta contra Parlamentum, atque eos qui Parlamento adhaeserunt. 3°. Ut Comites et Barones, qui post deportatum Oxoniam sigillum magnum creati essent Pares Regni non reputarentur, nec locum in Parlamento tenerent. 4°. Ut fieret potestas utriusque Domui Parliamentariae sessiones ad libitum comperendinandi. Hae propositiones (Scotiae deputatis dissentientibus, et edicto publico sua sensa in contrarium palam facientibus) 24 Decembris 1647 Regi in suo carcere, Castello Carisbroco, per Parlamenti delegatos oblatae sunt. Verum ille assensum generose denegavit, oblatis tamen conditionibus suo jure longe inferioribus modo liberatae donaretur, et caetera postliminio restitueretur. 3° autem Januarii 1648 Parlamentum in eam ivit sententiam, ut ostenderit has omnes cum Rege tractationes eo fuisse destinatas, ut his artificiis omnem pacis non contractae invidiam in Regem deonerarent, et aliquod justitiae velum iniquissimo novo Regimini a se exigendo praetenderent. Nam tunc palam in deliberationem venit *ut Respublica sine Rege constitueretur*. Quare ab utraque Domo Parliamentaria 17 Januarii decretum: 1°. Ut nullae deinde a se ad Regem applicationes fierent. 2°. Ut nullae etiam ab ullo hominum sine

1274

v

utriusque Domus permissu fierent. 3^o. Ut qui secus facerent, perduellionis essent rei, et velut tales puniendi. 4^o. Ut neutra Domus Parlamentaria, imo nemo homo a Rege nuncium reciperet vel afferret. Quibus tenebrosis Parlamenti decretis in lucem editis, copiarum rebellium Imperator, Farfaxius, aliquae Duces inferiores, totius exercitus nomine, edicto palam faciunt sibi statutum esse Parlamento in his aliisque omnibus eodem fine prosequendis constanter adhaerescere, ad stabiliendam Parlamenti Regnique securitatem *sine Rege et contra Regem, aut quoscunque alios illi deinceps adhaesuros.*

(173) Hunc in modum quod antea prudentiores futurum praesagiebant, tunc citra ambiguitatem hebetissimis quibusque innotuit: nempe Parlamentum Anglicanum non aliud ab initio belli atque in progressu anhelasse quam monarca et monarchia extincta intrudere tyrannidem, qua nemini suum esset securum, sed nebulonum avaritia, ambitio, violentia, rapina, et crudelitas dominarentur. Hinc magna in Anglia, Scotia, atque Ibernia secuta est animorum mutatio. Nam Regiis antea in Anglia et Scotia debellatis et dispersis, jam innovandi belli intumescebat animus, societatem militarem spondentibus Angliae Praesbyterianis, quos antea cum | Independentibus conjunctos in Regem rebellasse, sed Rege pessundato Independentibus succubuisse vidimus. Scotia quoque Galli in Regem Angliae propensi instantiis fatigata fractaque, et Praesbyterianis potius quam Independentibus amica, atque ipsius Regis Angliae et Principis Walliae conditionibus redintegranda pacis clanculum oblatis contenta, eidem bello regio magnam partem nomen dabat, sed certante aliquot menses duplici Scotorum factione, quorum alii Ducem Hamiltonum, tunc demum a Rege stantem, alii Argathiae Comitem, Regi adversantem, ita sequebantur, ut Hamiltonus praevaluerit. Scotia hunc in modum Regi militante eandem fortunam secuturi erant Scotti, qui Ultoniam in Ibernia Scotiae respondentem incolebant, adeo ut Scotia hoc vere in copioso exercitu conscribendo et Regimine in Parlamenti Anglicani perniciem domi mutando occupata fuerit, Regiis Angliae partibus opem latura et Independentes aggressura.

(174) Verum de hoc Scotiae apparatu parvam a Sua Sanctitate spem tunc conceptam fuisse video. Nam Cardinalis Panzirolus notis arcanis Nuncio ex Urbe 16 Martii 1648 scribens: "Nuncia (inquit Italice) negotiorum Regis Angliae semper evadunt deteriora, et jam (sicut literis significatur) imminent extrema ejus oppressio, et Coronae ac Regni privatio. Unica

adhibendi malis ejus remedii spes est quod Scotti male sibi satisfactum esse ostendunt. Verum D. vestra novit quam tenuis ponenda sit fiducia in natione venalissima, quae paucis mensibus elapsis ipsissimam Regis personam vendiderat." Haec ille.

(175) Haec Angliae et Scotiae discordia in Iberniam quoque penetravit; nam Scotti Ultoniam incolentes a sua Scotiae nutu pendebant. Jonius, Dubliniae Gubernator, exercitus Anglicani in Lagenia Imperator, Independentes, novumque ab ipsis erectum in Anglia Parliamentum sequebatur. Et Insequinnius, exercitus Anglicani in Momonia Praefectus Generalis, passus est vicissitudinem, quae cum praecipuam nobis scribendi segetem praebeat, ab altiori repetenda est principio et exactius recensenda.

(176) Is ab hujus belli primordio, et aliquandiu in progressu Regias partes adversus Parliamentum sequebatur. Verum postea ad Parliamentum ita transitionem fecit, ut tamen instar ipsius Parlamenti profiteretur sermone et edictis publicis se non adversus Regem sed adversus Regiminis ejus corruptelas, quo Parlamenti et populi libertas sarta tecta maneret, militare. In utroque autem statu Catholicis hostem se exhibuit longe infensissimum copiis et subsidiis ex Anglia ipsi identidem subministratis. Sed hoc ejus obsequium non effecit quin Parliamentum, cuius ille magnificis antea pollicitationibus inescabatur, triumpho ad annum 1646 in Anglia jam adversus Regem confecto, destinari mense Februarii 1647 in Iberniam *Lilum*, qui Insequinnio abdicato, eam ejus loco provinciam obiret, appulsus in Momoniam cum viginti quinque librarum sterlingarum millibus, et recenti militum manu; quibus post aliquot hebdomadas, ipsum in Angliam vacuis manibus | explosum Insequinnius exxit, exinde a Parlamento fere habitus velut rebellis, et omni prope ex Anglia subsidio destitutus, licet ab eo tempore per annum integrum saepius institerit ut Parliamentum sibi in Praefectura Generali continuando suppetias transmitteret. Hinc utrinque nata diffidentia ac interea depressis eodem anno 1647 in Anglia Praesbyterianis, atque usurpata ab ipsorum in rebellione collegis Independentibus armorum togarumque auctoritate, hi altius novi regiminis jacturi fundamentum, nil interim relinquebant intactum, quo illum supplarent, et ille ita simulabat ac dissimulabat, ut semper paveret caveretque ne a suis etiam militibus Anglicanis Parlamento proderetur, non modo praefectura multandus, sed etiam graviori plectendus supplicio.

1275

v

(177) Ormonius, quem aestate superiore post Dubliniam aliaque Lageniae praesidia Parlamento tradita in Angliam navigasse vidimus, his rerum circumstantiis sagaciter perpensis, ubi se tantopere a Parliamentariis delusum sensit ut (si Philopatro ejus parasito credendum) ne pecunias quidem ex pacto Dubliniae antea celebrato sibi in Anglia vel alibi ad ejus nutum numerandas obtinere potuerit, omni resarciendae fortunae expectatione ex hac parte frustratus ita Reginae et Principis Walliae, quo in Iberniam Prorex destinaretur, gratiam aucupaturus hoc anno in Galliam trajecit ut eodem tempore D. Joannes Barrius Tribunus, totus aere et libra Ormonista, ab ipso remissus in Iberniam se receperit, ipsi ex illa parte viam stratus ad eandem Proregiam dignitatem recuperandam.

(178) Barrius ad medium Februarium navi appulit Corcagiam, regresso jam a superius perstrictis hujus anni depraedationibus Insequinnio, cum quo ille egit, deinque fide publica Kilkenniam transiit, ubi etiam sua Concilii Supremi parti Ormonicae arcana proposuit. Porro antequam in densissimam hujus controversiae sylvam, et profundissimum pelagum penetravero, praemoneo in manus incidisse meas ipsius Supremi Concilii Diarium hac super re Patri Rouaeo ipsorum ad hanc causam Romae agendam Procuratori traditum, idque si non in Ibernia ante ejus hoc anno 1648 profectionem, certe in itinere a quodam Concilii fautore Latine redactum eo in ordinem ut Romae controversiae status declararetur. Rouaeus autem ita illud suis in Urbe scriptum communicavit, ut ibidem tunc scriptum ejus ectypum jam praemanibus sit. Ex quo etiam Philopater Irenaeus, qui Diarium ipsum (ut tradunt) Latine dispositus, multa se in suarum *Vindiciarum* Libellum derivasse fatetur. Hoc ergo manuscriptum Latinum ubicunque citavero, semper vocabo *Diarium Concilii*, ad distinctionem Diarii Nuncii, quod simpli- citer hactenus vocitavi, et imposterum vocitabo *Diarium* sine addito. Jam redeamus.

(179) Barrius ergo ubi primum cum Insequinnio, deinque cum Concilio Supremo egisset, Concilium ad inducias cum Insequinnio contrahendas propendens, hanc eidem Insequinnio epistolam scripsit.

“Angustiae quibus in praesens Regia persona et authoritas premitur, | una et fidelitas, quam praesefert erga Majestatem D. Tua, nobis ansam porrigit plenam a te propositi tui probationem exigendi. Concursum tuum ac operam in iis requiri-

mus, quae pro Majestatis libertate et commodo proposituri sumus, cuius si rationem habeas, necessarium erit ut salvum conductum mittas pro securitate eorum, quos ad conferendum tecum sermonem legaturi sumus. Ex quo speramus magnum commodum ad Regiam Majestatem, Dominationis tuae, ac nostrum dilectorum amicorum tuorum partes manaturum.

Ex Arce Kilkenniensi,

1^a Martii, 1648.

Joannes Tuamensis electus. Edmundus Limericensis. Franciscus Aladensis. Geraldus Fenell. Patricius Brian. Galfridus Baron. Robertus Devereux."

(180) Nuncius haud ignorans Barrium Corcagiam et Kilkenniam appulisse, et occultam aliquam in Ormonii favorem suspicans esse machinationem, sed nihil hac ex parte certum habens, eodem die scripsit Concilio Waterfordia Kilkeniam his verbis:

" Illustrissimi ac Reverendissimi Domini.

(181) " Increbuit hic rumor Scotos in Ultonia non solum ab Anglis dissidere, verum etiam confederationem cum Catholicis propediem admissuros. Quicquid tandem hoc sit, quemadmodum ego censeo Reipublicae ac Regno valde opportunum, ita etiam optarem esse religioni Catholicae proficuum; ideoque gratissimum mihi erit si DD. VV. Illustrissimae aliquid mihi super hoc rescribant, quod Sanctitati Suae non solum politice utile, sed etiam gloriosum quoad religionem appareat. Precor interim Deum ut fortunet inceptum, ex quo multa sperari bona possunt etiam in aliis regnis. Et illis manus officiose deosculor.

Waterfordiae,

1^a Martii, 1648.

DD. VV. Illustrissimarum ac Reverendissimarum
Addictissimus servus,

Joannes Baptista, Archiepiscopus Firmanus."

(182) Concilii responsio ad Nuncium:

" Illustrissime ac Reverendissime Domine.

" Nos qui hostes converti desideramus, et quantum fieri potest, religionem Catholicam sine sanguine propagare nullum non motum volumus lapidem. Hinc audita inter Anglos et Scotos discordia D. Eugenio O Nello commisimus ut Scotos in Ultonia ad partes nostras alliceret, aequis tamen conditionibus et religioni Catholicae et Reipublicae; sed non tam invaluit adhuc tractatus, ut quas poscunt Scotti concessiones, sciamus. Ut

*Diar.
Concilii.*

primum eo pervenerit res, Illustrissima D.V. certior fiet. Interim Illustrissimae D.V. manus deosculamur.

Kilkenniae,

6^o Martii, 1648.

Illustrissimae ac Reverendissimae D. Vestrae
Addictissimi servi,

Joannes Tuamensis electus. Franciscus Aladensis.

Edmundus Limericensis. Zepherinus Barron.

Robertus Devereux. Geraldus Fenell. Patri-
cius Brian."

(183) Habetur Concilii Diario Concilium occasionem tractandi de armorum inducisi eo libentius amplexum fuisse, quo id generis negotium Illustrissimo D. Nuncio magis acceptum fore collegerit, verum constat Concilium scripsisse hac de re Calendis Martii, proindeque nondum accepta Nuncii epistola iisdem Calendis Waterfordiae scripta. Deinde Nuncius nullam illis literis, nec Concilium sua ad easdem responsione superius posita de induciis

1276 cum Insequinno contrahendis | mentionem fecit. Denique ea epistola Nuncius expressit quanto cuperet studio, ut ne cum

v Scotis quidem, de quibus solis in ejus epistola quaestio erat, nisi conditionibus Ecclesiae proficuis induciae percuterentur, quod ut Philopater sileret, Nuncii literas 1^o Martii datas, et jam dictam Concilii responsionem in medium non producit in suis *Vindiciis*, licet in suo Concilii Diario contineantur. Validissimis autem ducebatur rationibus Nuncius ad credendum longe utilius fore, ut cum Scotis potius quam cum Insequinno armorum cessatio pangeretur. Nam Cardinali Panzirolo ante Barrii appulsum notis arcanis scribens: "Ex quo (inquit Italice) auditum est crevisse discordias in aliis duobus Regnis, Scotorum in Ultonia

Reg. P. 563. Praefectus Generalis multis indicis ostendit se propendere ad societatem cum Catholicis adversum Anglos coeundam. Hi Domini O Nelli haud segnem negotio aurem praebent, et audio ipsos curare ut id ipsum a Concilio Supremo ratum habeatur. Nam non solum illorum duorum Regnorum dissensiones utilitatem parerent, sed etiam exinde hic sequeretur quod hi Ultonenses tantopere ab aliis Provinciis odio habiti in patriam cum honore et emolumento redirent. Denique speraretur fore ut vires in Scotiam transmittenrentur, eaque occasione in illas regiones religio Catholica transportaretur. Non cogitandum est Iberniam unquam esse posse quietam, nisi bellum portet domum alienam. Et ego si hic casus successerit, procurabo ut faedus percutiatur

in religionis commodum, quod per temporis circumstantias licuerit maximum." Haec ille, 5 Januarii 1648. Quae rationes in induciis cum Insequinno tunc contrahendis locum non habebant, praesertim juxta ea, quae idem Nuncius notis pariter secretis et Italice 24 Februarii, proindeque ante illas suas litteras ad Concilium Calendis Martiis scriptas eidem Cardinali significaverat. "Anglia (inquit) tantopere perturbatur ut Parliamentum miserit postulans suppetias a Dubliniensibus. Non apparet Insequinnum illas ex Anglia recipere posse, et in Ultonia Scotti vellent nobis adversus Anglos coalescere. Quod curo ut succedat, cum profectu et honore religionis." Haec idem, quibus superius dicta non mediocriter conformantur.

*Reg.
p. 589.*

(184) Insequinnius, quasi Concilium Supremum nullo numero haberet, acceptis ejus literis haud ipsum responso dignatus est, sed ad solum Doctorem Fenellum, alterum ex Consiliariis Ormonii studiosissimum, rescriptsit petens *induciarum conditiones impertinentissimas*. Hanc ejus epistolam Concilii Diarium nos celat, quod aliquo mysterio non vacare videtur.

*Ep. 8 Apr
an. eod.
ad eumd.
Reg.
P. 595.
et ibid.*

(185) Porro his ipsis diebus ab Ultoniae Comitiis Provincialibus diffinitum fuit, ut Eugenius O Nellus atque universus exercitus Ultoniensis non inducias cum Scotis ibi late habitantibus concluderent, sed potius aperto in ipsos marte insilirent, ac totam Provinciam liberare conarentur, dum Scotia bello Anglo distenta Scotis Ultoniam incoletibus suppetias venire non valeret. Verum complures e Clero ac nobilitate Momoniensi instabant, ut vires | Ultonienses potius in Momoniam moverent Insequinnum debellature. Quare Nuncius jam rumore de induciis inter Concilium Supremum et Insequinnum contrahendis percrebrescente, ubi praefatam Ultoniensium deliberationem per ipsorum literas didicisset, ipsa die, qua Massarius cum subsidiis Pontificiis in Iberniam appulerat, scripsit ex arce Duncaniae sequentes rationes, quibus aliud Ultoniensibus persuaderet, internuncio (sicut conjecto) P. Paulo King strictioris observantiae Franciscano. Haec ergo ibi sunt Nuncii verba:

1277

(186) "Omnibus consideratis videtur eligendum ut exercitus Ultoniensis potius vadat in Momoniam, quam redeat in Ultoniam.

(187) "1°. Quia charitas Catholica suadet, ut quantum fieri potest, habeatur cura etiam aliarum Provinciarum, quae sine aliqua parte militum Ultoniensium remanerent in praesenti

statu expositae inimicis, et male etiam affectis, qui male affecti in lucro haberent posse allegare impotentiam defensionis, ut arriperent quamcumque pacem et accommodationem cum periculo religionis. Cui damno nullo modo possent Ultonienses dare remedium dum sunt occupati in recuperatione propriae Provinciae, nec posteaquam eam recuperassent, essent in statu veniendi ad liberationem aliarum Provinciarum, quia tunc istae fortiores essent et sub jugo penitus inimicorum. Quare videretur Sanctitati Suae, et omnibus Principibus exteris quod Ultonienses sibi et rebus suis addicti non curaverint de aliis. Et ut uno verbo dicam, quod venerint in alias Provincias quando non debebant venire, et recesserint quando non debebant recedere, seu, quod idem est, Ultonienses in aliis Provinciis multa damna intulisse, et nullum praestitisse emolumentum.

(188) “^{2º}. Quia expeditio Ultoniensis cum tanta admiratione omnium fieri non deberet, nisi cum maxima certitudine profectus. Alias existimari posset assumpta vel ob taedium militiae, vel ob aliorum invidiam, vel ex quacunque alia causa non satis approbanda. At quae certitudo possit hic haberi non video, cum licet pecuniae habeantur ad regressum in patriam, nihilominus postea dubitatur unde haberi possint ad praestandum aliquod servitium, atque ideo posset ab aliquibus reputari expeditio vel inanis, vel ridicula, ac praeberet occasionem obloquendi ac deridendi cum maxima exultatione inimicorum.

(189) “ Et licet D. Nuncius paratus sit quicquid poterit erogare in exercitum Ultoniensem, quia ipsum reputat non habere alium finem quam securitatem religionis, nihilominus animadverti debet, quod distributio pecuniarum Pontificiarum ad hoc ut possit cum spe et faenore ulterioris auxilii fieri, debet occupari in aliquo servitio nobili, et cognito, quale esset expugnatio Dublinii, vel Corcagiae ad exhilarandam Sanctitatem Suam, et animandam ad ampliora subsidia, prout sine dubio succederet, et eo maxime, si posset id praestare dum DD. Fernensis et Plunchettus erunt Romae. Quae omnia in recuperatione terrarum Ultoniensium videntur cessare, cum quicquid ibi fiat, non possit in Curia Romana aestimari alicujus momenti, in qua ex fama et nomine fiunt judicia rerum, et secundum easdem mensurantur.

(190) “ Accedit quod adhuc Nuncius scire non potest, quid praecise attulerit Decanus, detractis omnibus expensis, et debitibus hic contractis, imo praetensionibus tot hominum et

difficultatibus exigendi etiam quod publice impensum est anno praeterito, in qua re Concilium Supremum non videtur velle agnoscere publicum debitum. Quare necesse est eo magis ut quicquid fuerit, impendatur saltem in tale opus, in quo Sanctitas Sua existimet bene impensum, quidquid etiam ultra summam applicaretur. Quod sine dubio succederet, si Corcagia et exercitus Insequinnii delerentur.

(191) "Quare ex omnibus hucusque deductis non videtur dubitandum magis gratam Deo futuram expeditionem Momoniae Sanctitati Suae magis gloriosam, et Ultoniensibus etiam magis honorificam et proficuam, etc. 13 Martii 1648."

(192) Ultonienses aliarum Provinciarum odium et continuas querelas pertaeserunt, ita ad redeundum in Ultoniam, modo Concilium Supremum approbaret, se accingebant, ut tamen parati essent movere potius in Momoniam, si Concilium consentiret. Quinetiam saepius institerunt ut sibi fieret eo transmigrandi potestas, polliciti fore ut mox Insequinnum tributis, commeatu, annona, omnibus denique vitae subsidiis intercluderent, nec aliud quam haec provinciae per Insequinnum extorta exigerent stipendum militare, exceptis ipsorum hostium praedis et manubiis; sperabant enim fore ut Insequinnii copiis ipsa fame et rerum omnium inopia pereundum esset, et Angliae Parlamentum bello juxta intestino ac Scotico praecepit, atque Insequinno succensens nec posset nec vellet subvenire. Nec ipse Insequinii exercitus Ultonienses reprimere valeret, cum longe majores veteranorum copias recenserent ab ipsis Momoniensibus magno numero libentissime coalitulis ad nutum non modo supplendas, sed etiam longe magis auctitandas. Verum multis aliis Momoniensium, praesertim Ormonii in ea Provincia fautoribus, qui sibi ab Ultoniensibus ruinam metuebant, et Concilio Supremo abnuentibus, illa Ultoniensem instantia saepius iterata ad nihilum recedit, et Concilium tunc ipsis hybernacula in 20^m. Aprilis prorogavit, ne Lagenia et ex ea parte Regnum Jonio in praedam pateret.

(193) Insequinnius autem ex parte sua viam sibi muniebat ad inducias jam dictas cum Concilio Supremo perficiendas, nisi suppetias, quas utique desperabat, a Parlamento Anglicano obtineret. In quem finem scripta fuit in Angliam ab ejusdem Insequinnii Concilio militari epistola Anglicana, quam hic reddo Latinam, quae proprie nihil est aliud quam illius exercitus

Ep. 6 Apr.
1648 ad
C. Panz.
Reg.
p. 593.

apologia, qua se Parlamento de induciis propediem contrahendis,
et jam animo decretis purgabant. |

1278 *Epistola missa a Concilio militari per Chiliarchum Stubersum.*

“ Illustrissimi Domini.

(194) “ Post subsidiorum expectationes tam diu frustratas et seriam conditionis nostrae vere calamitosae considerationem, et post accepta nuncia, quibus docemur quosdam haud obscuro loco positos in Anglia suggestisse, et fuisse conatos persuadere hunc Momoniae exercitum tributis, atque aliis hujus Provinciae proventibus subsistere posse, et se ipsum conservare. Nos dolentes quod ejusmodi relationes et statui nostro et vestris ibidem juribus omnino praejudicent, humiliter vobis patefacimus nos probe scire praefata tributa et alias summas, quae ex tota Provincia numerantur, longe esse inferiores, quam ut nos sustentare aut conservare valeant, usque adeo ut nisi intra mensem, vel ad summum intra sex hebdomas, aliquas ad nos suppetias accelerare dignemini, futurum sit ut nullo modo hic ulterius militare, vel id quod Deo propitio a nobis paratum est, tueri valeamus; cum militum sit penuria, atque enecans fame conditio, nec officiales nisi paulo meliore statu gaudeant, adeo ut nisi hujusmodi subsidia quantocvus subministrarentur, haud aliud expectandum nobis sit, quam ut ipsi in extremam ruinam deducamus, praefecturas deseramus, et vestra hic jura non sine aliqujus aerarii expensis, aequo ac sanguinis effusione comparata, perdantur. Nam etiam nunc (hoc intempestivo anni tempore) cum debili valetudinario et fame exhausto exercitu, qui inter prodeundum in aciem non nisi ex equitum peditumque quatuor millibus constat, victum in regione hostili quaerere compellimur, haud sine extremo totius Provinciae amittendae discrimine. Hoc vobis eo intimare tenemur, ut et vos et universus mundus perspectum habeatis quam fideli cura et studio, quod jam possidemus, servare cupimus, nisi inedia et sinistris delationibus id fiat, ut animam agere cogamur. Futurum autem speramus ut Deus Opt. Max., qui vestras hactenus actiones prosperavit, nostris etiam conatibus pari successu colophonem addat. Quod si nullatenus fieri potest ut militum supplementum, reique pecuniariae, apparatus bellici, et armorum (quorum omnium extrema inopia laboramus) subsidia adeo tempestive transmittantur, tunc supplices rogamus, ut intra praefatum tempus nobis viam, cui ad illos Protestantium hic superstitum manipulos neci

praecipiendo insistamus, praescribatis, et eo nos, quos huc amandastis, favore dignemini, ut nobis naves transmittatis, quibus domum remigremus, ubi nosmetipsos ab extremo excidio praeservemus. Etenim a nupero praelio hic commisso omnes vires ab hostibus in hanc Provinciam infunduntur, in quam Ultoniensium et Lageniensium copiarum pars se jam receperunt, vindictam summa malitia comminantes et certam sibi spondentes nostri deletionem, cum non ignorent nostros milites nuditate atque inedia in plateis interire, equos esse consumptos, faenum et avenam pene | exhaustum, et phaleras ¹²⁷⁸ omnes laceras, tritasperque. Porro humiliter obsecramus, ut hae declarationes, et necessitatis, quae premur, relatio in futurum sufficiat ad nostram curam et fidelitatem manifestandam, purgandamque, si eorum, quae nunc et tempore praeterito suppliciter postulavimus, defectu cogamur (quod, ne futurum sit, metuimus) vestra hic jura dedere, quo et nostram et hujus miseri populi vitam sartam tectam reddamus. Hunc in modum, quo simus statu, et in quam unanimitate sententiam iverimus, aperiimus, et Dominum oramus cordibus vestris inspiret quatenus nobis subsidium subministretis, qui non desinimus esse

Vestri fidelissimi et aerumnosisissimi servi etc."

(195) Praeter hanc epistolam ab Insequinnii Concilio bellico missam, dederunt ad Parlamenti Anglicani Prolocutorem ejusdem exercitus officiales alteram, simili modo, et scopo apologeticam Parlamento legendam, quam ex Anglica Latinam subdo.

Epistola 4 Martii 1648 missa cum Copo centurione.

"Domine Prolocutor.

(196) "Quadrat aequa proportione ad tam gravem inconvenientiam reluctantia, qua hunc in modum saepe cogimur asserere nostram fidelitatem in obsequendo honorabilibus domibus, in quas sicut variis evidentiis (de quibus procul inani gloria meminimus) nosmetipsos sincere fideles esse manifestavimus; sic etiam divinae placuit providentiae nostra studia plurimis fidem superantibus secundare bonis successibus, quos reportaturi licet cum omnibus difficultatibus collectati simus, et omni cum tolerantia a viris nullo necessario et auxiliari medio non destitutis subeunda contenderimus. Nihil tamen offendimus, quod nobis plus molestiae afferret, aut plus animis nos

dejiceret, quam nobis procreari reperimus, ubi constanter observamus esset in malignorum atque inexorabilium inimicorum nostrum perinde potestate atque praxi de nobis diffidere, et easdem diffidentias nutrire, non modo in gravissimam nostram injuriam et dedecus (quod minus moleste ferremus, si ipsorum malitia in nos desineret) sed etiam in obstruenda subsidia militiae publicae destinata, et designata, et in irreparabile ejusdem praejudicium, quod inimici nostri tam parvo aestiment, ut id illi pacto, quod in nostram perniciem celebraturi sunt, inserant, cum valde nobis sit verisimile haud paucos istic in authoritate constitutos in id incumbere ut subsidiis interclusi hic in desperata, languente, et caduca conditione persistamus, et in despicibili apud honorabiles domos dubiaque aestimatione perseveremus. Idque haud alterius eget probationis, quam quod post illa diversa promissa literis, quas domus Darbiensis honorabiles Commissarii direxerunt, facta et suffragia lata ad transmittendas nobis suppetias (praesertim cum Instructor generalis, Sterlingus missus esset, qui urgeret domorum beneplacitum, quae unica tunc allegabatur remora ad retardanda septena vestimentorum, | 1279 et dena librarum pecuniarum millia antea in nostri levamen decreta) demum non nisi aeris pondo 2700 nobis missa sunt (designatis ejusdem summae tantum mille et quingentis libris in nostram et militum, qui imperio nostro subsunt, rem cibarium), et non obstante insigni incorruptae nostrae erga illam causam ac militiam integritatis ac studii documento a nobis dato in nupero adversum rebelles apud Montem Ramosum praelio (quod citra ullam vanae gloriae affectationem obiter tangimus) suffragia tunc iterum in nostri levamen lata et decretum de nostra indemnitate conditum (quae non tantam apud illos, quorum obsequium unice profitebamur, haesitationem passura fuisse existimabantur) neglecta sunt, nihilque eorundem authoritate efficaciter et utiliter factum est quod in nostrum commodum cederet, excepta praefatarum 2700 librarum transmissione; quinimo ex adverso novae de nobis conceptae sunt fotaeque suspiciones et diffidentiae. Itaque tolerabiliorem ducimus esse nobis afflictionem quod vitas nostras publicorum hostium recens potentium (qui trium diversorum exercituum coalitione ad obviandum nobis instructa acie haud magis animantur ac nos artificio et machinatione, quo justis illis et necessariis subsidiis intercluderemur, adhibita, viribus ad manus cum ipsis conserendas idoneis destituimus) malitiae instar sacrificii expositas videamus, quam quod observemus nostrum honorem, reputationem, et



integritatem, quae nobis vita nostra cariora sunt, in frequentem adeo quaestionem vocari, indigne proscindi, denigrari, et traduci famosis potentium et praevalentium nostrorum adversariorum calumniis, tametsi tanto studio atque integritate con-nixi sumus ut indubitatis testimoniis atque argumentis nostram fidelitatem demonstraremus. Quare si supra vulgarem modum affligamur et animis dejiciamur, futurum speramus ut omnes, quibus honoris stimulus sit, agnoscant id non esse nisi ob causam longe plusquam vulgarem. Jam ergo cum adversarii nostri, non solum in nobis omni hic ad vestrum obsequium subsistendi spe privandis praevaluerint, sed etiam procuraturi ut imposterum non nisi vestro favore multati vivamus, processerint, solatio, quod ex aliis quam his nostrae fidelitatis commendationibus recepturos nos fuisse firmiter sperabamus, hunc in modum intercepto perversoque, unum, quo nostri obsequii memoriam testificemur, remedium nobis fecerunt reliquum, quod est ut isti honorabili domui humiliiter denuntiemus involvi nos tantis et extremis indigentiis, angustiis, atque universali inopia, et nostras debiles ac nudas vires a tribus exercitibus inter se conjunctis adeo premi, ut nullam excogitare possimus viam humanam, qua ulterius militando subsistamus, nisi per eorum, in quorum obsequio et sanguinem et facultates exhausimus, beneplacitum et pietatem licuerit ad nos aliquas tempestivas et idoneas suppetias transmittere, vel ut coacti acquiescamus illis conditionibus, quas rebelles nobis concesserint. Quod maxime omnium abominamur, cum sciamus | nostra 1279
indigentia reddendas esse tales, ut nobis ruinam et opprobrium parere debeant. Itaque in eam ivimus sententiam ut illud unicum remedium, quo et nobis et multis pauperum Protestantium millibus de vitae incolumitate provideatur, adhibeamus vel certe honorabiles domus navigia, quibus transportemur, destinare non graventur. Et sic nostro erga Deum et homines obsequio satisfacturi, haec supplices praesentamus perpendenda, et finem facimus.

Thomas Serle. Joannes Trenchard. Joannes Gifford. Gulielmus Kingsmill. Percy Smith. Edmundus Temple. Gulielmus Fenton. Franciscus Courtenay. Richardus Townsend. Carolus Blunt. Gulielmus Knight. Joannes Booker. Aym. Muschamp. Thomas Dowrith. John Daniel. Michael Byrne. Thomas Graham. Gulielmus Rives. Daniel Boulton. Hayward St. Leger. Richardus Boyle. Christophorus

Elsinge. Robert Manley. Antonius Marley. Richardus Aldworth. Joannes Price. Richardus Cope. Josue Boyle. Thomas Graham junior. Abraham Prust. Eduardus Doyle. N. Purdon. Gulielmus Wardes. Fulke Martin. Joannes Bannister. Jacobus Power. Georgius Caulfield. Henricus Smithwicke. Alexander Pigot. Joa. Catfield. Carolus Gibbon."

(197) Ex his liquet Insequinnium ad ineuntem Martium ita a Joanne Barrio et Concilii parte Ormonica aliisque Ormonistis clam Ormonii redditum anhelantibus fuisse tractum ut ipsi tunc decretum fuerit cum Concilio inducias contrahere, et Independentium proindeque Parlamenti tunc Anglicani jugum excutere. Quod cum Concilium cuius partem conjuratio latebat, non ignorasset, 15 Martii cum Zepherino Barrono literas ad Nuncium dedit, quae ne verbum quidem unicum de induciis cum Insequinno contrahendis continent, cum tamen Concilii Diarium tradat Concilium literis illis *de re tota* ad Nuncium scripsisse. Id verum est Concilium literis illis Nuncium rogasse, *ut dignaretur Barrono plenam fidem adhibere in omnibus ipsorum nomine dicendis.* Quid autem Nuncius ore tenus Barrono tunc responderit mihi hactenus in ipsius tabulis non occurrit. Tradunt tamen ejus adversarii Barronum Kilkenniam regressum Concilio retulisse Nuncium noluisse ut induciae vel cum Insequinno vel cum Jonio absolverentur. Quod dubio procul (sicut ex praecedentibus, sequentibus, et satis aliunde nobis nota ejus voluntate colligimus) non nisi ea lege ratum habuit ut induciarum conditiones in Ecclesiae utilitatem et faederis Catholici progressum redundarent, cuiusmodi erant illae, quibus ante hoc tempus, sed post rejectam Ormonii pacem et post depressam aliquandiu ejus factionem Nuncium et reipublicae tunc moderatores, ut Insequinnum occultis conditionibus in partes illicerent, contendisse colligo ex instructionibus Anglicanis hactenus in Nuncii Archivo asservatis, et propria (ni me apices fallunt) D. Nicolai Plunquetti manu scriptae, quas hic Latine verto. |

Diar.
Concilii.

1280
M.C.O.P.N

"*Instructiones pro Richardo Everardo milite Baronetto in ejus Legationem ad Insequinnum.*

(198) "In primis ubi salvum conductum receperis, tibi ad Insequinniae Baronem proficiendum est, comitate Florentio FitzPatricio armigero. Repraesentabis suae Dominationi modum quo Parlamentarii tantum ipso impraesentiarum in suae

Patriae cognatorum omnium et affinium ruinam utuntur, et fore ut demum, si illi suos fines assequi poterunt, ipse tenui polleat favore et in praeceps ipse quoque deferatur, cum illi inveterata flagrant malitia in totam nationem.

(199) "Ipsi ob oculos pones successus, quibus natio prosperata est nuper in tribus Provinciis, in Ultonia adversus Scotos, et quam magna fuit in Scotos atque Anglos victoria in Conacia, nec non illa adversus hostes apud Bunrattum. Et quomodo nunc exercitus sub Praefectis Generalibus Prestono et O Nello peditatus septemdecim millia et equitatus millia bina continent, praeter vires in Momonia et Conacia militantes.

(200) "Ipsi repraesentabis in quam felici statu res suas colloabit, modo Faederatis Catholicis coaluerit, societatem cum ipsis coierit, et evaserit Catholicus, quales fuerunt ante ipsum omnes ejus majores.

(201) "Ea etiam occasione ipsi ostendes quo pacto Tomoniae Comes deserendo suam habitationem et transeundo ad Parliamentum suas possessiones et honorem (quantum ad suorum patriotarum affectiones pertinet) confiscationi obnoxia reddidit, et cum nunc Faederati Catholici pacem Ormonicam rejecerint, facile patet Muscruum dominari non posse, et sic omnibus bene perpensis tempus est opportunissimum, quo ille ad suam utilitatem utatur, et viam quam possit certissimam sibi sternat ad Corcagiam, Yeoghelliham, Kinsaliham, Bandipontum, et reliqua, in quibus dominatur praesidia, in tuto ponenda in patriae suae obsequium et Faederatorum Catholicorum usum. Quo officio cum suam nationem maximopere sibi demeriturus sit, dubitari nequit quin in promptu praestandum sit quicquid in sui promotionem proposuerit, et in ulteriore ejus profectum eadem ratione suae patriae benevolentiam denuo sibi conciliabit.

(202) "Sicut occasio se offert, omnia quae dixerit diligenter auscultabis et animadvertes, et ab ipso propositiones, si quas obtulerit, recipies, et si spem dederit fore ut in ipso operam non perdas, inducias inter nos, quo negotium illud melius tractetur, contrahi poterunt, ea lege dum sex septimanarum curriculum non excedant.

(203) "Resciendum tibi est nunquid ejus filius cum Parlemento se tenet, et significabis opinionem quam duxeris probabilem circa obstaculum quod id ponere posset ejus conversioni." Hactenus illae instructiones.

(204) Hae ergo cum antea, licet incassum, propositae fuerint, et eo spectarint ut Faederati induciis et pactionibus cum

1280 Insequinnio celebrandis in ipsius Insequinnii conversionem,
 v factionis Ormonicae refraenationem, et summam Ecclesiae ac
 nationis Ibernicae utilitatem uterentur, mirum non est Nuncium
 earundem instructionum memoria et eodem modo proficiendi
 spe possessum Zepherino Barrono hoc mense Martio a Concilio
 Supremo ad se Waterfordiam misso forsan dixisse se in pan-
 gendas cum Insequinnio inducias consensurum, modo ad
 Faederationis Catholicae scopum quadrarent. Neque enim
 unquam controversiae cardo fuit, nunquid inducias cum
 Insequinnio contrahere (nam hoc Nuncium bono fine et
 conditionibus anhelasse, nendum voluisse superiores instructiones
 demonstrant) sed quo modo contrahere expediret? In quam
 non nisi postea consentire potuit Nuncius vel dissentire, quia non
 nisi postea a Concilio diffinitum. Nec enim nisi Barrono
 Waterfordia, ubi tunc Nuncius moram faciebat, Kilkenniam
 reverso Concilium Insequinnio hanc epistolam scripsit de
 modo quo induciae essent contrahendae, sub quarum praetextu
 Ormonistae et Insequinnius clam aliis Catholicis conjurationem
 stringebant:

“Eximie Domine.

Diar.
Concilii
p.p.

(205) “ Dominationis Tuae epistolam ad Doctorem Fenell per
 Colonnellum Barrium datam, dictumque Colonnellum audivimus
 data sibi a te mandata exponentem, in quibus peculiaria sunt
 compluria, quae non potuimus penetrare. Itaque Richardum
 Everardum, Barronettum, et Callaghanum O Callaghan,
 nobilem, mittimus, qui et has literas tradant, et difficultates
 expriment nobis ex Colonelli legatione natas. Mentem insuper
 nostram et propositum super re, qua de agitur, Dominationi
 suae exponent. Rogamus igitur ut negotium Majestatis com-
 modum patriaeque bonum tantopere spectans Dominatio tua
 libere et serio cum illis tractet, fidemque illis adhibeat in omnibus,
 quae nostro nomine exhibere se profitentur. Interim sumus

Dominationi tuae admodum addicti,
 Joannes Tuamensis. Edmundus Limericensis.
 Athunry. Henricus O Nellus. Robuccus
 Lincaeus, Eques. Zepherinus Barronus.
 Gerardus Fenell. Torlachus O Boyle.”

(206) Legatis praeterea injuncta erant mandata, quorum haec
 capita:

Conc.
Diar.

(207) “ Primo loco jubentur Baroni exponere Regiae Majes-
 tatis servitium faederatis adeo cordi esse ut cum illo peculiarem

armorum Cessationem pro Regis commodo terra marique concludere cupiant.

(208) "2°. Se non posse quatuor Comitatus, quos anno praeterito mense Maio tributarios habebat, ipsi relinquere integros, multo minus quas petit, mille sterlings in singulas hebdomadas pro alendo exercitu persolvere.

(209) "3°. Resciant quam pro firmitate tractatus securitatem dabit, et si factus fuerit, utrum et quando publicabitur.

(210) "4°. Regiones ejus certis quibusdam limitibus, *Aquis scilicet nigris*, finire conabuntur, ut si id minus sufficiat, an non totus Corcagiensis Comitatus cum residuis praeteriti anni tributis satis erit, inquirant.

(211) "5°. An peracto negotio statim ad regias partes publice transiturus, nobisque contra communem hostem auxilium latus sit. |

(212) "6°. Qua securitate pecuniae, quas mutuo sibi ac 1281 Ducibus suis dari postulat, mutuantibus referendae sint?

(213) "7°. Resciat vires nobis non deesse, quibus fines ipsius ingressi, agros ejus, sicut ille nostros nuper, devastemus, nisi intuitu Regii servitii aequis conventionibus ipsius amicitiam mallemus.

(214) "8°. Ut liberum sit commercium, navesque utriusque partis in alterutrius partibus sint tutae.

(215) "9°. Ut Cessatio ad primam diem Novembris proxime futuri rata sit.

(216) "10°. Negotiationem vestram juxta haec mandata in Diar. Concilii. commune commodum, quam poteritis exactissime in omnibus dirigetis." Haec ibi. Quibus iidem, qui superiori epistolae, subscripterunt.

(217) Insequinnius hoc tempore praesidiis cum exercitu 3 May, famelico egressus, Comitatum Kierensem depraedabatur, ubi 15 Junii 1648 ad Card. Panz. post praefatum legationem ad se a Concilio Supremo decretam scripsit D. Joanni Plunquetto epistolam mox interceptam, quam Reg. p. 604. Nuncius jure merito haud semel citat, ad demonstrandum quod 620 et 645, induiae illae, de quibus cum Insequinno contrahendis agebatur, et Relat. cap. 24. a Concilio Supremo praetendebantur occultae Ormonistarum et Insequinnii conjurationi adversus se partesque suas, ac praesertim Eugenium O Nellum cognomento *rufum*; quod cognomen hic semel indico ut imposterum scias per Eugenium *rufum* non modo in sequenti epistola, sed etiam in multis aliis actis sparsim producendis, Eugenium O Nellum significari. Epistolae

illius Anglicae scriptae primam partem huc spectantem Latine subdo.

“ Domine.

(218) “ Cum generalis accommodatio, ad quam Regnum excepta Eugenii Rufi et Nuncii factione concurrit, jam immineat, ad publicum Regni bonum et commodum plurimum conductet ut ad ipsos et fautores supprimendos nullum studium non adhibeat. Quapropter aliquam militum partem in tuum Castellum et aliam in Castellum Dromense, ac denique alterum praesidium Balicarbriam ad tempus introducere decrevi, ut sic Comitatus ab illis *pueris desidibus*, Ultoniensibus, et licentiosis militibus, a quibus modo opprimitur et divexatur, liberetur, et Daniel Macartius, nec non Castri-Mangii praesidiarii, qui Comitatum depraedari et infestare vellent, domi se continere cogantur. Negotium ad bonum publicum spectat et nullatenus Dominae praejudicabit, quam spondeo suis literis tibi mittendis approbaturam, quod ego praescripsero. Id autem impraesentiарum est ut praesidium, quod nunc istuc misi, statim introducatur.” Haec Insequinnius Collecough 1^o Aprilis 1648; qui postea a Concilii Commissariis interrogatus, dixit se tunc scripsisse hostium more et jure quatenus inter ipsos Catholicos discordiam seminaret, et ex hac discordia ipse proficeret; induciarum tamen si contraherentur conditions exacte observaturum, et iis, de quibus in illa epistola mentio esset, minime gentium, modo et ipsi inducias semel absolutas non respuerint, nocitulum. Porro Concilium Supremum cognito quantopere Nuncius hac epistola in occultae conspirationis probationem niteretur, respondit (ne nihil omnino causarentur Ormonistae)

1281 nihil aliud ab haeretico tunc | hostile expectandum, quam ut in v Catholicorum ex adverso bellantium perniciem et suum commodum falsa scriberet. Verum sicut Insequinnius reipsa tunc tria praefata Castella suis praesidiariis munivit, ita Nuncius jam dictam ejus epistolam velut evidentissimam conspirationis demonstrationem haud injuria identidem allegavit. De qua etiam Romam regressus: “ Sic (inquit Italice) palam factae sunt technae, de quibus antea in occulto agebatur, et remansi plus instructus una sola hostis epistola quam millenis eorum, qui mihi assistebant, verbis et scripturis.” Haec ille.

(219) Insequinnius ubi Concilii Supremi literas et legationes superius positas perpendisset, et ab ejusdem Concilii legatis superius memoratis rem fusius didicisset, jam ab excursione militari, qua Comitatum Kierriensem divastarat, recessit, suisque

*Causatio
Insequinnii
et Ormon-
istarum
fraude-
lenta.*

*Relat.
cap. 24.*

officialibus et antea et tunc 3^o Aprilis aperuit se Parlamento Anglicano nunquam adhaesisse, nisi ea lege ut sua Regi jura sarta forent tectaque, ipsum etiam Parlamentum tot tantisque decretis in lucem editis et multiplici juramento confirmatis hanc sibi mentem fuisse toties declarasse. Verum ab anno superiore in Anglia praevaluuisse Independentes, qui Parlamento et Praesbyterianis post Regem depressis novum ex suis Parlamentum erexerint, cui nulla esset primi faederis ratio. Hos usurpatores secum durius egisse, et nihil non tentasse, quo ipsi etiam in Anglicanis Momoniae praesidiis rerum potirentur. Se non modo suppetias, praeter paucissimas, ex Anglia a novo illo Independentium Parlamento non recepisse, sed etiam missum fuisse Croutherum, classis parlamentariae Subpraefectum, qui illorum praesidiorum oras maritimas velut obsidione cingeret. Itaque se et propriae incolumitatis et primaevi faederis memorem, haud posse mentem plures menses hactenus occultam diutius dissimulare, sed totis viribus Regi, Regiis in Anglia partibus, Praesbyterianis, et universae Scotiae, cum quibus clanculum convenisset, adversus Independentes palam coalitum, idque eo magis quod certus esset de armorum cessatione cum Concilio Supremo propediem absolvenda talibus conditionibus, quibus suo exercitu bene provideret. Denique Taaffum, copiarum Catholicarum in Momonia Praefectum Generalem, aliosque magno numero Momonienses sibi in eum finem spoondisse quicquid viribus et facultatibus valerent. Haec Insequinnius aliaque non pauca eodem spectantia, quibus pene omnes ejus officiales subscripterunt, iis Anglis, qui subscribere nollent, exauthoratis, quorum alios lego fuisse in carcerem ab ipso conjectos, alios vero in Angliam dimisso, cum tamen non desint qui tradant hos omnes fuisse dimisso, quorum Joannes Benyworthus, Guillelmus Battleus, Guillelmus Stotesburius, et Joannes Gettingus, qui ea die ipsum in exercitu sua sensa depromentem audierunt, et Christophorus Eslingus, Alexander Barintonus, Joannes Graius, Thomas Davisius, et Thomas Chanderus, quibus post rem in exercitu jam conclusam, eodem 3^o Aprilis apud Malloam in suo cubiculo ad se accitis, id ipsum proposuit, 7^o ejusdem mensis | postquam renuissent, et dimissi essent, in ipsa navi haec testati sunt acto publico Anglice scripto, quod praefatus Croutherus mox ad Parlamentum in Angliam transmisit, et Parlamentum typis Londini mandatum in lucem edidit. Caetera te melius docebit edictum quo etiam Corcagiae typis mandato Insequinnius ejusque exercitus in Independentes, Farfaxii in Anglia exercitum,

Conjuratio
demon-
stratur.

1282

et novum illud Parlamentum Anglicanum ab ipsis anno superiore violenter erectum insurrexerunt verbis Anglicis, sed hic Latine versis, ex quibus colligo Insequinnium jam a Rege in Momoniae praesidem fuisse cooptatum in resipiscentiae incitamentum.

“Declaratio exercitus Protestantum in Momoniae Provincia sub imperio Illustrissimi D. Baronis Insequinniae, Praesidis Momoniae, cum duobus aliis actis Parlamento missis ad accelerandas nobis suppeditias vel transportationem.

(220) “Praeclariores actiones obnoxiae sunt detractioni. Ipsa virtus multos patitur inimicos per ignorantiam. Non expectamus fore ut obloquentibus silentium imponamus; id tam est praeter nostrum scopum, quam ultra vires. Sed sola desideriis nostris meta est aequis lectoribus clare demonstrare ea, quae jam praestanda suscipimus, a primis nostris dogmatibus et constante professione nullatenus deviare. In quo non dubitamus quin praevalituri simus, modo parem justitiae favorem, qui denegandus non est, obtineamus.

(221) “Constantibus nostris in hac causa perpessionibus et sedulis in hoc bello conatibus antea universo mundo testificari sumus quam firmiter perstitimus addicti Regis et Parlamenti obsequio in communi hostile prosequendo, in quem diversi successus, quibus infirma nostra molimina prosperata sunt, non minus Dei erga nos providentiam demonstrarunt, quam rebus a nobis gestis humana conciliarunt encomia, donec succrescentes Independentium partes in Domibus (Parlementariis) et in exercitu pullularunt, qui, ubi nos haud repererunt idoneos, quibus sua consilia persuaderent, eam ob causam in nostri ruinam conspirarunt. In quem finem haud citius in D. Lilo ad hoc Regnum moderandum assumendo praevaluerant, quam brevi temporis spatio in ejusdem militiam praerogata fuere centum octoginta librarum millia, summa tanta, ut, modo in usus, quibus designata fuerat, de facto impensa fuisse, majorem hujus Regni partem ad obedientiam reduxisset. Sed decem mensibus ex duodecim consumptis in præparationibus atque aere, ne ad nostras suspectas manus perveniret, dum milites nostri in plateis fame conficerentur, detento, D. Lilus mense Februario anno 1647 cum ejusdem summae viginti quinque millibus librarum appulit, quae cum universis Provinciæ tributis 8 hebdomadarum spatio exhausta fuere, quinque tantum millibus librarum pecuniae et non nulla annona exceptis. Nec aliud tanti aerarii expensis

gestum fuit, quam quod illi, qui Corcagiam, Kinsaliam, et Yeoghelliam in Regis et Parlamento obsequium | diu et 1282 fideliter servarunt, eorundem locorum praefectura spoliati sint v ab iis, qui ibidem sui fautores collocarunt, quo propria consilia secure exequerentur adeo in Regis et Parlamenti oppressionem intenta, ut commissionem ab utroque derivatam, et magno Angliae sigillo munitam mandato a se ipsis scripto postponere contenderint. Licet autem illi novae excogitatae authoritati fidem conciliaturi, et violenter effecturi, ut ei mos gereretur, praecipuorum praesidiorum copias in aciem eduxerint, balistas pulvere nitrato et plumbeis glandibus onerarint, janus occluserint, et partem equestris legionis Vicecomitis Broghillensis ad *D. Praesidis* fores introduxerint. Nihilominus ubi officiales generaliter paucis, quos sibi singulariter demeruerant, exceptis Parlamenti authoritati in *D. Praesidis* persona adhaerere, et suarum virium ostentatione nullatenus moveri reperissent, illo consilio ulterius prosequendo supersederunt, et ex Regno ita discesserunt ut facta in terram exscensione, bona voluntatis, qua in ejusdem Regni bellum prosperandum ferrentur testimonium praebuerint, connitendo ut inter vires equestres, quae tunc paratae ad concendum et ad navigandum in hanc Provinciam secus mare se tenebant, seditionem foverent, quo factum ut postularint quatenus hoc bellum, nisi aliquis ex ipsorum factione praeficeretur, declinarent. Cum autem id, nec non multa alia evaserint debiliores molitiones, quam ut nostram ruinam accelerarent, in id animum intendunt ut omnes suppeditas, quibus hoc bellum progressum faceret, retardent vel propediант, quod ut melius executioni mandaretur suggestum fuit hunc exercitum haud tanta, quanta frequenter repraesentatur laborare rerum inopia, sed hic nobis suppeditere, unde sustententur. Verum ad illud assertum, quod a longo jam tempore allegatur, ener-
vandum, saepius et instantissime rogatum fuit ut Commissarii
huc transmitterentur, qui et diligenter exigent quicquid
emolumenti hic accresceret, et quae illinc transmitterentur,
disponerent. Sed qui suggestum media hic suppeditere, sic sup-
ponunt esse defectum in officialibus, quem praetendunt detinen-
dis omnibus subsidiis usquequo cum iis, qui satis iniqua sint in
hunc exercitum voluntate, transmitti valeant.

(222) " Huc spectat machinatio, quam hic perpendere oportet, nempe studium quo non nulli *Independentes* usi sunt, quo de nuperi nostri praelii apud *Montem Ramosum* cum rebellibus commissi gloria detraherent, affirmantes in foro publico id fuisse

Insequin-
nius recens
Momoniae
praeses a
Rege crea-
tus ut re-
sipisceret.

I. virium
Iberni-
carum.

inventionem, qua *Periclitatores*, qui tunc de pecuniis in nostri levamen suppeditandis paciscebantur, progrederentur, et quo actio illa minoris fieret, *rebellium* tam vivorum quam interemptorum catalogum diminuentes, ne rei gestae fama induceret ad subministrandas ulla, quae pares essent, suppetias, quas haud majori alacritate Domus (Parlementariae) decreverunt, quam alii in id incubuerunt ut retardarentur. Neque enim aliter fieri potuit, ut ex denis librarum millibus, a tam longo tempore decretis, et ad illius praelii nuncia denuo sancitis, tantum 2500 librae suppeditatae, et transmissae sint, vel | Senatus consulti de vicenis librarum millibus per mensem numerandis ante quatuor menses conditi et tantummodo in spatium semestre continuandi nullum adhuc effectum receperimus. Quod decretum, ubi conditum fuit, haud magis animos nostros erexit competentium mediorum eorumque fixorum considerationem, quam spe fore ut pecuniae in nostros usus exactae, eaeque ab omni aliarum taxationum mixtione distinctae nobis incorrupte et integre numerarentur, nec interverterentur modo solito, quo Iberniae levamen evasit illecebra colligendi magnas summas in alios fines,

Aeruscatio
Parlementi
Anglicani.

cum generaliter observatum sit, multique nostrum ejusdem rei testes sint oculati, nempe imposta civibus et ruricolis vectigalia in hujus affliti Regni suppetias fuisse soluta majori alacritate et promptitudine, quam ulla alia, quo factum ut nostri subsidii nomen omnibus taxationibus per suffragia statuendis intexeretur.

(223) "Haud dubitamus multos fore, qui objicient neminem esse posse tantopere a Christianismo alienum, ut hujus sanguinantis Regni, ad quod adjuvandum omnes tantopere concurrere videntur, subsidia praepediat vel intervertat. Verum cum tormentorum bellicorum instrumenta, vehicula, et utensilia, pro quibus (juxta Domini Lili libellum rationum) duodecim amplius librarum millia expensa erant, et in quorum transportationem *Joannes Vealus* mille libras acceperat, maxima ex parte detenta fuerint, id haud impune successisset nisi non nulli ad Iberniae bellum praepediendum conspirassent. Ignominiosus modus, quo illi generosi, qui juxta Parlamenti scitum se subtraxerant, et in Iberniae militiam nomen dederant, tractati sunt; permisso, qua multis in Iberniam venire cupientibus licebat in (Angliae) occidente liberis tesseris hospitari donec tantum consumpsissent, quantum ipsis ad vitam hic anno integro sustentandum suffecisset, et demum militia expuncti sunt. Ratio, qua quorundam interpositu studiose processum est ad nos privandos omni spe levaminis a navigiis praestandi, capiendo praedas

mari in nostris oris, etiam ad nostrorum portuum fauces, quod medium nos antea maxima alias inopia laborantes saepe praeservaverat. Haec (inquam) omnia haud mediocres conatus ad retardanda Iberniae subsidia adhibitos spirant. Et quae non nemo magna in exercitu authoritate pollens nupero Domini Lilli famulo nostram annonae et indumentorum inopia emorientium conditionem referenti respondit, *nempe nisi nos in Momonia satis pauperes fuissemus, se ipsos ut ita essemus effecturos,* magnam partem fuere verificata. Verum ipsis fuisse decretum eo nos redigere minus admiramur, ubi consideramus argumenta a Lamberto, Tribuno, et aliis ex copiis militaribus allata ad ostendendum hoc bellum ex parte nostra esse injustum et illicitum, justitiae vero consona esse, quae *rebelles* adversum nos patrarent, usque adeo ut quibusdam ex nostris in os assertatum sit rem Anglicanam melius stare in rebellium manibus, quam in nostris. Nec ex ipsis D. Lilli comitatu defuerunt, qui palam professi sunt se nullam | inter *rebelles* et eos ex Protstantium, quos hic invenerant, partibus fuisse distinctionem in quem scopum suae Dominationis *Minister* domesticus eodem tempore pro suggestu multa et fusius dixit, dum alii *Orthodoxi* theologi ad concionandum non admitterentur. Sed omnia, quae ad nos subsidiis intercludendos moliti sunt, in compendium redigimus hoc unico documento, quod scilicet in pecunias ad decretum, quod de vicenis librarum millibus quolibet exigendis latum erat, collectas involaverint, easdemque nostrorum quaestorum manibus abstulerint, adeo ut timendum sit ne nihil omnino magis cupiant, quam ut bellum hic ante non conficiatur quam ipsi suas in Anglia machinationes exequantur. Quo factum ut nostri pauperes milites magno numero jam in miserabilem dati sint sepulturam, quorum necis, sicut homines illi ex justitiae legibus consci sint, sic ipsis difficile erit se excusare de reatu omnis sanguinis in hoc bello fusi, qui non nisi per ipsorum molitiones factum est ut jamdudum cursum non stiterit. Quo non obstante, mira proterviunt confidentia; nam licet haec in conspectu nostro visibiliter gesta fuerint, Regi tamen et undecim membris, quibus D. Praeses accensetur quasi bello Ibernico obicem peperint, obstrepit videmus, et Independentes perinde sobriam induunt faciem, ac si manus nostro sanguine consceleratas non haberent, et aequum foret ut plausibiliter pertransirent velut nullo crimine redargui possent. Quo fine id in aliquibus culpa non vacare statuunt, quod in aliis commendatione dignum esse agnoscent.

1. Iberni.

1283

1. Ibernos.

imo
pseudo-
Orthodoxi.1. Insequin-
nius recens
Momoniae
Praeses a
Rege
creatus.

(224) "Si non in petendis subsidiis importuni sumus, Regiminis innovationibus palam occurrimus, et Parlamento inserviendi atque obtemperandi promptitudinem profitemur, instantum nobis erit ut saltem amnestiae actum obtineamus, et specialis indulgentiae instar habeatur, quod duo ex nostris officialibus eam ob causam morte multati non fuerint. Sed si exercitus in Anglia Parlamento decretis jubente ab signis discedere, vel superioribus domorum suffragiis auscultare recusaverit, vexillisque explicatis ad civitatem Londinensem moverit, id non modo approbabitur, sed etiam nos et quicunque alii paenas dabimus si ejus rei cum displicentia meminerimus, tametsi cum Angli et subditi simus, Regni leges et populi libertatem nostra perinde atque ipsorum (cum proportione) interesse et non minus esse nobis propria censeamus.

(225) "Tametsi haec occulta eorum molimina nobis fuere satis notoria, quo tamen Protestantium causam in his partibus sartam tectam efficeremus cum cunctis difficultatibus, donec ad unum omnes caderemus, potius collectari decrevimus, quam ulla cum Ibernis ineundo inducias, vel alia ratione praebere occasionem suspicandi nos vel tantillum defuisse fidei in nobis positae, ab iis, quorum authoritas huc nos destinaverat; quamdiu regimen penes illos fuit nullis discriminibus quamlibet magnis fieri potuit ut ab obsequendi sententia dimoveri vellemus. Nunc autem explorato demum adversariorum mentem esse ut 1284 omne Regis et Parlamenti jugum potius excutiant, quam | suos fines non assequantur, Dei et Regni lege arbitramur nos teneri non acquiescere eorum jussis, quos violentia, non justitia, eo authoritatis loco collocavit. Est et nunquam non erat dogma principale, quo omnia nostra consilia nitebantur, ut suae Majestatis incolumitatem et praerogativam, Parlamenti libertatem et privilegium populique immunitatem, sicut sibi invicem haec erant intexta, et a se mutuo alterum ab altero perspicue dependebant, propugnaremus. Nec nisi diu post odorari potuimus ullam suspicionem fore ut praeter hos fines nobis bellandum esset, cum jam Independentium factio suis machinationibus evassisset magis noxia, et suam Majestatem reipsa depositam, atque arctiorem vidissemus contrusam in carcerem, Parlamenti libertatem funditus ab aggressoribus occupatam, eiusdem Parlamenti inclinationem, et mentem instituendi personalem cum sua Majestate tractatum, unicum faelicis pacis medium, praedominante exercitus terrore frustratam, subditorum immunitatem et singulorum jura prorsus suppressa, et omnes alias genuinas illius olim

gloriosae nationis praerogativas factas ad copiarum militarium beneplacitum, nutum, et favorem arbitrarias. Licet autem dum haec ante oculos nostros gererentur, eaque observaremus, semper possessi fuerimus quietis sedendi silendique desideriis, et in nostram hic militiam, nostrasque apud hoc Regnum partes prosequendas et provincias abeundas animum intenderimus, demum tamen eo progressi sumus perspicaciae, ut judicaverimus nos etiam (nisi vellemus involvi et illigari ipsissimis machinationibus cum iis, qui praecipuam nostri faederis nationalis causam pedibus calcare decreverunt) eorum, in quorum defensionem juraveramus, ruinae fore participes. Cujus rei praeter alias evidentias insigne nobis praebuit testimonium Classis Subprefectus cum (hoc exercitu absente, et in excursionibus militaribus occupato) quosdam, quod in exercitus ruinam conjurassent, arctae custodiae mancipatos postularit, portus nostros insuper obsederit, comminatus fore ut edicto publico velut Reipublicae hostes proscriberemur, et magnae vires accederent, a quibus (licet non nisi nullius momenti subsidia a duodecim mensium spatio ad bellum adversum rebelles prosequendum transmissa sint) opprimeremur, et mox devoraremur, nisi ab iis palam staremus, qui a nostro et ipsorum faedere recesserant, et denique nostros fugitivos, ac seditiosos milites foris seduxerit, atque animarit ad consequendum finem longe sceleratissimum eo nos redigendi ut necessario vel fame periremus, vel certe armorum cessationi cum Ibernis contrahendae acquiesceremus. Imaginari autem non potuimus eum eo progressurum fuisse praesumptionis, ut id totum ageret absque mandato et authoritate illius partis Parlamenti, quae solius exercitus arbitrio dicitur. Pro quibus a se gestis ille ut satisfaceret jam asseverat eodem tempore emanasse decretum, quo domus Derbiensis Commissarii nos fidei in nostra integritate a domo positae reddant certiores.

(226) "Has ob causas absolute necessarium esse duximus nostra sensa et deliberationes | in generali copiarum congregacione, post nostrum ab hac expeditione redditum, militibus declarare et palam facere, tum ut quid nobis decretum sit, 1284
v
ipsis plane communicaremus; tum ut in proposito confirmetur adversus seductores, eorumque molitiones, in quorum incantamenta statuimus armare nosmetipsos sequentibus hic propositis: Nempe futurum ut nullis actionibus ad publicum faedus, quod Regis et Parlamenti causa coivimus, violandum tendentibus consensu aut cooperatione implicemur, nec commissuros ut seducamur cum iis, quos cum animi amaritudine observamus subesse coactioni

et violentiae potestatis Independentium, a qua sicut connitemur ut in propriam libertatem restituantur, ita quamdui sub illis pressuris ingemuerint, haud arbitrabimur nos teneri ad ulla mandata observanda, quae per usurpatam ab Independentibus autoritatem conati fuerint nobis injungere sub Parlamenti nomine, sed subjuncta hic Protestatione declaramus:

Est ipsissimum pactum Puritanicum, quod antea juraverunt dum Parlamento Puritanico in Regem adhaerent.

(227) "Totis viribus nos operam datus, primo, ut Prosternantium religio ad ecclesiarum melius Reformatarum normam stabilietur. 2º. Ut Regem in suis praerogativis defendamus. 3º. Ut Parlamenti privilegia atque immunitates, et subditorum libertatem sartam tectam reddamus. Quo fine in vitae discrimen illis resistemus hujus Regni rebellibus, qui suum Regi obsequium denegaverint, quounque ille modo requirendum duxerit. Omni etiam nixu elaborabimus, ut Independentium factio deprimatur, qui hunc in modum verae religionis Protestanticae extirpationem, Principis nostri ruinam, Parlamenti dedecus et consubditorum nostrorum servitutem crudeliter studuerunt; idque totum conabimur adversus eos omnes, qui eorundem Independentium nutum sequentur, vel ipsis adhaerebunt. Ne autem quod hic praestandum aggredimur, Angliae commercio nocere videatur, sed potius liqueat nobis cordi esse ut firma unio et concordia inter nos foveatur, modo parili palam facimus continuandum nobis esse liberum cum bonis suae Majestatis subditis Angliae commercium et fore ut nulli ipsorum ad nostros portus recursum habituro nec in personis, nec in bonis, nec in navigiis ullenatus praejudicemus, futurumque ut nihil ab ipsis, nisi pecunia mox in pretium numerata recipiamus.

(228) "Non deerunt forsan, qui imprudentiae sint ascripturi quod ad hoc edictum elegerimus istud tempus intempestivum, quo ipse Rex carcere detinetur. Ejus partes ad nihil redactae sunt. Moderata utriusque Domus (Parlementariae) pars vel certe plerique quo vitas in tuto collocent, aut secesserunt, vel exularunt; illique soli in quorum procedendi modum hac nos protestatione publica insurgimus rerum potiuntur, et pollut authoritate. Quod totum non possumus quin magno cordis dolore agnoscamus a vero non aberrare; sed haec incommoda esse reprimenda, non autem declinanda. Si citius rescivissemus, sicut modo compertum habemus, ipsos secum statuisse intrudere in nos anarchiam, et destructis horum Regnorum legibus fundamentalibus, erigere gubernium | sicut sua ipsis suggesta imaginatio, jam dudum antehac Regi et patriae obsequii speciem dedissemus, praefatis renitendo, quod nulla non persuadet pro-

babilitas futurum fuisse ut modo nostris personis et incaepitis secundandis magis utili praestare possemus, nisi dissidiorum omnium suaviter componendorum expectatione diu lactati fuissemus velut non valentes discernere, nisi suspicione tenus quem suis consiliis scopum designassent, quod ea velassent tanta praetextuum varietate donec in totam Regni potestatem irrepserunt. Verumtamen hae difficultates honestati praeponderare non debent. Et licet virium forsan nostrarum arctior sit sphaera, quam ut nostro, et Regi, et patriae (quod nunquam ad quamcunque occasionem declinabimus) sicut vellemus, inservire valeamus, utrique tamen hac ejus, quod nobis decretum est, manifestatione probatam cupimus nostram integritatem. Mense Aprilis 1648." Hactenus illud edictum.

(229) Insequinnius ita cum suo exercitu 3º Aprilis se pro Rege et partibus Regii adversus Independentes facturum declaravit, ut receptis Concilii Supremi literis Kilkennia 25 Martii datis, et tractatione cum Richardo Everardo et Callaghano O Callaghano, Concilii ejusdem Commissariis circa inducias jam habita, postridie hac epistola et propositionibus Concilio responderit.

"Illustrissimi Domini.

(230) "Epistolam vestram accepi per Richardum Everardum, Baronettum, et Callaghanum O Callaghanum, nobilem, quibuscum de rebus a vobis fidei ipsorum commissis disserui, ac certo mihi persuasum habui adeo me meam sinceritatem ipsis erga Majestatem manifestasse, ut si vobis in eo centro occurrere mihi placeat (Regium intelligo nutum et commodum, qui meorum omnium moliminum imposterum futurus est scopus) magnam et firmam spem concipiam posse eos fines, ad quos omnes et singuli aspirare nos profitemur, publicos nimirum adeoque optimos utrosque brevi consecuturos, quibus ego dum incumbo, sicut meam erga Regem fidelitatem probare, ita apparere conabor.

Diarii.
Concilii.

4 Aprilis,
1648.

DD. Vestrarum admodum addictus servus
Insequin."

Propositiones ab Insequinno ad Concilium missae.

(231) "1º. Ut Regis nutus ac commodum concordiae ibidem partium centrum constituatur.

(232) "2^a. Ut Baronis exercitui competenter alendo provideatur, adeoque Comitatus integri Corcagiensis, Waterfordiensis, Limericensis, et Kerriensis in eum finem ipsi relinquantur.

(233) "3^a. Siquid pecuniae mutuum, Supremo Concilio procurante, Baroni statim fiat, tam ipse quam praecipui exercitus sui duces sese pro solutione aut a Rege, aut a D. *Marchione*, aut a seipsis quamprimum facienda, si forte expectata conventio non succedat, obligabunt.

(234) "4^a. Cessationem ad libertatem commercii terra marique extendendam, navesque et merces omnes alterius partis apud alteram protegendas, ac siquae fuerint, restituendas.

(235) "5^a. Colonellum Jonem et Monkium, aut alterutrum, si hanc conventionem amplecti velint, iisdem, quibus Baro, conditionibus recipiendos. |

1285 (236) "6^a. Baroni liberum fore tributa ubicunque si reliqua sint, exigere.

(237) "7^a. Publica instrumenta tam Baronis et praecipuorum exercitus ejus Ducum quam procerum Concilii manibus subsignata reciproce dentur et accipientur.

(238) "8^a. Concilii proceres omnes et singulos quoscunque huic cessationi sese armis aut alio quolibet modo opponentes coercebunt, et quantum in ipsis erit supprimant.

(239) "9^a. Pro maturando conventionis negotio dies et locus quam primum assignabitur, quo legati data utrinque securitate pro tractanda et concludenda cessatione conveniant."

(240) Concilium cum praefatos suos Commissarios receperisset et perlegisset has propositiones, atque audisset quicquid praeterea de re controversa illi viva voce retulerant, hanc epistolam ad Insequinnum dedit:

Diar. Concilii. (241) "Eximie Domine. Literas D. tuae quarto hujus mensis datas accepimus, ac summa cordis laetitia affecti sumus quod D. tua ad eum statum pervenerit, in quo studium suum in Regiae Majestatis obsequium publice profiteri valeat; nec dubitare possumus, si D. tua ad eam conventionem, quae a nobis juste expectari potest, descendere velit, quin utrinque per cessationem ab hostilibus respirandi tempus simus habituri, ut etiam spatium amicius tractandi de rebus ad Majestatis emolumen conductentibus, cui post Deum omnia deberi fatemur, debitaque illi officia integra fide servatuos, aut ipsis caeptis perituros nos spondemus. Legati nostri pro tractando hoc negotio 22^o Aprilis apud Dungarvanam praesto erunt. De eorum nominibus et numero, priusquam eo convenerint, D. tua

Nota tunc
occultum
conventum
ut Marchio
Ormoniae
in
Proregem
rediret.

tempestive monebitur. Diem istum praescripsimus (etsi fortasse D. tua tempus aequo longius judicabit) non alio fine quam ut reversis huc quibusdam hujus consistorii Comitibus, modo absentibus, convenientibusque Provincialium Lageniae et Monniae Comitiorum membris, unanimi omnium consensu tanti momenti negotium minus cavillationis aut obloquii periculum incurrat, ubi plurimae sententiae nostro suffragabuntur statuto. Haec cum intimis erga Dominationem tuam votis scripsimus.

Dominationis tuae dilecti admodum amici."

Ex Arce Kilken.

9 Aprilis 1648.

Iudem qui supra subscriperunt huic epistolae.

Ad hanc epistolam Insequinnius respondit sequentibus his literis:

" Illustrissimi Domini.

(242) " Mirum in modum ad absolutionem meorum omnium votorum faceret, si professionem illam alacris animi ac propensi studii, quae erga Regiam Majestatem DD. Vestrae exprimunt, confirmatam liquido perspicerem, ea a vobis ad rem, quae modo tractatur, praestita opera, quae re ipsa hujus Regni pacis et faelicitatis instaurationi procurandae inserviat atque conducat; cuius finis contemplatione percupio ut legati vestri satis cumulati de agendis instructi, cum sufficienti potestate veniant mecum ipso, aut cum aliis a me cum imperio mittendis tractaturi ac conclusuri, ne dies in rerum tanti momenti negotio sermonibus ultro citroque mittendis terantur, quorum festinationi gratam et impigram suam operam modo spondet, et tempestive persolvet

Dominationum Vestrarum Illustrissimarum

Humilis servus,

Insequin."

Corcagiae,

14 Aprilis,

anno 1648.

(243) Jam ad Nuncium redeamus, qui Waterfordia Kilken-niam ad Concilium literas dedit, et circa praefatas inducias iisdem has rationes assuit longe potentissimas.

(244) " Et muneric mei ratio et obsequium erga DD. VV. Illustrissimas incessanter requirit, ut in omnibus Concilii Supremi deliberationibus quam maxime cupiam manifestari tam profectum religionis Catholicae, et gloriam ac famam patriae, quam etiam gaudium Sanctissimi Domini Nostri, hoc praesertim

tempore, quo Agentes a Regno Romam destinati jam apud Sanctitatem Suam, ut speratur, incolumes pervenerunt.

(245) "Quare in Induciis, quae modo cum D. Barone de Insequin tractantur, nisi haec tria concurrent, valde dubitandum est ne contrarius quam speratur, sequatur effectus, et via sternatur ad ulterius et gravius patriae detrimentum. Nam cum proprium sit induciarum relinquere statum rerum prout in praesenti est, nec ullam fieri alterationem partium, omnes vident quam male nunc habeatur religio Catholica in Momonia post saevitas et direptiones autumnales et hybernas ab ipso Barone inflictas, cum tot sacerdotum multcis, exilio, atque ecclesiarum vastationibus, quae omnia remanere debent in perniciem tot animarum, eo praesertim tempore, quo propter exercitus hostilis imbecillitatem, ac debiles etiam Parliamentariorum vires, sperandum erat Catholicos recuperaturos quicquid in Momonia deperditum est, et auspicaturos pro religione annum insignem et acceptabilem.

(246) "Et hinc sequitur respectus, qui debetur famae et gloriae a Confaederatis Catholicis. Jam enim publicum est apud omnem Europam D. Baronem devastasse civitatem Casseliae, atque intra templum illud divo Patricio dicatum horribili sacrilegio tot sacerdotes et faeminas ad altare ipsum trucidasse, ac postea plures Comitatus ad contributionem coegisse, demumque ad muros ipsius Kilkenniae Magistratui Supremo insultasse. Quare nemo existimare poterit vires Catholicas esse adeo accisas, ut velint inducias hosti tam infenso offerre, post receptas ab eo tot calamitates.

(247) "Imo omnes existimabunt nullam majorem gloriam posse supremo Magistratui accedere, quam si collecto exercitu juberet penetrari in hostium quarteria, ac simul liberationem contributionum et salutem populorum procurari. Quis enim pati possit ut nummus et alia bona, quae possunt sustentare milites Catholicos misera commutatione inserviant hosti, et eum contra nos reddant et fortiorum et infensiorem? Certe omnes Comitatus, ut ab hujusmodi onere liberentur, dare debent, ac dabunt lubentius nostris facultates suas, quam hosti, a quo semper majora damna expectare possunt.

(248) "Quod vero ad Sanctissimum Dominum, fateor DD. Illustrissimi, nescire me qua ratione possim illi hunc nuntium offerre, ut post tot recensitas direptiones ac damna hostis obtinuerit inducias. Nam praeterquam quod Sanctitas Sua a cessationibus praeteritis agnoscit omnes Regni jacturas accidisse,

et nihil existimat perniciosius quam per cessationes hosti prodesse. Quid erit in hoc casu, quo non est Sanctitati Suae ignotum, hostem potiri imbecillo exercitu, et saepius excursions ob famem et penuriam fecisse; quin neque expectari ab Anglia subsidium, et religione Catholicae gravissime praejudicasse, et tamen obtinuisse inducias? Quam rogo officere poterit hic nuntius Oratoribus a DD. VV. Illustrissimis destinatis, quibus Sua Sanctitas exprobrabit timorem hunc Confaederatorum, et juste censebit se ad ulteriora auxilia tradenda merito retrahi?

(249) "E contra, si generose, et pro nostra sancta religione restituenda in Momonia exercitus | colligatur, et aliquis ad mare 1286 locus recuperetur, superfluum est ut repetam Dominationibus vestrī quale gaudium Sanctitati Suae accederet, quisve illius animus esset erga Confaederationem, cum ex D. Decano satis intelligere potuerint quid Sua Sanctitas praeparaverat tam in pecunia quam in publicis honoribus, si Dublinium ad eorum manus devenisset, prout impensissime optabat, ac etiamnum optat.

(250) "Ego certe cum jam a biennio nihil magis cupiam, quam semel posse aliquid Sanctissimo nunciare, quod illius animam ad ulteriorem benevolentiam erga Dominationes Vestras Illustrissimas alliciat, sciamque quid sperari ab eo possit, in hoc casu, occultum Dei judicium existimo esse, quod hucusque non nisi adversa et male ominantia scribere potuerim, nec minus mirabile judicarem si Confaederati non laborarent semel id praestare, experturi in re alias sibi utili an verum sit, quod toties inculcandum mihi fuit, non ob aliud, quam ad maximam DD. VV. faelicitatem, et dignum religionis Catholicae profectum. Haec scribenda ante meum adventum duxi.

Waterfordiae, Idem DD. VV.,

Aprilis 6, 1648.

Addictissimus servus,

Jo. Baptista Rinuccinus Archiepiscopus Firmanus."

(251) Concilium Supremum his acceptis et ponderatis, Nuncio, quem Kilkenniam haud semel antea invitassent, et ad induciarum difficultates expediendas in dies expectassent, transmiserunt responsum, quod ex autographo hic trado, in multis secus ac a Concilii Diario et Philopatro Irenaeo in medium producitur, sensu et verbis adulteratis.

(252) "Quandoquidem Illustrissimae Dominationi Vestrae, pro eo quo fungitur munere, deliberationes nostras et rerum nostrarum statum saepius indicaverimus, et vicissim omni cum urbanitate libere suum super re controversa sensum exposuerit,

et jam de induciis cum D. Barone de Insequin contrahendis Illustrissima D. Vestra argumenta in negativam partem scriperit, nosque illas ineundas censeamus, has, quibus in illam sententiam adducti transivimus, rationes ad Illustrissimam D. Vestram mittimus, ut communi studio et concordi animo, afflictae succurramus Iberniae, ne via sternatur ad ulterius et gravius religionis et Patriae detrimentum, pro quo haud dubie Sua Sanctitas maximo afficeretur dolore.

(253) “ 1°. Illustrissima D. Vestra Domini de Insequin (acerrimi certe hostis) direptiones, sacerdotum mulcas, et exilia, vastatas enumerat ecclesias, et omnes videre dicit quam male tunc habeatur religio Catholica in Momonia post tot saevias, propriumque esse induciarum rerum statum relinquere prout est in praesenti.

Perpendat. (254) “ *Perpendeat* precamur Illustrissima D. Vestra rei seriem, et uno intuitu percurrat Iberniam ne dum huic tanto malo adhiberi petit remedium, in alterum magis fatale incidamus.

(255) “ Esto, undique cogamus exercitum, extrahamus ex aliis Provinciis vires, quibus hostem debellare possemus, si campo se inferat hostis, at si Baro de Insequin se imparem ad configendum senserit, habet oppida munita quibus copias tegat, cum nos frumenti et omni generis commeatus indigentia laborantes (licet pecunias, quae certe apud nos paucae sunt, in stipendia militibus erogare possemus) ex his nullum obsidione premere poterimus. Quaerendum tunc si Parlamentarii interim, quotquot in Lagenia, in Ultonia, in Conacia sunt (quorum in unaquaque ex illis Provinciis ad exercitum complendum sufficiens est numerus) stabunt otiosi. Hi infensissimi, et religioni

1287 Catholicae et Regi nostro | hostes Lageniam et Conaciam percurrent, dum nos Dominum de Insequin, qui in maximis Majestatis sua angustiis regias partes publica declaratione amplectitur, persequimur.

(256) “ Quem favorem, quas pacis conditiones a Serenissima Regina et Walliae Principe possunt Agentes nostri expectare, aut quo vultu petere, cum bellum, quod utrinque sustinere nequimus, a Parlamentariis, ad Regis se profitentes fautores transferimus, inducias ultro offerentes, spernimus, quorum vires duobus vix retro mensibus experti sumus?

(257) “ Quod Dominus de Insequin sacra et profana susque deque evertere, et omnia diripere studuerit, partes egit suas; et quid aliud ab hoste expectandum? Jam vero si ea esset induciarum conditio, ut ecclesias ab illo vastatas et pollutas iterum

aedicare, iterum consecrare nequiremus, nec praediorum ruinas iterum resarcire, nec posset Missa celebrari, nec Pastor aut Religiosus in toto illo tractu per quem inimicus exercitus transiit, vivere valeret, certe esset rebus etiam desperatis rejicienda. Sed cum per inducias terminis forte angustioribus concludetur hostis, quid impediet quo minus pristinum splendorem per maximam Momoniae partem recuperare possit Ecclesia, cum induciis stabilitis desierit pro tempore hostis?

(258) "In ipsis etiam illi reservandis quarteriis frequentior erit sacrorum usus, dum publica fide per inducias data, minus timendus reddetur hostis."

(259) "Jam vero quid rejectis induciis evenire possit, mente revolvamus. Primo, occurrit hostem eo magis irritandum, et si quid malitiae defuerat hoc spretae reconciliationis vesania abunde suppleturum. Quid si miseros sub sua potestate Catholicos ferro et flamma persecutatur, et (exercitu ita disposito ut tribus diebus colligi possit ex hybernis stationibus educto) Momoniam iterum percurrat, et primae devastationis reliquias totaliter devoret?

(260) "Dicet Illustrissima D. Vestra hoc non esse supponendum, cum in nostra potestate sit exercitum multo majorem colligere. Fatemur certe non deesse manus; sed experientia novit Illustrissima D. Vestra cum ad muros Kilkenniae et Waterfordiae et Illustrissimae Dominationi Vestrae et nobis insultavit hostis, quam lente educuntur milites, quandoquidem ordine dato, et plus decies repetito, Dominis Generali Preston, Generali O Neill, et Generali Taaf vix ad tria millia antequam hostis recessit, in hanc urbem devenierant.

(261) "Quid si Baro de Insequin a nostro exercitu redactus in angustias, et desperatione coactus Parlamentariis Angliae Corcagiam, Yogheliam, Kinsaliam et reliqua fortalitia, et portus maritimos dare velit? Non adeo sunt imprudentes Parlamentarii, ut illi, licet jam hostis sit, multa et dare, et majora promittere denegent. Et quid ex eo provenire possit, per Colonellum Iones, qui Dublinium possidet, et exinde multis nobis ortis calamitatibus facile est judicare.

(262) "Jussit Conventus Generalis (et voto solemni decretum illud firmatum est) faedus, si fieri posset, contrahi cum Marchione Ormoniae, ea potissimum de causa, quod Regiis adhaesisset partibus. Dominus de Insequin idem profitetur, et difficilimis temporibus suos in Regem affectus exprimit, et cum illo pacisci pro commodo nostro inducias denegabimus? Nos ex

Comitiorum Generalium et Supremi Concilii decretis colligimus illos ex adversariis, qui Regem incolumem velint, eligendos esse, cum quibus cessationem iniremus, imo publico typis mandato *Manifesto*, Regios, etiam Protestantes, libertate conscientiae data, nobis inservire invitavimus. Et quis jam fidelitatem erga Regem nostrum (quam saepius Ibernis Suae Sanctitatis nomine commendaverat Illustrissima D. Vestra, et quam multoties repetito Associationis solemnij juramento asseruerunt) nobis inesse existimabit, qui nullas cum illo inducias esse velimus, qui in Regias transiit partes, quandoquidem collectis in unum viribus, debellare Parliamentarios majus opus sit, quam quod hoc anno perfici posse speramus?

(263) "Praeterea considerandum est Dominum de Insequin, quod ex Regiis sit, si pax et Suae Sanctitati et nobis grata concludatur, illi paci obtemperaturum, ita ut contra Parliamentarios tanquam communes hostes et rebelles arma lubens capiet. Illustrissima Dominatio Vestra nos ad omnes hostes una expeditione debellandos impares esse novit, et per literas prima die Martii superioris datas ad nos, cum rumor tantum de induciis cum Scotis Parliamentariis contrahendis sparsus esset, Illustrissima Dominatio Vestra quicquid id esset reipublicae et Regno valde opportunum fore censuit, optavitque religioni Catholicae fore proficuum, Deumque praecabatur, ut fortunaret incaustum, ex quo sperari poterant bona etiam in aliis regnisi.

Zepherinus.

(264) "Ante tres septimanas Dominus *Galfridus Barron* ad nos detulit sensum Illustrissimae Dominationis Vestrae tunc fuisse, quod (si res nostrae tantis essent in angustiis) inducias facienda essent cum hoc ipso Insequin, qui eas jam ultro offert, et ab illo tempore Regias publice profitetur partes, et hoc manifesto indicio comprobavit, cum ex primariis sui exercitus ducibus quosdam (quod Regi adhaerere nollent) in carcere detruserit.

(265) "Quod ad famam et gloriam Confaederatorum spectat, ubicunque publicetur Casseliam captam a D. Insequin, et horrendum illud facinus in templum divo Patrio dicatum fuisse patratum, ibi etiam innotescet Casseliam, et Cathedralem ecclesiam cum omnibus aliis illius tractus ecclesiis in manus nostras deventuras. Et licet orbis Christianus impie illius stragis authores execretur, omnes tamen (quibus rerum nostrarum status clare et fideliter referetur) prudenter, et ut viros decuit, qui Deum tentare nollent, egiisse nos existimabunt.

(266) "Quid induciis frequentius? Rex Catholicus cum Hollandis eas habuit, ut jam tandem (ut fama est) faedus

edicto lato
1° Julii
1647 ut
supra.

perpetuum pepigit. Reges Christianissimi Carolus nonus et Henricus tertius, cum rebellibus Hugonottis in Gallia inducias saepe habuerunt. Meliori forte in loco sunt res nostrae, quam tunc erant suae apud hos Principes? Nequaquam. Ab illo fonte repetendae sunt omnes induciarum rationes. Conditiones enim aliter infames justas efficit necessitas. Hostium aliquando arbitrio ¹²⁸⁸ omnia relinquuntur. Sed utcunque sunt res nostrae, nihil concludemus per inducias, quod Ecclesiae Dei, aut gloriae et famae Confaederatorum officere poterit.

(267) "Imbecillem dicet Illustrissima D. Vestra hostilem exercitum, et debiles Parliamentariorum vires. Certe aliud experti sumus, nec omnia, quae ad Illustrissimam Dominationem Vestram deferuntur, sunt adeo certa. Licet non ceciderit animus, nec fractae sunt vires nostrae, edocuit tamen nos eventus rerum nihil contra hostem praecipitanter agendum esse.

(268) "Conqueritur Illustrissima D. V. quod nummus et alia bona, quae sustentare possint exercitum nostrum, misera commutatione hosti inserviant. Hoc quis pati vellet, penes quem eligendi potestas esset? An putat Illustrissima Dominatio vestra quod non invitis Parliamentariis etiam nos multa abstulimus, multa detinemus? Belli sicut eventus, sic etiam actiones sunt dubiae. Nostrates etiam nunc praedas agunt prope Dublinium, et ab agricolis vectigal quoddam exigunt.

(269) "Illustrissima Dominatione Vestra nemo melius novit quanto affectu Suam Sanctitatem et Sedem Apostolicam prosequimur, et quanto studio desideramus ut illi prospera et laeta omnia eveniant, neque certe desperandum est Sanctitatem Suam his ipsis induciis consolari posse, cum audierit nos, humillimos suos filios, utrumque hostem una debellare non valentes, aggredi voluisse Parliamentarios, qui obstinata et in Regem et religionem nostram feruntur malitia. Neque magis gratum Sanctitati Suae futurum existimamus audire, quod in occidente, quam quod in oriente fortalitia et loca maritima cepimus, aut quod exercitus noster profligaverit Regios quam Parliamentarios.

(270) "Sed quid tentandum sit proxima aestate, et quibus mediis, coram proponemus, et speramus Illustrissimam Dominationem vestram et nos, de aliqua expeditione unanimi consensu deliberaturos, quae Suae Sanctitati futura sit grata. Interim praecamur Illustrissimam D. Vestram ut sibi et nobis id favoris exhibeat, ut quae super rebus nostris ad Suam Sanctitatem scribit, evidenter sciat, et melius investigari faciat

quae sint hostium vires, quae spes subsidii ex Anglia, et quantos belli apparatus struat Jones Dublinii, quae pecuniarum summa decreto Parlamentario in hoc Regnum destinetur, quot naves, quot fregatae huc mittantur. Denique quam vacuum sit aerarium nostrum, quomodo in illis apud Illustrissimam D. Vestram a Sua Sanctitate missis subsidiis ad educendos exercitus spem ponimus, et suppetias in reditu Reverendissimi Fernensis et D. Plunquett ad progressum ulteriorem faciendum expectamus, et reliqua, quae scribi possunt de frumenti penuria, et rerum nostrarum angustiis, quibus a Sua Sanctitate consideratis, tantum abest ut Induciarum fama nostris oratoribus Romae officere possit, imo illas approbabit Sua Sanctitas, et ulteriora subsidia accelerabit. Haec per literas Illustrissimae Dominationi Vestrae communicasse sufficiat; coram fusius agemus.

Edmundus Limericensis. Athenry. Robuccus
Linch. Rich. Bellings. Geraldus Fenel.
Robertus Devereux. Patricius Bryan."

- (271) Hic non nisi obstinatos (ut videbimus) induciarum fautores, aliis forsan absentibus, subscrispsisse animadverto.
- 1288 Porro | huic acto dies a Concilio apposita non fuit, idque (credo)
v quod epistolio etiam indicanti annexum esset; itaque conjecto
13 Aprilis fuisse missum. Quid autem Nuncius ad haec responderit mox dicam, ubi alia ad rei notitiam conducentia praelibavero; siquidem ille arcanorum adversae partis haud raro particeps, de Joanne Barrio, Tribuno, Ormonii studiosissimo, quem nuper in Iberniam rediisse et valentissimum harum induciarum promovendarum instrumentum fuisse diximus, ad Cardinalem Panzirolum scribens: "Egit (inquit) cum Insequinnio, et postea ambarum partium salvo conductu munitus saepius egit cum Concilio Supremo. Ejus tractationis summa haec est: nempe ut persuadeat Ormonium maximo apud Regem favore pollere, et suam Majestatem, cum mentem aliter manifestare nequeat, dedisse Marchioni Ormoniae signum vel cyphram, deindeque Scotis significandum curasse eum, qui illis tale signum dederit, habiturum plenam cum ipsis concludendi facultatem. Hanc ob causam, haud aliam hujus Regni pacandi superesse viam in Regis satisfactionem quam resumere Marchionem Ormoniae cum Proregis facultate, quod hoc casu etiam Scotti partium Regiarum hodie defensores nobiscum convenienter. Subjungit etiam Insequinnium his conditionibus coalitum, et consequenter non supererit aliter adversarius quam Dubliniae Angli, qui tantis viribus obsistere non poterunt.

Haec tractatio, cum eo tendat ut (quod tota factio ardenter anhelat) regimen Ormonio restituatur, id obtinuit ut Concilium ad Barrii votum Insequinnio scripserit propositis induciis, quibus ad praefatas res tractandas vis muniatur." Haec Nuncius notis privatis et Italice Waterfordia 8 Aprilis.

(272) Itaque Nuncius non modo ab induciis, sed etiam ab hoc induciarum fine haud mediocriter abhorrebat, metuens ne Ormonius, Ormonistae Catholici, et Insequinnius societatem in se suique fautores coirent, et pacem Ecclesiae iniquam intruderent. A Concilio tamen haud semel literis mense Martio et Aprili Kilkenniam advocatus est, ipseque tradit Concilium sibi respondisse futurum ut absque ejus approbatione nihil circa inducias concluderetur. Concilium etiam Commissariis jam dictis ab Insequinnio regressis die 9 Aprilis et Nuncium de novo ad deliberandum Kilkenniam redire literis postularunt, et alias literas superius positas ad Insequinium dederunt. De qua nova Concilii instantia 10 Aprilis Cardinali Panzirolo Nuncius significavit, et pene desperans fore ut torrentem illum sisteret: "Credo (inquit) me nihil profecturum. Et haec erit prima occasio qua Eminentiae Vestrae mandatum exequar permittendo ut deliberationes currant ubi debitam adhibuero diligentiam." Haec ille, qui reipsa tale mandatum acceperat, siquidem cognitis Romae difficultatibus circa inducias et pacificationem cum Ormonio vere praeterito celebrandam ortis, Cardinalis Panzirolus, notis privatis Nuncio ex Urbe scribens: "Res (inquit) Gallicanae ad pacem istic concludendam non pendenda sunt a Dominatione vestra, nisi quatenus religioni Catholicae afferre possunt beneficium vel praejudicium; cumque D. vestra iis, qui ad regiminis clavum sedent, unum, vel alterum | ob oculos posuerit, solitaque virtute et prudentia diligentiam adhibuerit ut Dei cultus et nostra sancta religio in splendore jam introducto conservetur, causam suae Divinae Majestati commendet, nec amplius induciis aut paci se immisceat, cum sufficiat Suae Sanctitati ut cognoscat mundus se ex parte sua non defuisse officio Patris universalis et capitatis Ecclesiae." Haec ille Italice Calendis Julii 1647.

(273) Itaque Nuncius huic mandato ad unguem obtemperaturus, nec ultra hujus praescripti limites se induciarum aut pacis negotio impliciturus Waterfordia Kilkenniam rediit, quo ita 15 Aprilis pervenit ut ultimam illam Concilii Supremi circa Insequinnii inducias responsonem superius insertam inter viam receperit. Ad quam ille post habita de iisdem induciis

Ep. 8 Apr.
1648 ad
Card.
Panzir.

Reg.
P. 596.

Ep. 10
Apr. ad
eundem.
Reg.
P. 599.

1289

colloquia rationibus longe potentissimis respondit Kilkenniae sicut hic vides:

“ Illustrissimi ac Reverendissimi Domini.

(274) “ Visa responsione DD. VV. Illustrissimarum atque auditis, quae earum nomine Domini Commissarii Generales super negotio induciarum ad me retulerunt, adhuc videtur remanere difficultas super eadem re, nisi ad *particulares conditiones descendatur, quibus tractatio concludenda sit, ex quo pendebit verum de iisdem judicium faciendum.*

Hoc actum
suo modo
non nihil
mutatum
est apud
Philopatrum.

(275) “ Nam licet verissimum sit, quemadmodum DD. VV. Illustrissimae dicunt, quod induciae passim fieri solent etiam cum infidelibus, et quod summi Reges illas etiam passim contrahunt, non minus tamen certum est quod solum illae laudantur, quae fiunt ex necessitate, seu ob utilitatem, et e contra vituperant illae, quae alterutra ex his carent.

(276) “ Necessitas autem in casu nostro ad id solum restringitur, nempe quod Confaederati sint impares utrius belli, Lagenensi et Momoniensi. In qua re, ne judicium beat ferri sine maxima rerum experientia, existimarem operae pretium esse ut omnes Generales convocarentur, et ipsorum audirentur sententiae; ad ipsos enim spectat statuere sufficientes sint vires Catholicorum utrius expeditioni, et posito praesenti statu inimicorum disquirere qua ratione possint, vel oppugnari vel distineri, et quot legionibus ac quibus defensionibus res confici possit. Alioquin ii, quid sunt extra militiam facile pronunciare possunt alterutrum extremorum, videlicet, quod uterque hostis sit redactus in angustias, quemadmodum passim auditur, et ideo non esse timendas eorum vires, maxime in bello pro religione suscepto, *in quo aliquid est Deo committendum;* vel e contra, quod vires hostiles non sint adeo accisae, *quod* possint ab Anglia expectari auxilia, et ideo securius esse cum altero hostium pacisci, quam sententiarum contrarietatem bellicum tantummodo Concilium poterit explicare.

(277) “ Sed quando non adesset necessitas, videamus si forte utilitas adsit in his induciis. Et primo necessarium mihi est tollere aequivocationem, quam video fortasse a Dominationibus vestris Illustrissimis ex meis literis non bene se exprimitibus captam. Existimo enim in ea epistola, quam asserunt me v scripsisse prima Martii, me nullo modo laudasse inducias cum

quin.

1280

v

Scotis. Et dato quod hoc verbum ibi legatur, fuit certe praeter nullo
 meam intentionem, qui nec cum Scotis, neque cum ipso modo
 Insequin, seu aliis alterius religionis laudavi inducias, sed legitur.
 intellexi tantum de accommodatione aliqua, confaederatione, Vide illam
 vel simili aliquo contractu. Et ratio discriminis est illa, quam epistolam
 ego tetigi in prima mea scriptura, videlicet, quod in induciis superius
 solent res remanere prout in praesenti sunt, sine aliquo suo loco.
 profectu illius tituli pro quo assumitur bellum; at confaederatio
 seu accommodatio concludi non potest, quin adsit aliqua scripsit de
 utilitas partium contrahentium. Et cum ego crediderim non Confader-
 posse cum Scotis ad id perveniri, nisi dato aliquo augmentatione atione.
 religionis nostrae in illis partibus, ita etiam similem
 confaederationem cum tali augmentatione contrahendam cum D.
 Barone non solum laudavi semper, sed etiam optavi, prout mihi
 testes esse possunt plerique Dominorum ex Concilio Supremo.
 At ubicunque nulla talis utilitas haberi potest, animus mihi non
 fuit quascunque inducias, vel simile interstitium approbandi.

(278) "Hoc posito videndum est, quae utilitas religionis et Regis haberi possit in his induciis. Et quoad religionem, si non deveniatur ad particularia, hucusque nihil auditur, quod illam juvet. Ideoque remanent vera, quae in prima mea scriptura considerantur, videlicet quod religionis status in Momonia nunquam fuit infelior et angustior; et quod ii, qui damnum intulerunt, reportabunt, cum maximo nostro dedecore, praemium et commoditates, quando tempus erat animis vere Catholicis contra sacrilegos insurgere, et illos omni conatu vel debellare, vel repellere.

(279) "Sed veniamus ad Regem, circa quem videntur DD. VV. Illustrissimae supponere quod Sanctissimus D. N. gratam habere debeat confaederationem esse Majestati suae devotam et obsequenter, atque ideo bene egisse amplexando et ad inducias provocando D. Baronem, jam pro ipso Rege declaratum. Ego vero DD. VV. Illustrissimis significo Sanctitatem Suam existimasse semper, et existimare melius millies consultum esse D. Regi, si in manibus Catholicorum habeantur arces et castra Momoniae, quam in manibus D. Baronis utcunque declarati pro Rege. Imo nec posse meliorem praestari observantiam, neque arctius obsequium Majestati suae quam per Catholicos, qui sciunt servare fidelitatem Deo. Cur enim Sanctitas Sua praeteritis annis tot officia ac munitiones, primo per Reverendissimum Scarampum, et postea per me interposuit, ut Confaederatio oppugnaret Dublinium, quod erat

in manibus Marchionis Ormonii, non solum declarati pro Rege, sed etiam Proregis? Forte ut Majestati suae detraherentur obsequia? Imo ut melius Regi per Catholicos serviretur, quam per Protestantes. Et ideo si persuasum sibi habeat Sanctitas Sua quod induiae cum Domino Insequin factae fuerint sine evidenti necessitate, et quando sperari poterat recuperatio ipsius quarterii, credant pro certo illam aegerrime laturam quod hoc factum fuerit eo titulo, videlicet declarationis D. Baronis pro 1290 Rege, quinimo | coactus erit existimare omnino neque religioni neque Majestati suae fuisse consultum.

(280) "At vero quid si, Illustrissimi Domini, haec declaratio apud Principes exterios et profunde omnia rimantes, tanquam facta ab homine usque adhuc Regi inimicissimo, et volubilis atque artificiosissimae naturae tanquam levis et non attendenda reputetur, nisi certis primo et securissimis comprobetur experimentis? Quid si Regina ipsa serenissima et Princeps levem eandem pariter existiment, et securius sibi fore credant quod Confaederatio Catholica, potius quam D. Baro habeat illa quarteria? Quid si tandem D. Insequin, qui unitus erat praeteritis mensibus cum Domino *Jones* ad intercipiendum Confaederatos in medio, nunc praemissa supradicta declaratione, nihilominus occulte cum ipso consentiat, et, appropinquantibus Dublinium Confaederatis, ipse etiam *Jones* declaret se pro Rege, et simul excludant ab omni acquisitione Confaederatos? Num poterit tunc diversa lex haberi cum *Jones*, quam cum Insequin? Et in quo statu tunc erit religio, jam pene deperdita in Momonia, et sine ullo augmento in Lagenia? Quod enim haec succedere possint, sufficit exemplum D. Marchionis Ormoniae, qui cum obligatus esset Regi, nihilominus, nulla habita ratione Majestatis suae Dublinium Parliamentariis consignavit, et nunc iterum, quasi haec mutatio nullam habeat inconvenientiam, ad Regem revertitur.

(281) "Haec sunt, quae suspirat Sanctissimus D. N. Videt has incertitudines, praevidet haec pericula et gemit jacturam religionis, maxime si contingat sub praetextu obsequii in Regem, vel alterius utilitatis, aut quietis, quae frustra speranda sunt sine profectu Religionis, et plerumque evadunt falsa, sicut superius dictum est.

(282) "Quocirca dicebam DD. Commissariis haec omnia potuisse magno cum honore ac prudentia transigi, imo etiam cum apparenti satisfactione Principum exterorum, et praecipue Suae Sanctitatis, si, dum tractantur induiae, aliquis etiam

*1. Jonio,
Dubliniae
Gubernatore,
qui
Anglice
Michael
Jones
vocabatur.*

exercitus in Momoniam contra D. Baronem dirigeretur, quo effici posset ut ille jam redactus ad angustias, et irreconciliabiliter offensus a Parlamento, vel veniret in conditiones DD. VV. Illustrissimis et toti Confaederationi proficuas, vel aliqua ditionis suae parte privaretur. Quod mihi visum fuit eo magis proponere, cum post recessum D. Baronis a Kilkennia scripserim profuse Sanctissimo Domino quicquid mihi fere ab omnibus et praecipue a Reverendissimo Limericensi tunc significabatur, videlicet Confaederatos insultatione illa hostili excitos in strictiorem unionem venisse, ac decrevisse, remotis dissensionibus et aemulationibus, exercitum contra Baronem propediem immittere, ostendereque quanti faciant et religionem et patriam. Nunc vero deplorandum esset et habendum pro maximo infortunio, quod non solum cogar scribere ea omnia abiisse in fumum, sed Baronem unica verbali declaratione pro | Rege mutasse omnia, et Confaederatos ad omnem illius satisfactionem descendere. Quae ut in prima scriptura profuse descripsi, valde suspicor ut mentem Sanctitatis Suae eo maxime tempore avertant, quo agentes DD. VV. Illustrissimarum eam maxime et praesimaliter implorant, et ego, prout etiam scripsi, videam me positum in molestissimo illo statu, quo jam tot mensibus nequeam aliquo laetitiae nuntio eandem Sanctitatem magis ac magis huic patriae conciliare. Haec tamen omnia sint dicta ad illuminationem potius rei propediem concludendae, cum ex conventu ab Illustrissimis DD. VV. intimato et ex particularibus induciarum conditionibus multa possint denuo considerari, quae rem magis aperient, et faelicius definient. Interim jussi ut ab omnibus Religiosis ac sacerdotibus preces fundantur per quindecim dies continuos, ad quod DD. VV. Illustrissimas et omnes laicos adhortor, ut Deus, si haec tractatio cedat in ipsius gloriam et patriae bonum, dignetur illam unanimi consensu promovere, sin minus, impedire. Haec indifferentia animorum poterit impetrare a Deo quod petimus et DD. VV. inspirare, quibus manus officiose deosculor.

20 Aprilis,
1648.

Ioannes Baptista Rinuccinus, etc."

(283) Huic etiam responso in exemplari quod Nuncius assertavit, dies non apponitur, aliunde autem ex Philopatro colligo
20 Aprilis fuisse scriptum.

(284) Porro his ipsissimis diebus relatum est in Iberniam Scotos florentissimo exercitu ex Scotia movisse, Regis causa in rebelles Angliae Parliamentarios, nec non plurimos in Anglia cum magni momenti praesidiis eodem fine in Parliamentum surrexisse, quibus Scotiae atque Angliae dissidiis opportunam Deus Iberniae Faederatis, nisi et ipsi inter se discordes essent, triumphandi occasionem subministravit, et Nuncii causam adversus Concilium effecit meliorem, cum eo minus suaderet necessitas ut induiae jam dictae pangerentur. Quo nihil obstante Concilium Supremum seu potius praefata Concilii pars obstinata circa dictam Nuncii respositionem eidem jam apud Kilkenniam residenti, et ipsi quoque ibidem residentes hoc epistolium scripserunt:

“ Illustrissime ac Reverendissime Domine.

(285) “ His inclusas Illustrissimae Dominationi vestrae mitimus rationes aliquot in responsum earum, quas nuperrime suscepimus, speramusque iis et praemissis nos integrum satisfecisse Illustrissimae Dominationi vestrae, cuius manus deosculamur.

23 Aprilis,
1648.

Illustrissimae ac Reverendissimae Dominationi
vestrae

Addictissimi servi,

Edmundus Limericensis. Athunry. Robuccus
Linch. Ri. Bellings. Robertus Devereux.
Pat. Bryan. Gerald Fenell.”

(286) Rationes autem eodem fasciculo inclusas his habe ex autographo Latino:

(287) “ Praesentis disceptationis statu ad haec duo reducto, necessitatem scilicet et utilitatem, tantum abest ut induiae cum D. Insequin contrahendae utroque careant, ut nec alterutro contentae ambo amplectantur, sicut in primis rationibus ad Illustrissimam D.V. missis clare patet, quibus ad haec addere commodum visum est: |

1291 (288) “ Quoad necessitatem. Nos necessitatum nostrarum consci, praeter Lageniense et Momoniense, bellum etiam in Conacia ineundum esse scimus. Aestate praeterita, illius Provinciae et Ultoniensis exercitus (quibus istius belli cura commissa fuerat) paucos contra hostem progressus fecerant. Scotos etiam Parliamentarios in Ultonia habere vires ad complendum justum exercitum diximus, ita ut necessitatum nos-

trarum campus latior sit quam illum describit Illustrissima D.V. Quae sint ergo nostrae in his Provinciis vires inquirendum, ut ubique simus vel pares. Fusi exercitus copiae tempus exigunt, ut reficiantur. Binos perdidimus aestate jam praeterita. Si stipendia militibus erogare possemus (licet ad hoc ipsum nullo modo sufficient vires) diximus in Momonia deesse frumentum, et omnis generis commeatus, hostem oppida et castra habere munita, ubi appropinquante nostro exercitu, omnia ad victum necessaria undeque rapiet, dum in devastata Provincia nos militibus nostris alimenta frustra quaerimus.

(289) " Diximus Dominum de Insequin commoditate opidorum, in quibus hybernas habet stationes exercitus, posse illum trium dierum spatio unire et educere; et dum dispersos per Provincias milites evocamus, et super negotio lente discurrimus, totam, ut antea, percurreret Momoniam, et Provinciae iterum tributum imponeret. Octo solum supersunt dies, quibus conventione cum Comitatibus facta ab hoc impeditur. His elapsis est sui juris, et omnem potest tyrannidem in Provinciam exercere. Haec summa nobis videtur induciarum necessitas. Has, quod scimus nulli ex Generalibus improbant.

(290) " Jam de utilitate. Et primo. In quantum scribit Illustrissima Dominatio vestra se semper praetulisse induciis aliquam confederationem aut accommodationem contrahendam, vel cum Insequin, vel cum alio ex hostibus, ea potissimum de causa quod talis accommodatio aliquam partium contrahentium utilitatem habitura esset, et religionis augmentum. Ad hoc responderi potest: Licet Dominus de Insequin tali confederationi assentire vellet, inducias tamen praeire necesse esse, ut res tanta (cui nec tempus limites ponit, nec nisi semel ineunda sit) perficeretur. Sed quae sit futura haec confederatio, aut quid emolumenti religioni Catholicae ex ea provenire possit, disquiramus.

(291) " Primo, cum adversae religionis hominibus esset ineunda, qui procul dubio pari vinculo nos ad suam sectam in locis sibi reservatis conservandam astringerent, et hoc forte indecorum existimaretur. Deinde nescimus quanto talis confederatio nobis damno esse possit, qui ubiores pro Catholica religione stabienda conditiones a Rege nostro (si pax concludenda esset) expectare non possemus, quam quas privata illa confederatione cum Protestantibus inita nos ipsi statuimus.

(292) " Praeterea talis confederationis natura requirit, ut nulla pars in alteram jus habeat, et sic in Principatus partim

Catholicos, partim Protestantes, divisa Ibernia, nec bellum nec pacem habitura esset.]

1291 (293) "Redeamus ad inducias quas religioni Catholicae in Momonia utiles pro tempore futuro fore multis ostendimus. Nihilne est Cathedralem Casseliensem, et ad usque limites Comitatus Corck, ecclesias profanatas, et illius tractus decimas nostro Clero conservasse incolumes, ut (pro induciarum tempore) secure Deo illic inservire possint omnes Catholici?

(294) "Scimus profecto Sanctitatem Suam pro sua prudentia et in religionem Catholicam et Regem nostrum studio existimare melius utriusque consultum esse, si omnia oppida, fortalitia, naves, apparatusque bellici, qui apud hostes sunt, in manus Confaederatorum devenire possint. Et cui alteri incumbimus curae? Quid aliud tanto nostratum crux aestate praeterita effuso acquirere studuimus?

(295) "Sicut Sanctitatem Suam aegre laturam inducias cum hoste Protestante sine necessitate, sine utilitate contrahendas fore scimus, ita his datis (prout in primo responso clare patet) non dubitamus Sanctitatem Suam illas approbaturam, eo etiam magis quod Regias partes amplexantem Dominum de Insequin praeclulimus.

(296) "Per Illustrissimam D.V. et Reverendissimum Scarampum saepius Sanctitatis Suae nomine ad Dublinium capiendum excitati sumus, et si hoc tunc fieri posset, nec Proregis authoritas nec obsequium in Regem, quod illa certe actione diminui non poterat, obstitissent, sed si statum Iberniae (ut tunc erat) memoria repetat Illustrissima D.V., inveniet nos (licet inducias cum Marchione factae illius vires detraxissent) reliquis tamen hostibus vix pares.

(297) "Quod dicit D.V. Illustrissima exteros Principes et ipsam Reginam nostram et serenissimum nostrum Principem forte existimaturos declarationem illam Domini de Insequin viri versatilis fictitiam, certe nos illam talem esse non existimamus, ea potissimum adducti ratione quod illius jurati hostes Parliamentarii sint et Independentes, sed si talis esset tempore tamen opportuno pro Confaederatis Catholicis facta est, qui sub illa saltem specie possunt necessitatibus suis consulere, et contra se profitentes Parliamentarios bellum unitis viribus movere.

(298) "Dicit etiam Illustrissima D. *Vestra si Jones*, exercitu nostro Dublinium appropinquante ad Regis partes se transire fingat, inducias etiam cum illo eadem nos de causa facere debere. Ad hoc. Licet minime sit sperandum Colonellum *Jones* (qui e

sorte humili ad hoc dignitatis culmen a Parlamento evictus est) alias partes amplexaturum, nos tamen non adeo sumus stupidi ut pro rerum nostrarum statu hunc ficta, illum vera profiteri non asseramus. Nec obligamur eo solum titulo inducias contrahere cum unoquoque in Regias partes transeunte, nec hoc diximus; hos tamen praeferendos et Conventus Generalis et nos censemus.

(299) " Induciarum (ut vere dicit Illustrissima D. Vestra) meliores essent conditiones, si dum illae tractantur, exercitus in Momoniam posset mitti. Nos idem sentimus. | Sed unde, aut 1292 quo tempore talis contrahendus sit exercitus? Quid de illo jam saepius devastata et militum obnoxia insolentiae Momonia sentiat, inquirendum. Hostis paratus est; et infra paucos dies, vel novum tributum, vel novae clades, et miseriae imminebunt illi Provinciae.

(300) " Dicit Illustrissima Dominatio vestra se a plerisque de Supremo Concilio, praesertim ab Illustrissimo Limericensi, audivisse Concilium in eam sententiam devenisse, ut exercitus mitteretur contra Insequin. Quod haec vera sint, quae ad Illustrissimam Dominationem vestram deferebantur, res ipsa confirmavit. Eductae sunt equitum turmae ex Lagenia, tres legiones peditum ex Ultonensi exercitu, una ex Lagenia, in illud opus destinatae sunt. Equitatus etiam Momoniensis et una peditum legio adducti. Electi etiam a Supremo Concilio, qui in illa expeditione Generalem comitarentur. Ad Casseliam exercitus praefecti, et primarii Duces Concilium bellicum de rebus agendis inierunt, atque instrumento communi ab omnibus subscripto ad nos missa asseverarunt expeditionem illam versus hostem, equitatu pollutem, et in praesidiis prope positis residentem, defectu commeatus, quem ad alendum exercitum in Momonia procurare non poterant, esse temerarium. Et ex illa posse damnum aliquod grave evenire Confaederatis Catholicis. Erant in hoc Concilio ex omni Provincia Duces, et haec eorum sententia, quapropter in hybernas stationes exercitus ille dispersus erat. Ex his patet vera fuisse, quae Romam scripserat Illustrissima D.V., et si hae rationes, haec consulta militum Romam scribantur, satisfaciet officio suo Illustrissima D.V. in cuius potestate, sicut nec in nostra, non erat, omnia ad illam expeditionem necessaria subministrare. Haec ad ulteriorem Illustrissimae D.V. satisfactionem scripsisse sufficiat." Haec illi.

(301) Concilium Supremum ante Nuncii redditum duo Momoniae et Lageniae Concilia Provincialia Kilkenniae cele-

Auditis
Joannis
Barrii
suggesti-
onibus
exercitum
dissipar-
unt.

1292

v

branda indixit in 20^m Aprilis, eodemque una convocavit *Concilium magnum*, per quod intelligo omnes ex quatuor Regni Provinciis ab ultimis Comitiis Generalibus ita in Consiliarios cooptatos, ut duodecim tantum ibi nominati continuo residerent, excepto casu quo unus vel plures ex his duodecim necessitate vel utilitate premente, et majore Residentium parte consentiente abessent, atque alius vel alii ex Consiliariis 2° ordine tunc pariter electis, et specialiter nominatis, in locum substituerentur, non ex aliis quam ex absentium vel deficientium Provinciis assumendi. Accesserunt etiam (Laonensi et Ardfertensi exceptis) ipsius Momoniae Antistites omnes (praeter alios Regni Praelatos) ab ipso etiam Concilio Supremo invitati, qui rebus cum Nuncio jam Kilkenniae ponderatis, Concilio significant se metuere ne induciae in religionis ac nationis ruinam tendant. Quare rogant ne negotio ulterius instetur priusquam sibi satisfactum fuerit. Concilium Praelatis chartas et rationes omnes inter Nuncium et se super ea re antea ultro citroque | scriptas, quas superius tradidimus, communicavit, sperans futurum ut Praelati harum lectione manus darent. Hoc facto cum dies 22 Aprilis Insequinio ad induciarum negotium Dungarvaniae expediendum antea condicta imminaret, Concilium Legatorum mandatis et Instructionibus absolvendis operam dedit, quibus cum opus esset ut ex duodecim Consiliariis Residentibus saltem septem manum apponenter, natus est nodus Consiliariis tanto numero subscribere negantibus, donec Clerus rem ratam habuisset, nodum tamen quorundam Consiliariorum instantia et aliorum, quorum renitentiam fregerant, facilitas solvit, facta prius a Concilio hac pollicitatione, ex qua etiam illius nodi historiam et solutionem exactius discas:

(302) "Cum, data per literas nostras fide, legatos ad tractandum de armorum induciis cum D. Barone de Insequin mittere teneamur, qui in designato loco 24 hujus mensis eidem Baroni occurrere debent, magnique pro re examinanda Concilii Conventum 20 hujus in hac urbe habendum indixerimus, ac nimis breve nobis supersit tempus tam pro colligendis ejusdem magni Concilii votis, quam usque ad finem redemptae ab eodem Barone vexationis cum hoc eodem mense expiraturae, mandata digesimus ad eosdem legatos mittenda. Pro quibus una et cessationis rationibus discutiendis, Illustrissimi Archiepiscopi Dubliniensis, Casselensis, et Tuamensis, aliquique Praelati hujus Consistorii Comites, huc recens adducti, aliquam temporis moram flagitarent, quae a nobis dari illaesa fide non poterat, sed quod fieri potuit in

mandatis praestitimus, praecipiendo legatis ne quidquam concluderent ante horam meridianam diei Jovis proxime futuri, quo iterum Illustrissimi DD. dictas instructiones seu mandata examinare valeant, nobisque, siquae forte occurrant, rationes exponant, quibus moti cessationi intercedendum judicent.

(303) " Nos igitur quia, requirentibus nobis, mandatis illis subscripterunt praedicti Illustrissimi DD. pro eorum satisfactione certum facimus, ac suscipimus, quod si ante horam nonam diei Mercurii scripto manualibus tam suis quam Reverendissimorum Episcoporum Limericensis et Aladensis signis et sigillis firmato et munito manifestaverint nobis hujus cessationis conclusionem illegitimam esse, aut quicquam in dictis nostris Instructionibus contineri, quod nostris aduersetur conscientiis, idque non solum vague et nihil determinate exprimendo, sed quod illicitum est speciatim indicent ac nobis indigent, nos tum providebimus ne quid per legatos nostros nisi remotis prius dictis scrupulis, concludatur. Kilkenniae, 20 Aprilis, 1648."

(304) Instructionum autem, quae legatis ad Insequinnium hac vice destinatis traditae fuerant aliae erant, quibus Concilium Supremum ad propositiones ab eodem Insequinno 4° Aprilis transmissas et superius positas respondebant et aliae illi praeterea propondendae ut cessationis armorum tractatui intexerentur, sicut hic ex Concilii Diario vides.

PER SUPREMUM CONCILIIUM. |

" *Instructiones observandae a Richardo Everardo Baronetto, Patritio Goagh et Joanne Walsh Equitibus, legatis de tractandis et concludendis induciis cum D. Barone de Insequin, aliisve ab eo authoritatem in eum finem habentibus.*

1293
Armigeris.

(305) " Propositionibus ab eodem Barone per Richardum Everardum Baronettum, et Callaghanum O Callaghan missis hoc ordine respondebitis.

(306) " Ad primam. Regiae Majestatis servitium, secundum id quod Deo Opt. Max. debemus *actionum* nostrarum centrum constituemus.

convention-
um.

(307) " Ad 2^{am}. Consentimus ut sufficienter alendo ejus exercitui, praesentem solum et effectivum militum numerum intelligentes, provideatur, quem in finem Corcagiensem Comitatum integrum dari volumus, ac potius quam re infecta recedatur Baronatus de Decyses, et Coissimore, et de Cosbride in Comitatu

Waterfordensi, una cum 4 Baronatibus in Comitatu Kerriensi concedetis, tribus reliquis Baronibus, qui Comitatibus Limericensi, Tiperariensi, et Clarensi, viciniores sunt, una cum Valle Ruaghty, quod praedium est Domini Macfinini, reservatis.

(308) " Ad 3^{am}. Si quos reperiat D. Baro, qui pecunias ipsi mutuo praestare velint, id per nos ipsis ita licebit ut rem ipsi per nos procurandam non spondeamus, sicut nec sponte facere volentes impediemus.

(309) " Ad quartam Propositionem. Illam omnino amplectimur; additum volentes, ut si qui alterius partis homines in mari capti ad maritimos alterius portus adducti fuerint, sumpto prius de observandis a se induciis juramento, liberi dimittantur.

(310) " Ad 5^{am}. Propositionem illam tanquam pluribus obnoxiam ambiguitatibus et incommodis prorsus respuimus. Huic insistendum.

(311) " Ad 6^{am}. Deputabuntur quidam utriusque partis Procuratores, quorum consensu reliqua tributa ab iis qui spondederunt exacta deducto prius praedarum, si quae a suae partis hominibus contra conventionem nostris abactae sunt, pretio solventur.

(312) " Ad 7^{am}. Eam quoad omnes partes amplectimur.

(313) " Ad 8^{am}. Faederationis nostrae sacramento tenemur Regiae Majestatis jura justasque praerogativas pro virili defendere, nosque insuper cessationis articulis denuo obligabimus, omnes partes et factiones intra nostros limites tam eidem Associationis juramento, quam induciarum articulis sese opposentes, nos esse suppressuros, quod nobis cum D. Barone reciprocum esse volumus.

(314) " Porro cum haec propositionibus a D. Barone factis respondebitis, consequentes ipsi vicissim nostro nomine induciarum articulis inserendas exhibebitis:

(315) " 1^a. Ut Faederati Catholici omnes et singuli, tam Clerici quam laici, intra districtus D. Baronis durante cessatione religionis et functionum omnium liberum exercitium habeant. Et huic insistendum.

(316) " 2^a. Decimas Baronatum in Comitatibus Waterfordensi et Kerriensi concedendorum vel addendorum finibus D. Baronis, vel omnino vel dato quodam juxta nobilium incolarum aestimationem pretio, reservabitis. Huic insistendum.

(317) " 3^a. Ut omnes Catholici etiam intra Comitatum Corcagiensem residentes jurisdictioni nostrae maneat subjecti, 1293 v
iisque lites suas coram judicibus a nobis constitutis non secus quam antehac prosequi liceat.

(318) " 4^a. Ut D. Baro cum suo exercitu, quotiescumque vocatus fuerit in subsidium nostrum contra Parliamentarios aliosque omnes nos impugnantes veniat; et hic articulus utriusque parti reciprocus erit.

(319) " 5^a. Ut captivi utrinque liberi dimittantur.

(320) " 6^a. Ut cessatio ad primum Novembris continuetur, tamque ad Clerum quam ad laicos extendatur. Huic insistendum.

(321) " 7^a. Ut Castellum de Cahir restituatur; nec tamen si denegetur propterea dissentendum, dummodo ipso Castello cum dominio ad id pertinenti frui D. Baroni satis sit.

(322) " 8^a. Conveniat ipsi et nobis de omnibus Castellis, fortalitiis, aliisque possessionibus, quae ipsi pro limitibus in praesens conceduntur, nobis elapso cessationis tempore liberis relinquendis, nec eum quemquam ex possessoribus aut praesidiariis castellarum ex possessis locis deturbaturum, aut concedenda ipsi loca ultra jam possessa in Corcagiensi Comitatu praedia tributis aut exactiōibus oneraturum. Huic insistendum.

(323) " 9^a. *Castellum* quod D. Baro in Comitatu Kerriensi possidet, et praesidio conservat, nobis reddetur.

*Castella,
etc.*

(324) 10^a. Nihil concludatis ante horam 12^{am} diei Jovis proxime futuri.

(325) " 11^a. Nullum nobis fiat obstaculum in exigendis et colligendis tributis nobis reliquis in assignandis ipsi tractibus intra Comitatus Kerriensem et Waterfordensem debitibus. Huic insistendum.

(326) " 12^a. Harum instructionum puncta, quibus non praecipimus ut insistatis, quam poteritis maxime urgebitis, nec tamen etiamsi id irrita opera fiat, propterea re infecta recedendum.

(327) " Cum primum ad destinatum locum perveneritis, D. Baronem monebitis, nos et fiducia sincerae intentionis quam de concludendis induciis habere eum supponimus, et cura praeservandae illius provinciae a ruina motos distulisse exercitus nostri educationem in unum corpus, quemadmodum suas ille vires habet. Quapropter ne eductae partis utriusque vires et Provinciam depopulentur, et ad hostilia invicem exercenda obligent, ex quibus major oriatur dissensio, cupimus ut D. Baro intra Comitatum Corcagiensem durante cessationis negotiatione vires suas con-

tineat, nobis interim nostras intra limites nostros pariter cohibus turis." Hucusque Concilii Instructiones praefatis Commissariis traditae.

(328) His mandatis muniti duo ex praefatis Commissariis, nempe Patricius Goghus et Joannes Walshius 22 Aprilis Kilkennia Dungarvaniam profecti sunt, ibi cum Insequinno ita de induciis acturi, ut in mandatis haberent nequid usque ad diem ejusdem mensis 27 concluderent, tertio Commissario, nempe Everardo, Kilkenniae relicto, et Dungarvaniam ante illud tempus cum Cleri additamentis, siuae forent, secuturo.

(329) Interea praefati Praelati nuncio ad Concilium misso rogarunt ut praefatarum Instructionum exemplar a Nuncio et reliquo Clero examinandum sibi communicaretur. Post longam autem de re habitam disceptationem, id tandem missum fuit, 1294 sed perlegendum solum et statim remittendum. | Quod Praelatis cum minus sufficeret, nisi penes ipsos remaneret, hoc demum non absque difficultate concessum fuit. Patet autem violentum plane fuisse laicae potestatis in hoc articulo procedendi modum, cum ipsi Nuncium et Clerum deliberandi studio Kilkenniam invitarint, et instrumento publico 2º Aprilis Praelatis eodem nominatis polliciti sint inducias non concludendas nisi juxta conscientiae leges, quas iidem Praelati ante horam nonam diei Mercurii proxime futuri, nempe 26 Aprilis, denuntiarent. Quomodo autem deliberare, vel eas leges denuntiare potuissent, nisi examinatis Instructionibus, proindeque recepto et retento earundem exemplari, ne in tanti ponderis censura fallerent aut fallerentur? Porro Nuncius et alii Antistites, ubi Instructiones et induciarum statum mature perpendisset, in illud armistitium insurrexerunt rationibus validissimis, quas Philopater Irenaeus melius refutavit dum in medium non produxit, licet prae manibus fuerit Concilii Diarium, ex quo ego easdem his insero:

"RATIONES CLERI.

Conc. Diar. (330) "Ormoniae Marchio fugam simulans ex Anglia in Galliam trajecit, revera tamen a Parlamento primum eo missus mox juxta ejus votum in Iberniam navigaturus est, ut praetextu Regiae authoritatis populum hunc Parlamento subjiciat, injuriamque quam sibi per rejectionem pacis factam praetendit, plane ulciscatur.

(331) " Joannes Barrius similiter a Parlamento benigne acceptus, et ad res ipsius in Ibernia agendas destinatus, se transfugam ementitus, huc nuper appulit. Haec a fide dignis ex Gallia scripta sunt. En consiliorum effectum. Appulso statim Barrio, Baro de Insequin ad Regias partes se transire dolo malo simulat, nec desunt quaedam in Faederatorum gremio occulta instrumenta ejusmodi aliisque machinationibus adinveniendis ac promovendis aptissima. His artibus cessatio quasi ex abstrusissimis cuniculis eruta Concilii Catholici mentibus inspiratur, ac paulatim fautores ac sollicitatores adeo diligentes offendit, ut vix ab ea averti aut quidam sine ea vivere queant.

(332) " Ratio prima. Hujus cessationis consilium (cum sit contra Faederatorum omniumque aliarum Provinciarum consuetudinem) nec a Generalibus Provinciae Momoniae Comitiis nec a nobilium primoribus suggestum est.

(333) " 2^a. Cessatio haec illius Provinciae nobilibus et Clero, quorum praedia et haereditates absoluto imperio Baronis de Insequin relinquit, plurimum derogat.

(334) " 3^a. Baro de Insequin aut nunc hostis Parlamenti (ut gratis et communiter asseritur) factus est, adeoque omni Parlamenti auxilio destitutus, sicque tam exiguis viribus confisus, expectat (merito quidem si nobis bene consultum esset) ut vindictam ab eo repetamus, legesque ipsi potius praescribamus, quam ab eo accipiamus. Aut se a Rege stare falso simulat, adeoque ejus fraudes, quibus populum circumvenire conatur, omnino vitandae sunt.

(335) " 4^a. Per hanc cessationem stabit quominus per Legatos nostros tolerandas | 1294 ellas pacis conditiones obtineamus, et consequenter ne ad ipsam pacem perveniatur, efficiet.

v

(336) " 5^a. Viam sternet plurimum Faederatorum Catholicon ruinae, qui hanc occasionem nacti partibus ejusdem Baronis de Insequin accident.

(337) " 6^a. Dolosa politia, inconstantia, perfidia, ambitio, superbia et tyrannis ejusdem D. Baronis ad tantum antehac cumulum excreuisse videtur, ut Ibernica Natio in religione, libertate, et fortunis majorum suorum perseverans, nullam in ipso fiduciam collocare possint. Novit enim ille et seipsum et alios Provinciae illius Magnates, qui se nunquam ipsi ultro subiicient, quapropter nullam non navabit operam, qua destructis illis, alios factionis suae homines eorum ruinis erigit.

(338) " 7^a. Tantae per hanc cessationem ejus viribus opulentiae, bellicarum munitionum, ac potentiae accessio fiet, ut multo

difficilior quam antehac debellari imposterum queat, quinetiam qui hactenus unam Provinciam infestabat hujus cessationis beneficio, universo Regno poterit insultare.

(339) “ 8^a. Per hanc cessationem patefacta est via ad extirpandam ex tota Ibernia Catholicam religionem, nosque ad acceptandam pacem conditionibus quantumlibet inquis compellendos. Plerisque occasionem praebet Regnum mature deserendi, aut sibi quibuslibet adminiculis de sua securitate et fortunis providendi, adeo ut exitiosa divisio ex hac cessatione nationi proxime immineat, de quibus si quis dubitat, revocet in mentem ille, quam se Clero semper infestum gesserit Dominus de Insequin, quantasque inimicitias cum plerisque Iberniae incolis exercuerit, nominatim ac p[re] caeteris cum Ultoniensibus, quos omnes indiscriminatim odit, ut et Insulanos Scotos. Recolat pariter ille quomodo in diversis casibus Ultoniensis exercitus homines conflictu inferiores a precaria vita etiam sub conditione captivitatis pretio postmodum redimenda, aliisque reconciliationis adminiculis reliquis nationis hominibus reservatis et reservandis, expresso Baronis imperio exclusi sint. Meminerit tandem haeredes Baronis de Insequin in Anglia obsides esse, ut et Ormonii uxorem et liberos ibidem relictos. Item Ormonium Parlamento, quod sibi carissimum esse debebat tradidisse, fortunas videlicet vitas, et salutem nationis, amicorum, parentum, cognatorum, ac *sub-clientum ditorum* quantum potuit ad Puritanos transtulisse.” Haec illi.

(340) Clerus etiam addidit deinde quatuor alias rationes, quas non ex Concilii Diario, ubi eodem sensu et (nescio quorsum) aliis verbis habentur, sed ex folio Latino propria Nuncii manu scripto hic subdo.

(341) “ 1^o. In hac cessatione religio periclitatur directe, quia augetur robur et dominium hostis infestissimi ejusdem religionis, qui nullum praebet argumentum, quod cessaturus sit ab ejusdem persecutione, et ideo intrat regula Sanctorum Patrum: Quod nunquam religio possit bene se habere cum haereticorum commercio et authoritate. In quo puncto non videtur dubitandum quod fieret contra juramentum Associationis. |

1295 (342) “ 2^o. Periclitatur, quia conditions ad religionem spectantes, quae sperari possunt a Principle et Regina eo minores erunt, quo minus Confaederatio Catholica videtur habere roboris; at in casu praesenti nihil debilius ostendi potest, quam quod DD. Confaederati sine ulla praeparatione exercitus, imo cum

aperta confessione propriae debilitatis videntur potius petere, quam concedere inducias.

(343) "3°. Quia ponitur in ancipi benevolentia Sanctitatis Suae erga hoc Regnum, a qua principaliter pendet felix progressus religionis. Nam dum sunt apud illam Agentes Iberni pro hoc eodem fine, maxime abhorrebit quod interim Confaederatio descenderit in pactiones, prout dixi, tam utiles hosti Protestant, et tam religioni periculosas. Quod maxime augebitur, quando audierit ab ipso hoste jam proscribi impudenter Nuncium ipsius, et exercitum, qui partes Cleri secutus est.

(344) "4°. Periclitatur indirecte, quia si declaratio pro Rege, non probata ex ulla experimentis, debeat statim trahere ad se confaederationem, idem etiam facient omnes, qui Regi hostes sunt, ut tandem decipient Regnum et Iberos, et inter se partiantur. In quo Confaederati maxime delinquent, quia hoc est praeponere Regem religioni, contra formam et vim ipsorum Iuramenti." Haec Clerus.

Responsio Concilii ad superiores Cleri rationes.

(345) "Ad primam et secundam: Jacta fundamenta de D. Marchionis Ormonii et Colonelli Barri simulata fuga, et negotiatione a Parlamento suscepta tot obnoxia sunt contradictionibus, ut non nisi manifestata prius eorum evidentia fidem apud nos sibi parere queant. Quapropter dum eorum (siquae est) evidentiā profertis, nostrum suspendimus judicium, ni malitis vos contrarias rationes serio perpendere, easque cum data vobis aliunde notitia conferre, ut deinceps firmum ac stabile de re tota judicium feratis.

ibid.

Pudendae
et fraudu-
lentissimae
Ormonis-
tarum
respon-
siones
in sui
Ormonii
favorem.

(346) "Imprimis probabiliter informati sumus D. Marchioni, utpote praesenti Parlamento plurimum suspecto, negatam fuisse licentiam manendi intra muros urbis Londinensis, et die ipsa Natalis Christi Domini ad 20^m ab urbe milliare citatis equis abire compulsum, ut obediret edicto nuper et vulgato decreto, quo omnes et singuli qui arma pro Rege gesserant, intra certam quandam ab ea urbe distantiam in praesens vivere prohibebantur, ac eum deinde apud Aetonium longe ab urbe Londinensi in secessu vixisse, donec in Parlamento statutum fuit nullum post hac ad Regiam Majestatem cuiquam fore accessum. Variis etiam innotuit viis Parliamentarios conditionibus cum eo Dublinii initis non stetisse. Quinimo maxima promissae summae parte eum frustrasse; salvi conductus a se dati tam ipsi, quam aliis personis in eo nominatis, qui eo titulo eumdem D. Marchionem in

Angliam comitati sunt, beneficium denegasse, ac Comitem de Roscomano, Fidelem de Fortescu, Robertum Foordum, equites, et Brentium jurisperitum carceri mancipasse; ipsum pariter in aperta quatuor doliorum navicula procelloso ac saevienti mari ex Anglia fugisse. Colonellum Barrium similiter fuga sibi consuluisse, qui paulo post suum in hoc Regnum adventum ad nos v accessit, a quibus sacramento adactus est se nihil in Faederorum Catholicorum praejudicium moliturum. Fidem igitur super tantae autoritatis tantaeque in hoc Regno fortunae virum tantam fidelitatem in Regem praeseferentem, quantam Ormoniae Marchio hactenus professus est, ac praestitit, instrumentum ultro fieri velle patriae, iis qui tam perfide, tam ingrate secum egerunt, prodendae, aut ipsum ad absolvendum id negotium magno cum salutis suae discrimine piscatoriae cymbae sese commisso; aut Regem tam arcte custoditum, tamque crudeliter a Parlamento tractatum, Marchionem impellere voluisse, ad honorem suum sub ejusmodi falsitatis colore perpetuae ignominiae prostitendum. Unde convenientius dici potest D. Marchionem Ormoniae tam profundo sensu perfidiae Parliamentariorum, in Regem infidelitatis et ingratitudinis erga se ipsum, malitia, et aversionis in suam hanc nationem instigatum, tanto periculo sese exposuisse, mori scilicet mallentem, quam ejuscemodi injurias inultas relinquere, ac *movendo per Colonellum Barrium, Baronem de Insequin*, vindictam in Parliamentarios, et simul Patriae conservationem meditatum fuisse.

(347) " Cessatio haec tam artificiose promota esse dicitur, ut multos repererit fautores. Verum per praecedentes rationes D. Nuncio a nobis exhibitas evidenter demonstratum est nos ad eam concludendam nullo artificio, sed sola necessitate et utilitate inducitos et sane judicari vellemus, quod illud tandem instrumentum sit a quo aliquo sinistro fine promoveri suspicemini. Hujus enim cessationis tractatio (ut moris est) ex motu et instinctu eorum provenit, quorum maxime rei illius interest Supremi Concilii nimirum, et Baronis de Insequin. Haec enim eadem praecedentium omnium cessationum consueta fuit via. Nec in obscuro tractata est, sed tanta cum libertate et luce agitata, quantam et ejus naturae res et temporis angustia pati potuerunt, ut ex totius rei progressu et singulis ejus partibus liquido constat.

(348) " Nihil autem derogatum hac cessatione juribus aut commodis nobilium et Cleri, imo si concludatur, Cleri conditio in illa Provincia futura est melior. Nobilium autem huius cessationis

beneficio conditio potior ea erit, quam sibi privatis cum Barone pactis hactenus procurarunt.

(349) " Ad tertiam rationem, ac dilemma, quo armata procedit, Baronem scilicet de Insequin; aut re ipsa factum Parlamento hostem, sicque ejus auxilio destitutum, sibique relictum, imbecillem, adeoque urgendum ac expugnandum; aut se a Rege stare fingit, ac prae se fert cum nihil minus cogitet; atque adeo nos tensos irretiendo populo laqueos amovere debere. Satis fuse in superioribus a nobis responsum est, ubi et ostensus praesens Baronis status, et quam funestos experti sumus virium ejus affectus declaratum est, nostra autem conditio, hostibus undequaque cingentibus, ob omnium oculos posita, dictumque Faederatos in omnes partes, quibus hostes premunt exercitus destinare minime valere. Verum, esto non desint nobis vires quibus Baro prematur, quibus Regno vadari potest eum priusquam ad angustias redigatur, Corcagiam, Kinsaliam, Yogheliam et caeteras civitates sibi subjectas, non esse Parliamentariis traditurum, quod facturum eum probabile est, si in desperationem agatur. Et sane si Baro de Insequin dolum, qui timetur, exequi in votis habet, per cessationem ligatur, et ab eo fraudulentio consilio executioni mandando impeditur, alioqui fidem frangit, cum eum ab omnibus ejusmodi hostilibus induciarum conditio distineat, 1296 quo casu violatio quam faciet initi faederis libertatem nobis reddit tam ipsi quam vafris ejus consilii resistendi. Et vero si ad Regias partes simulate se transire solum fingit, necessario quiescat (quod mirandum) dum nos sociorum ejus Parliamentariorum internectioni incumbemus. Quod ubi peractum fuerit, vacabit nobis miserae illius Provinciae componendis rebus ac reparandis damnis, si quae interim intulerit Baro.

(350) " Ad 4^{am} rationem. Tantum abest quod cessatio haec pacis conditionibus a Regina et Principe obtinendis intercedat ut potius ampliores habituri simus, ubi experimento constiterit nos favere omnibus, qui Regiis partibus accedunt; quin et defenduae obtentae paci plura erunt nobis adminicula, cum Baro de Insequin, qui verisimiliter eam amplexatus est, nobis in subjiciendis Parliamentariis auxiliatus fuerit.

(351) " Ad 5^{am}. Non credendum est Faederatos Catholicos, quorum satis nobis antehac probata fides, semestribus armorum induciis movendos ut se faederatione abdicent, ac perjuros reddant. Et vero armorum cessatio multo diuturnior cum persona multum illustriore, ac magis populari, nec non authoritate Regia pollente, tantillum apud eos invaluit, ut familiae quamplurimae

maluerint apud nos agere, quam in praediis suis sub potestate cuiuspiam Faederationi nostrae adversantis quiete vivere.

(352) " Ad 6^{am}. Esto D. Baro de Insequin tam depravatis moribus sit, cessatio tamen pro contrahentis emolumento cum hominibus non minus perversis saepius facta fuit. Enimvero cessatio hostilium est ad tempus tantum suppressio, nec fidem inter partes secum affert, nec ulteriore fiduciam, quam cessationis natura requirit. Qua proinde non obstante, ejus semper actiones vigilanter nos sumus observaturi, nec personam, aut studia cujusquam faederatorum ejus potestati subjiciemus. Nec praediorum in assignandis ipsi tractibus contentorum possessionem in eum transferimus, sed solum tributa ipsi pendenda decernimus, quemadmodum ipsi pro redimenda vexatione saepius antehac eidem solverunt. Nec quemquam Faederatorum intra assignandos ipsi limites diutius quam voluerit vivere cogimus.

(353) " Ad 7^{am}. Imbecillior potius evadet per cessationem Insequin, cum et sic suppetiae a Parlamento caeteroquin mittendae avertentur, et limites ipsi a nobis praescripti pro alendo ejus exercitu adeo sunt angusti, ut necessario exercitum illum ut subsistere possit contrahere debeat, quo potior haud dubie futura est nostra conditio, cum aliunde nos majorem Provinciae illius partem possidentes, liberi ab ejus incursionibus et extorquendis vectigalibus per hanc conventionem futuri. Interea vires colligemus, quibus illi, finita cessatione, occurrere poterimus, et interim ejus Provinciae copiis aliis nostris viribus conjunctis multo plus in alia Provincia lucrabimur, quam per hanc cessationem tributa ipsi solvendo perdemus. Nec etiam dubitamus quin plurimi illius exercitus milites magis in Parliamentarios quam in Regem propensi in Angliam durante cessatione trajecturi sint. Quod et experientia induciarum cum D. Marchione Ormoniae initiarum comperimus, et vero res ipsa, qua de agitur, manifestat, cum jam ab inchoato hoc cum Barone tractatu non nulli ejus milites in Angliam migraverint.

(354) " Ad 8^{am}. Aperta potius est via pro stabienda Catholica religione caeteroquin magno discrimini exponenda. Per hanc enim cessationem hostes nostros inter se dividimus. Jonem, Baronem de Insequin, Scotos, et Cootum sibi invicem suspectos reddimus, inque varias partes tam in Anglia quam in Scotia jactis seminibus discordiarum, odiorum, ac distractionum scindimus, ubi contra si aliam viam inimus, partes omnes in capitali adversum nos odio tanquam in centro concurrent.

Evidens enim est, si contractis viribus contra Baronem, qui jam a libertinis vel Parliamentariis Independentibus defecit, procedimus, eum aut eisdem libertinis reconciliatum iri, aut (quod non minus in nostrum detrimentum cederet) urbes, quas possidet, ipsis redditurum. Nos autem procuranda hujus cessationis beneficio virium nostrarum unione, fore speramus, ut in aliis Regni partibus ea loca in potestatem nostram redigantur, quibus conditio nostra futura est multo potior, majoremque propterea Catholicae religioni splendorem ac fulgorem, quam quae in praesens sunt, acquisituri sumus.

(355) "Ad 9^{am}. Capere non possumus cur haec armorum cessatio quosquam ex patria sua expellat, aliasque quam quas Faederati omnes ineunt, ingredi vias cogat; adeone quispiam desipiat, ut, quia hostis odit, cum amicis rixetur? Peculiaria odia cum Ultoniensibus exercet Insequin? Hoc ut demus. Quid inde? Stabunt forte otiosae aliarum Provinciarum vires, dum Ultonienses aggreditur ille? Nequaquam. Juramento enim associationis omnes pro mutua defensione et protectione obstricti sumus. Non nisi inclusis Ultoniensibus concludenda est cessatio. Si quidquam in illos moliendo cessationem violare ipse conatur, nos eodem, imo potiore jure usi illi adversabimur. Quoad precariam vitam Ultoniensibus ab eo negatam (ut praetenditur) nobis compertum est ipsum plures Ultoniensibus concessisse, imo cuiquam eorum a se negatam diffidetur.

(356) "Quantum ad Cleri nostri odium quo inflammari dicitur, quid mirum? Neminem enim latet eum Protestantem esse, et quis Protestantium iis tenebris adhuc circumventus et excaecatus Clerum nostrum unquam amavit? Veruntamen nobis innouuit tolerare eum ut intra proprios districtus, ubi absolutam potestatem obtinet, praesbyteri vivant, et sacra impune faciant. At haeres ipsius in Anglia obses est: quid tum? Rex noster liberos suos sub Parlamenti potestate deserere coactus est, nec tamen omnibus ejus votis respondet. Ormoniae Marchio uxorem quidem et plures ex liberis in Anglia reliquit, gratias nihilominus Deo Opt. Max. agere debet, quod ipse cum primogenito suo incolumis evaserit. Bene etiam actum cum Barone Insequin, quod non plures in Anglia quam primogenitum suum obsides habeat. Quis reliquus esset necessitati locus? Quod ipsi nomen imponeretur, si quae libent omnibus, omnia licent? Baro de Insequin multa subiit pericula, plura pro Parlamento praestitit; potest et pro Rege eadem aut plura, ut et filium obsidem redimere plurium quos habet captivorum commutatione. Denique

1297 supponatur (si placet) tam Ormoniae Marchionem, quam Baronem de Insequin | esse Parlamento reipsa addictos, non tamen inde consequens est, quin cessatio cum ipsis urgente necessitate, ut et cum Jone, qui se Parliamentarium aperte profitetur, fieri potest."

"Ad quatuor Rationum Cleri appendices Responso.

(357) " Ad primam. Tantum abest ut per has inducias hostis vires ac jurisdictione augeatur, ut potius intra arctiores limites sint contrahendae, cum pleraque loca, quae ipsi antehac tributaria erant, per inducias a tributis ipsi solvendis eximantur, quae nisi fiant, quantum sapimus, in ejus situm est potestate eadem denuo sibi tributaria facere, aut omnino caede ac flammis devastare, praedasque ex universa Provincia agere. Hoc saltem argumento esse potest eum religionem nostram persequi nolle, quod inducias nobiscum habere velit; nec perspicere valemus, qui fieri possit ut Protestantes in Germania Galliisque vivant, si Catholicis necessario cum iis commercio sit interdictum; imo et eorum non nullis in quibusdam locis subjici. Nec supponendum (quod fieri videtur) ullam nos per hanc cum Barone cessationem autoritatem ipsi aut jurisdictionem in Catholicos concedere. Tantum igitur abest ut nos quicquam in hac cessatione associationis juramento impugnare judicemus, ut potius, qua Supremi Consules, ejusdem sacramenti violatione cessationem hanc oblatam nos respuere non posse, si praesentis nostrae necessitatis et commodorum inde tam Regno quam religioni Catholicae emergentium ratio habeatur. Quia igitur et imminentia damna et proventura emolumenta inducias commendant, nobis videntur acceptandae.

(358) " Pacis conditiones habita ratione virium nostrarum concedendas esse admittimus, sed meminisse debent, qui cessationi adversantur, effecturam illam ut nos conditione potiores, viribusque validiores habendi simus, cum indicio esse possit et nostri roboris et imbecillitatis Baronis, qui cum nuper totius pene Provinciae Momoniae victor esset, et ad ipsas Kilkenniae portas insultabundus cum exercitu erupisset, per hanc cessationem intra arctiores et remotiores limites relegandus sit. Dicetur porro nos per hanc cessationem ramum illum vigentem et viventem a communis hostis trunco abscidisse, eoque nosmetippos potentiores reddidisse. Dici etiam poterit cum vires nostrae unitae progressae fuerint in hostem, ac majoris momenti munitiones ceperint (quod sine cessatione fieri vix est possibile) per

cessionem factas esse validiores. Et sane ubi innotuerit cessationem hanc eo propensius a nobis initam, quod Baro se pro Rege stare declaraverit, per id haud dubie illi, quorum rei interest, ad melioris pacis conditiones nobis largiendas inducentur.

(359) "Quod ad Summum Pontificem spectat, nequaquam dubitamus, quin nostra in hoc negotio molimina et acta probaturus sit, quorum plenam narrationem ad legatos nostros Romanam mittere statuimus, unde et pro perficiendis legitimis nostris caeptis ulteriora auxilia speramus. Quod ad proscriptionem D. Nuncii, et exercitus Clero faventis (quo nomine omnes Catholicorum Faederatorum exercitus intelligimus) a Barone de Insequin intentam: Legatis nostris de cessatione cum eo tractantibus nuper injunctum a nobis fuit, ut cum eodem Barone exposularent, an ejusmodi aliquam epistolam, et quo sensu eam scripserit, qui responsionem ab eo sibi factam nobis in haec verba transmiserunt: |

(360) "Et quod epistolam spectat ad D. Plunquettum scriptam ejus responsio est: Etsi nullam ejusmodi a se scriptam meminisset, nec omnino hominem novisset, nobis tamen ultro fassus est, Castella, quorum in ista epistola mentio facta est, a se quidem, cum nuperrime in Comitatu Kierriensi esset, munita fuisse, verumque esse plurimas a se eum in finem exaratas esse literas, ac earum idem exemplar ad diversos nobiles tum datum fuisse, cum honoribus vestris et sibi minus quam modo conveniret, adeoque id utile ratum rebus suis, ut et aliis persuadere posse eos tuto et quiete ad partes suas transire, simul et quo inter nos ipsos discordiam seminaret, sed reipsa, et serio eum aliquid statuisse, aut malitum esse contra personas in epistola nominatas, aut alias quascumque cessationi aut paci (si forte aliqua factura est) acquieturas, id nec sibi tum fuisse consilium, nec modo esse sancte juravit. Et vero non appetet cur tanto pere moveri debeamus, vomitis in nostrorum aliquos hostium probis, quando ab eis pessima quaeque tam acta, quam verba ante concordiam cum iis factam expectanda esse videantur, unde et confidimus, ubi quod dictum est, et a quo Sanctitati Suae innotuerit, ipsam solum dicturam inimicum nostrum esse locutum.

(361) "Denique licet satis abunde ad 4^{am} appendicem per superiores rationes responsum sit, hic addidisse suffecerit, nec sperandum esse, nec timendum, ne omnes Regis hostes in ejus partes transeant, cum eorum plerique malitia summa ac inveterata in Majestatem ferantur. Quod si forte facerent, non cum omnibus tamen armorum inducias facturi sumus, nisi istae

1297
v

Quaestio
erat de illa
epistola 1^o
Apr. 1648
ab Inse-
quinnio ad
Joannem
Plunket-
tum
scripta et
superius
posita.

et ad Catholicae religionis profectum et ad nationis incolumitatem conducant. Has tandem et praecedentes rationes a nobis ad Illustrissimum Dominum Nuncium redditas, tam ipsi quam DD. vestris quod eam, qua de agitur cessationem spectat abunde satisfacturos esse speramus." Hactenus Concilium, seu potius Concilii pars corruptissima.

(362) Dixi Concilium Supremum convocasse Kilkenniam Lageniae et Momoniae Comitia Provincialia, quae potius conventicula ex Ormonii fautoribus studiose delectis compacta fuisse lego in D. Walteri Enos, S. Theologiae Doctoris, rerum illarum Ibernicarum scientissimi, Protocolo MS. anno 1652 Romae elaborato, et a suis popularibus ejusdem belli notitia bene imbutis ibidem approbato.

(363) "Sunt (inquit ille) in utraque Provincia Proceres et Magnates supra ducenti, quorum nullus aderat. Qui autem aderant Proceres, numerum septenarium non excesserunt. Quorum tres fuerunt de illustrissima familia Butlerorum. Caeteri aut bona ecclesiastica occupabant, aut factioni aequi nimis cedebant. Utrique Concilio Provinciali oporteret, ut minimum, interesse ducentos. His intererant quadraginta quatuor, quorum aliqui nunquam subscrisserunt, multo minus faedus approbarunt; eorum tamen nomina, ut deficientem augerent numerum, apponuntur. Eundem numerum conflarunt duodecim minus affecti juris periti inter haereticos educati, et ab eorum pravis dogmatibus aegre defaecati, quibus adjungitur totidem bonorum ecclesiasticorum possessores, qui omnes videbantur clamare: *haereditate possideamus sanctuarium Dei*. Quorum non nulli postea cum haereticis conspirantes, eis faederatos, faederatasque civitates et munitiones turpiter prodiderunt." Haec ille.

(364) Lagenienses Concilio Supremo, Concilio Magno, et illis 1298 Comitiis suis Provincialibus intextos, praeter communem factionis Ormonicae in ea Provincia (sicut hactenus constituit late dominantis tentationem, specialis in hac induciarum contestatione vehementer occupabat. Sperabant enim juxta Concilii Supremi suggestiones futurum ut armorum vacatione in Momonia contracta nedum Catholicorum sed et Insequinnii velut jam a Rege stantis copiae illa aestate Dubliniam, Vadipontum, aliaque Lageniae praesidia Parliamentariis extorquerent, exindeque Lagenia a triplici haereseos, Parlamenti, et exercitus Ultoniensis ibi militantis jugo omnique pene belli incommodo liberaretur. Concilium ergo Supremum, quo majorem rebus a

se gerendis fidem atque autoritatem astrueret, illis Provincialibus Lageniae Comitiis tunc Kilkenniae praesentibus hanc quaestionem proposuit:

"Quaestio a Supremo Concilio Lageniae Provinciae Comitiis proposita."

(365) "D. Baro de Insequin nuper pro Rege se stare declaravit, et jam nobiscum de armorum cessatione ad certum tempus facienda tractat. Quae res, quia Lageniam Provinciam incommodo et faciendi belli sumptibus spectat, exigit ut ejusdem Provinciae Comitiis discutiendum proponatur, utrum dictam cessationem necessariam, utilem, et convenientem judicent, necne? Et sensa sua a se subsignata super proposita quaestione quam primum nobis redhibeant. 22° Aprilis 1648.

Concilii
Diarium.

Edmundus Limericensis. Athunry, etc."

"Provincialium Lageniae Comitiorum super proposita a Supremo Concilio quaestione sententia."

(366) "Dominationum vestrarum mandatis obsequentes propositionem nobis factam examinavimus, et perpensis serio nos-
trae hujus Provinciae statu et conditione, nos ad bellum tam D. Baroni de Insequin, eique subjectis copiis quam Dubliniensibus hostibus simul movendum minus sufficere agnoscentes, non ex-
pedire modo sed et necessarium esse tenemus, ut armorum cessatio cum dicto D. Barone de Insequin concludatur, ad quantum tempus id honoribus vestris expedire videbitur. In quam sententiam eo propensius descendimus, quod dictus D. Baro se a Rege stare declaraverit, quod indigena sit et persona illustris, cuius bona fortunae in hoc Regno sita sunt. Hic noster sensus:
cui subscrpsimus 24 Aprilis an. 1648.

Diar.
Concilii.

Montgarret. Dillon. Lewis Clanmalirii. Upper Ossory.
Patricius Neterville. Petrus Butler. Joannes Dongan.
Laurentius Doudal. Gulielmus Hore. Thomas FitzGerald.
Thomas Tirell. Brian Birn. Robertus Shee. Marcus
Cheevers. Franc. Dromer. Brian Faeral. Joannes Doille.
Edmundus Faeral. Terentius Doinne."

(367) Biduo interjecto eadem Lageniae Comitia non nullis quorundam ex adversa Faederatorum parte querelis et sus-

picionibus obviarunt sequenti decreto, ex quo etiam conjectes quales fuerint illae suspiciones.

" Per Comitia Generalia Lageniae habita Kilkenniae 26 Aprilis 1648.

(388) " Quandoquidem nomine hujus Lageniensis Provinciae et omnium in ea habitantium, quorum saluti et incolumitati, ut v consuleremus, cura nobis demandata est, unanimi mente et consensu declaravimus cessationem armorum fore tum utilem tum necessariam ad Provinciae hujus conservationem, cumque intelligamus tam iniquos de nobis ob hanc declarationem nostram, deque iis qui dictam approbant cessationem, rumores in vulgo spargi, a quibusdam falso calumniantibus de industria initam dictam cessationem, ut vires novas nostris adderemus ad revocandam, et firmandam pacem cum Marchione de Ormonio nuper rejectam, impugnandosque quoslibet, qui vel hactenus, vel nunc eandem impugnant. Praeterea scientes mala quae passim accidunt, scilicet dissidia et discordias inter faederatos Catholicos, si similes rumores latius in vulgo serpent, ut obviam iremus, et tantis malis et tam impiis calumniis. Coram Deo testamur hos rumores esse falsissimos, et ex malitia factos sine ullo fundamento, quatenus nos, vel ullus nostrum scire potuit. Declaramus etiam et omnibus sancte asseveramus nomine hujus Provinciae et omnium Catholicorum Faederatorum, qui bene volunt causae publicae nunquam venisse nobis in mentem tam iniquas actiones et conspirationes, et nunquam vel semel cogitasse de revocanda pace nuper rejecta, vel ullo ex Faederatis opprimendo. Sed insuper coram Deo iterum protestamur, nos quantum in nobis situm est, cum periculo vitae et fortunarum omnium, vel defendere, vel tueri liberum Romanae Catholicae religionis exercitium in hoc Regno, jura regia, bona, possessiones, et libertatem Faederatorum Catholicorum sicut proponitur in juramento Confaederationis, quod stabilitum fuit in omnibus Generalibus Comitiis Faederatorum Catholicorum. Et conabimur omni industria et potestate opprimere universos, qui audebunt dissolvere unionem et faedus inter Faederatos Catholicos, vel qui praesument molestare aut bonis spoliare ullum ex predictis Faederatis adhaerentibus dicto Confaederationis sacramento. Tandem rogamus Faederatos nostros omnes Catholicos, ut non seducantur et in errorem inducantur his falsis et impiis calumniis, sed ut conentur pro virili similes suppressore rumores,

Con-
trarium
per omnia
docuit ex-
periencia,
postea
secuta.

eosque omnes opprimere, qui dictas calumnias spargent, de iis, qui cupiunt cessationem armorum cum Barone de Insequin, quandoquidem nihil aliud volumus per hanc, quam commodum et conservationem Provinciae hujus et reliquarum in hoc Regno Provinciarum, atque ut eo facilius vires nostras augeremus ad hostes opprimendos, tum eorum, tum omnium, qui unionem, pacem, et quietem dictorum Faederatorum Catholicorum distrahere vel dissolvere conabuntur.

(369) " Unanimis est dictae Assembleae sive Comitiorum consensus, ut haec declaratio mox imprimatur, et rogant ut a Supremo Concilio in hunc finem mandata dentur, atque exemplaria in omnes Comitatus, civitates, et oppida mittantur. Rogant insuper, ut supradictae Assembleae sententia, cui omnes ad unum subscripterunt, de dicta cessatione praelo statim mandetur cum supradicta declaratione.

De mandato supradictorum Comitiorum:

Thomas Fitz-Gerald."

(370) Jam ad Momoniae Provinciam transeamus, quae cum esset ea Provincia, in qua Insequinnius cum suo exercitu praesidia occuparet, et cuius specialiter interesset ut induciae illae, vel absolverentur, vel repudiarentur, exigit diligentorem, sed brevem partium, quas in hac altercatione egit, digressionem.

1299

(371) Itaque Momoniae Proceres et nobiles, antequam hae induciae palam proponerentur, hoc anno mense Januario Comitia Provincialia, quibus de bello adversus Insequinium prosequendo deliberarent, Limerici ex Concilii Supremi mandato celebrare decreverunt. Verum urbe illa aditum denegante, dicta Comitia Clonmelliae paucis milliaribus Kilkennia dissitae celebrarunt, ubi post multas Provincialium contestationes demum 1^a Februarii septimana juxta Consensus Generalis ultimi decretum statuerunt suis expensis conscribere exercitum ex septenis peditum millibus et equitibus mille cum quingentis conflandum, mox missis qui Concilii Supremi ratihabitionem obtinerent, et electis aliquot delegatis, qui caetera Provinciae negotia diffinirent. Quo facto Comitia illa dissoluta sunt. Verum superveniente ad medium Februarium Barrio, Tribuno, et propositis ab ipso ex Ormonii, licet apud Galliam absentis, officina induciis illis, annexisque suggestionibus suo tempore se prodituris, praefatas Momoniensium deliberationes Concilii Supremi authoritas executione frustavit. Nemo tamen neget in eo negotio Provinciam *lavisse inter innocentes manus suas*, et flagrantissimum in Ecclesiae,

patriaeque causa asserenda zelum demonstrasse; praesertim cum toto anno praeterito Insequinnius omnem pene Momoniae succum et substantiam ita exhauserit, ut Provinciae difficile esset novum exercitum, quo ille facile reprimeretur, legere et propriis impensis sustentare. Tantopere verum est Momoniam in his induciarum controversiis fuisse triumphaturam, nisi magnam factionis Ormonicae partem, qua Provincia non caruit, aliarum Provinciarum Ormonistae in Concilio Supremo, Concilio Magno, et Provincialibus Lageniae Comitiis, atque his omnibus accrescentes Insequinnii, Taaffi, Prestoni, et Clanricardii (sicut postea videbimus) quaterni exercitus secundassent.

(372) Audita autem induciarum mentione, Nuncius instabat apud Concilium ut exercitus jam dictus apud Momoniam conscriberetur, sed post tot moras et remoras, simulationes et dissimulations, tantum abest ut Concilium copias illas conscribendas curaverit, ut etiam post Barrii appulsum, et post incaeptam occulte induciarum tractationem, Insequinnius mense Martio et Aprili eorum Procerum ac nobilium, qui in Momonia causae Catholicae summa cum integritate se suaque dedicarent, territoria luctuosum in modum dissipuerit munitis sparsim suo milite castellis nunquam antea inter hoc bellum captis, idque Concilio Supremo adeo spectante, ut potius occultum ad Momonienses eo tormento quassandos, mandatum dedisse videretur, excepto quod Taaffus cum sui exercitus reliquiis in Comitatum Kiëriensem tunc post Insequinium se receperit, specie quidem ut Insequinno resisteret, re autem ipsa tantum abest ut cohibuerit, ut etiam ipse nobilissimos in ea plaga Cleri fautores pene hostilem in modum divexarit, perinde ac si utrinque condictum esset ut via illa ad inducias intrudendas ante sterneretur, quam in disceptationem venirent. Quod etiam tunc prudenter praeceperit Nuncius, qui 8° Aprilis ad Cardinalem Panziolum Italice et notis privatis scribens:

1299
v

Reg.
P. 595.

(373) "Concilium (inquit) duos Commissarios ad tractandum de novo cum Insequinno designavit, non enim possunt dissimulare desiderium, quo impelluntur ad pervenientum eo ut Ormonius redeat. Et sane eum in modum res geruntur, ut actiones hanc mentem manifestissime prodant; inter quas notatu dignum est Provinciam (Momoniam) duobus mensibus jam elapsis decrevisse Clonmelliae ut suis expensis exercitum ex septenis peditum millibus et mille nec non quingentis equitibus

conflarent, et misisse quinque Commissarios, qui a Concilio decreti confirmationem postularent. Concilium autem non solum responsum nunquam dedit, sed jam indixit Kilkenniam in 20^m Aprilis eorundem Momoniensium Comitia, quo eorum de novo opinionem audiat, eo tempore, quo hostis erit in expeditionibus, et quo omnes deliberationes mandandae essent executioni. Nec videtur id alio tendere quam ut illo tempore urgeat necessitas amplectendi inducias, et ad memoratum toties Ormonii redditum via muniatur." Haec ille necdum Waterfordia Kilkenniam regressus.

(374) Frustratis ergo sua spe et desiderio illis Momoniae Comitiis Provincialibus mense Februario Clonmelliae celebratis, ventum est per gradus jam dictos ad haec secunda ejusdem Provinciae Comitia a Concilio Kilkenniam in 20^m Aprilis indicta, quorum membra quam pauca et qualia fuerint jam ostendi, et res ipsa in medio posita loquitur tunc temporis Concilium Supremum et utrumque copiarum, tam hostilium, quam Catholicarum in Momonia Imperatorem, Taaffum scilicet et Insequinnium, ad inducias illas pangendas conspirasse, proindeque id facilime efficere potuisse ne quis ad haec secunda Momoniae Comitia deligeretur, nisi qui suam ipsorum mentem secundarent, et hoc quidem spectant acta sequentia:

"Propositiones a Supremo Concilio factae Illustrissimis Dominis, et Nobilibus Provinciae Momoniae nunc Kilkenniae congregatis.

(375) "Quia Dominationes vestrae et reliqui a nobis convocati sunt ut una consultaremus de rebus quae Provinciae Momoniae maximi sunt momenti, quaeque nullam dilationem ferunt, sed praesentem compositionem efflagitant, DD. VV. ac reliquos rogamus ac requirimus ut nullas alias res aut negotia prius tractent, quam sensa nostra super haec quae proponimus nobis aperiatis. Tum si quae occurrant media, quae ad tranquillitatem illius Provinciae utilia esse judicaveritis, nobis exhibere poteritis, modo ad diminutionem publicorum Provinciae tributorum non tendant. Ante omnia igitur opinionem vestram expetimus utrum considerato praesenti Provinciae illius rerum statu, magis necessarium ac convenientius illius Provinciae bono judicetis ut armorum inducias ad certum quoddam et pra-

Conc.
Diarium.

finitum tempus a nobis cum D. Barone de Insequin concludantur, nec ne?

Edmundus Limericensis. Athenry. Robuc. Lincius. Richardus Bellings. Gerald Fenel. Patr. Brian. Geoffy Barron."|

1300 "Provincialium Momoniae Comitiorum ad propositam sibi quaestionem responsum.

(376) "Cum inter Propositiones a Supremo Concilio ad nos factas haec esset, utrum scilicet judicemus necessarium esse, aut ad nostrae illius Provinciae utilitatem multum conducere, ut cessatio armorum a Supremo Concilio cum D. Barone de Insequin concludatur, an non? Nos rem illam serio considerantes, magnasque illius Provinciae distractiones atque calamitates pro rei merito mente revolentes, matura deliberatione praemissa, unanimem sensum nostrum hunc esse declaravimus ut cessatio armorum cum D. Barone de Insequin honorificis ac securis conditionibus, qualibus et ad quantum tempus Supremo Concilio expedire videbitur, concludatur 27 Aprilis anno 1648.*

Ikerin. Kilmaloc. Dunboyn. Daniel O'Brien. William Boorke. Rich. Butler. Thomas Butler. Edmund Fitz Harries. Tho. Rian. Georg. Comin. Ioannes Haly. Richard Strange. Petrus Sherlog. Ioannes Fitz-Gerald. Petrus Dobin. Ed. Brian. Patrick Creagh. Michael Whyte. William Yong. Maurit. Bagot. Ioannes Walsh. Bartholomeus Stakpoll. Ioannes Gould. William Creagh. Ioannes Grace. William Hore."

(377) Notandum est nec hos quidem Momonienses etiam inter tot libere suffragandi praejudicia positos aliud hic statuisse, quam ut induiae *honorificis et securis conditionibus concluderentur*; qua conditione consensum ad induias contrahendas praebitum limitasse videntur. Porro Concilii Diarium tradit etiam Concilium Magnum (quod quale fuerit, superius expositum est) pari passu consensisse ut induiae contraherentur. Caeterum habet Nuncius Provincialia Ultoniae Comitia hoc eodem tempore circa hanc ipsam controversiam Mariaburgi

*Alibi lego hoc actum 26 Aprilis fuisse scriptum. Porro ex epistola ab induiarum Commissariis ad Concilium 10 Maii scripta et inferius posita colligere est Insequinnum magnam in hoc Momoniae Conciliabulo spem posuisse.

sedisse, quorum etsi nullum actum ad meas manus pervenerit, notorium tamen est ab his induciis celebrandis abhorruisse. Quod Conaciam concernit, haud invenio Provinciam illam circa hanc contestationem Comitia convocasse.

(378) Interea duos Commissarios 22 Aprilis ad Insequinnium profectos eorum collega, Everardus, quem Propositiones ad Cleri censuram induciarum tractatui inserendas expectasse diximus, 24 ejusdem mensis secutus est, nulla hactenus Clero data satisfactione praeter nudas rationum suarum refutationes. Hinc Clerus eorundem Commissariorum Instructionibus diligenter examinatis 27 Aprilis quid agendum esset diffinivit. Illi Congregationi Nuncius praefuit. Interfuerunt autem Ardmanchanus, Regni Primas, et tres alii Iberniae Archiepiscopi, praeter decem diversarum Provinciarum suffraganeos, quorum sex erant Archiepiscopi Casseliensis, quod de re ad Momonię specialiter spectante controvertebatur. Aberant tantum duo ejusdem Provinciae Episcopi, Laonensis et Ardfertensis, quorum hic senio et corporis infirmitate praepediebatur. Reliquos aliarum Provinciarum suffraganeos congregare non licebat per praeципitem Concilii festinationem. In illa autem Congregatione qualiter processum sit, ipse Nuncius te docebit, qui postea Romae Innocentio Decimo loquens: "Primo (inquit) lecti et examinati fuere | induciarum articuli, qui tunc per manus ibant, secreti 1300
enim, de quibus inter partes agebatur, nemini communicati v
fuerant. In illis notatae fuere omnes iniquae conditiones, quas Relat. C.
Sanctitati Vestrae postea fusius scripsi et misi. Diffinitum 26.
autem fuit quod non agebatur de solis induciis, quibus peculiare est ut res in eodem, quo sunt, statu relinquant, sed de Catholicis debilitandis, et Barone fortificando, cui utique dabant dominium illimitatum. Fines ejus notabiliter augebant, et (quod intolera-
bile visum est) decimarum ecclesiasticarum exactiones ipsi in
praemium concedebant. Praeter quae, tunc aequum judicavi
praesentem Regni statum fuse repraesentare, quo cuncti perspicue
viderent Faederatos nulla premi induciarum necessitate; quo
casu licet aliae rationes cessarent, inducias cum haereticis inire
suapte natura est illicitum. Omnibus ergo persuasum fuit Jonii
exercitum Dubliniae in O Nello tota aestate observando con-
fectum tria militum millia non continere, et ad eundem repre-
mendum satis superque suffecturas Prestonii legiones. In
Conacia et Ultonia Scotos haud aliud praestare posse, quam
inutiles excursiones. Baronem in Momonia redactum fuisse ad
tria millia peditum sine stipendio et pene nudorum, proindeque

facile delendorum intra paucos dies a D. Eugenii copiis sena circiter militum millia continentibus, quibus (ut nullus superesset excusationi locus) offerebam me ex Sanctitatis Vestrae pecuniis stipendia soluturum, et meis humeris sine Faederatorum dispendio sustenturum totum Momoniae pondus. Exclamarunt ad hunc sermonem Episcopi, et collectis suffragiis in id omnes consenserunt ut inducias velut iniquas condemnarent. Ipseque Archiepiscopus Tuamensis, qui solus ab initio contradicere visus est, ubi Sanctae Sedis pecuniam promissam esse vidisset, arrepto calamo cum aliis subscrispsit, idque se hac sola ratione facturum declaravit." Haec Nuncius. Decretum autem tunc a Cleri Congregatione latum hic sequitur:

"Per Archiepiscopos et Episcopos Regni Iberniae congregatos coram Illustrissimo ac Reverendissimo D. D. Joanne Baptista Rinuccino, Archiepiscopo et Principe Firmano, ac in eodem Regno Nuncio Apostolico extraordinario.

(379) " Nos videntes ab Illustrissimis Dominis Supremi Concilii tractari de armorum cessatione cum D. Barone Insequin concludenda existimavimus officii nostri esse et curae, quam de religionis Catholicae incrementis et animarum nobis commissarum salute promovendis et conservandis habere debemus, ut illius cessationis momenta attente ponderaremus et studiose consideraremus. Discussis igitur enucleate rerum et temporum praesentium circumstantiis et rationibus ad id pertinentibus, invenimus praedictam cessationem omnino tendere ad ruinam Catholicae religionis, cultorumque ejus in hoc Regno. Ac propterea conscientia moti eandem cessationem periculosam sane et iniquam esse declaramus ac nulli tutum in conscientia illam amplecti.

1301 " In quorum omnium et singulorum fidem et robur declarationem hanc describi fecimus, et scriptae subscrispsimus. | Datum Kilkenniae die 27 Aprilis anni 1648.

Hugo Ardmachanus. Fr. Thomas Dubliniensis. Thomas Casseliensis. Joannes Tuamensis electus. Franciscus Aladensis. Fr. Patricius Waterfordiensis et Lismoriensis. Edmundus Limericensis. Emerus Clogherensis. Fr. Boetius Rossensis. Robertus Corcagiensis et Cluanensis. Fr. Antonius Cluanmacnosensis. Fr. Terentius Imelacensis. Andreas Finiborensis. Fr. Arthurus Dunensis et Conensis."

(380) Ex Praelatis, qui huic decreto subscriperant, Dubliniensis, Cassiliensis, Tuamensis Archiepiscopi, et Limericensis atque Aladensis Episcopi velut Supremi Consiliarii, alii Residentes, alii Residentibus substituti, alii saepius, alii rarius actis Supremi Concilii ad inducias maturandas tendentibus antea manum apposuerant; sed frequentius caeteris Tuamensis et Limericensis, de quibus Nuncius 3^o Maii ad Cardinalem Panziolum: "omnes (inquit) solum admirantur Tuamensem, nam quod ad alterum, nempe Limericensem, spectat, jam sesquian-nus est ex quo ad meum atque omnium stuporem factioni Ormoniae incredibiliter coaluit, et quotiescumque lex Anglicana venit in comparationem cum Romana, se valde parum exhibet gratum de beneficiis ab ista Sancta Sede receptis; cuius rei jam dedit paenas, cum alterius partis odium incurrit universale, et habeatur velut singularis, atque a reliquo Clero segregatus." Haec ille notis secretis. Verum Praelatis illis in mutanda tunc sententia astipulatur, quod non reperiam Nuncium ante diem illam obtulisse suppetias Pontificias tanta largitate in bello adversus Insequinnium gerendo collocandas. Quare tunc judicarint cessasse necessitatem ob quam ab initio crediderint oportere, nendum expedire ut inducias contraherentur.

Ep. 3. Maii
1648.

Reg. p. 602.

(381) Ubi Cleri decretum Concilio Supremo praesentatum fuisset, mox qui in alteram sententiam jam abierant, totam magno strepitu Kilkenniam oppleverunt, praesertim Ormonistae, qui ex Momonia et Lagenia illuc accesserant; qui cum duas illas Provincias ibi gerere viderentur, hinc factum ut Concilium Supremum, fidei suis actis astruendae causa, horum calculos non horum calculos, sed utriusque Provinciae sententias, imo utramque Provinciam magnifice nominarent, et ob hanc tunc Kilkenniae introductam loquendi consuetudinem non nulla acta ultro citroque scripta, aliaque ab ipso Nuncio calentibus illis controversiis Italice exarata Lageniam ibi et Momoniam Clero adversari prodant.

(382) Pauculis diebus antegressis copiarum Catholicarum in Momonia Imperator, Taaffus, Kilkenniam advenerat, cui haec controversia profuit. Nam sicut Clerus et Cleri fautores tam insignem Ormonistam exautorare, atque alium causae ecclesiasticae fauorem surrogare studebant, ita Concilium partesque ejus eundem nunc plusquam hactenus adorabant, quod animorum contentiones eo jam processissent incrementi, ut omnes prudenter timerent ne bellum intestinum succederet. Quid autem de Taaffo sperandum esset Clero cum illis ipsissimis die-

1301 bus Insequinnii copiae, Taaffo nihil occurrente, | post accepta in
 v fidem alia Momoniae castella obsiderent O Sullevani Bearrensis
 in Comitatu Corcagiensi, et in Desmonia Danielis MacCarthy, qui Cleri studiosissimi erant, loca munitissima, multis jam Insequinnianis occidione deletis, et perituri forsitan omnibus nisi Catholici Catholicos, Iberni Iberos haereticorum atque Anglorum tyrannidi mancipassent, sequens actum, quod ex Anglico transtuli, te docebit multa in Taaffum militantia:

*" Exceptio Procerum et Nobilium Provinciae Momoniae
 adversus Vicecomitem Taaffum."*

(383) "Idoneum et necessarium est ut D. Vicecomes Taaffus illarum copiarum Praefectus Generalis ad aliquam aliam Provinciam obeundam assumatur, et illius exercitus imperio abdicitur ob rationes sequentes:

(384) "1°. Eum esse talem, cuius nihili intersit in Provincia.

1. Muscrio,
 Ormonis-
 tarum
 coryphaeo. (385) "2°. Non fuisse in Provinciam accitum ullo ex Provinciis consentiente vel consciente, *uno solo excepto*.

(386) "3°. Valde esse ingratum et exosum Provinciae.

(387) "4°. Eum varias equitum peditumque legiones in Provinciam introduxisse, nec magistratu autoritatem, nec praebente consensem Provincia.

(388) "5°. Disciplinae militaris nec esse peritum nec experitum, proindeque nec praeficiendum exercitui in quo Provinciae Momoniae adeoque totius Regni nititur salus.

(389) "6°. Eum in iis, quae praestanda suscipit, nullatenus prosperari, et praesentem Provinciae miseriam descendisse vel ex infausto ejus omne, vel malo regimine, vel utroque.

(390) "7°. Eum (sicut creditur) procedere et se gerere juxta quasdam instructiones ipsi relictas et traditas a Barone Digbaeo, quem credimus non esse amicum hujus nationis.

(391) "8°. Ejus mandatum expirasse cum fuerit vel fuisse concessum ad ultimam belli expeditionem.

(392) "Ob quas omnes rationes, et crebras, quae quotidie ab omnibus Comitatibus de damnis ab ipso illatis deferuntur, querimonias, humiliter rogamus ut exautoretur, et donec Illustrissimae DD. vestrae alium Praefectum Generalem in ejus locum suffecerint, exercitus a generalibus officialibus nunc in eodem militantibus ducatur, et Commissarii ex Provincia ipsis assistant. Suplices postulamus ut ad Praefectum Generalem, qui Provinciae Momoniae praesit, ascendum Illustrissimae DD. vestrae optimatum spiritualium et temporalium, nec non pae-

cipiorum ex Provinciae Nobilibus suffragia prius colligant." Haec illi.

(393) Hunc libellum supplicem (mihi enim de tempore non constat) vel in ultimis Regni Comitiis Generalibus mense Decembri finitis porrectum, vel ab ipsius Momoniae Comitiis Provincialibus mense Februario absolutis, vel certe ab aliis longe pluribus Momoniae proceribus et nobilibus ad haec ejusdem 1302 Provinciae Comitia Kilkenniam mense Aprili non vocatis missum fuisse crediderim. Verum sicut Taaffus mense Augusto a suis Ormonistis, Muscrio praesertim astipulante, ad id munus assumptus erat, ita eorundem conjuratione hactenus in hoc officio perstitit, et posteriora illa Momoniae Comitia ad inducias stabiliendas in 20 Aprilis Kilkenniam convocata velut omni exceptione majorem in eodem munere continuandum decreverunt. Quibus Concilii Supremi id ipsum anhelantis confirmatio non defuit, usque adeo ut Taaffus 29 Aprilis biduo post damnatas Cleri decreto inducias jam in praefectura violenter confirmatus ad exercitum remigrarit, quo Concilii deliberationes si ad manus veniret, aperto marte secundaret. Deindeque Provincialia illa Momoniae Comitia se Clonmelliam receperunt, quidni Concilii praescripto ex industria, ne Praelatorum praesertim Momoniensem Kilkenniae commorantium consiliis et suasionibus a sententia dimoverentur.

(394) Concilium Supremum viso et perpenso illo decreto, quo Clerus 27 Aprilis inducias damnasset, miserunt qui a Clero discenter specialia capita, quae in induciarum formula conscientiae legibus adversarentur, quatenus remedium adhiberetur. Clerus autem (inquit Concilii Diarium) misit qui verbotenus Concilio subjectas propositiones exposuerunt.

"Objectiones Cleri post declarationem."

(395) "1^a. Quod ecclesiae in assignandis Baroni de Insequin limitibus non essent Catholicae professionis hominibus reservatae. Quod idem Baro sex *Ministros* ad repetendam possessionem ecclesiae Cathedralis Cluanensis nuper miserit, quodque post hanc cessationem earundem ecclesiarum possessio in futura pace perdenda sit.

Concilii
Diar.

(396) "2^a. Quod in limitibus assignandis Baroni de Insequin traditum sit dominium in praedia inter eosdem limites contenta, atque adeo Faederati Catholici eorum locorum incolae ad ejus arbitrium a suis haereditatibus expelli possent.

(397) "3^a. Quod *Glan Ruoghty*, Mac-Finini praedium, exceptum sit, cum latifundia Majoris O Sullivani, Danielis Mac-Carthy, aliorumque in Clerum magis propensorum ab assignandis ei limitibus non excipientur.

(398) "4^a. Quod Clerus non injuria suspicetur cessationem hanc rejectae pridem pacis denuo introducenda adminiculum esse, cuius suspicionis causam manifestat, et auget ipse suis sermonibus Baro, ut et propositum Marchionis Ormoniae in Iberniam trajiciendi, et continuatio Vicecomitis Taaffi in Momonia.

1. data 1^o
Aprilis
1648 ad
Joannem
Plunket-
tum,
ut supra.

(399) "5^a. Quia *epistola* Baronis de Insequin ejus a D. Nuncio et Ultonensi exercitu aversionem declarat, unde infertur hac in parte non nullos ex Faederatis cum eo concurrere, Provinciasque Lageniam et Momoniam ad injuriam Clero et illi exercitui inferendam cum eo conspirare, pluresque ex Faederatis Catholicis pro obtinendis militiae muneribus ad Baronem de Insequin jam recurrisse."

"*Responsa Concilii ad predictas Cleri Rationes.*

(400) "Ad primam. Possessionem omnium ecclesiarum, quas tum habebant Faederati Catholicci, cum hic tractatus inchoatus fuit, Clerus durante hac cessatione imperturbate | retinebit.

1302 v Ecclesiarum etiam conservationi in futura pace per associationis sacramentum adeo consultum est, ut hujus cessationis praecipitatio ne earum vel unica privari nos possimus.

(401) "Ad 2^{am}. Praediorum intra assignandas regiones contentorum dominium non est translatum in Baronem, nec id nobis consilium fuit, unde et in posterioribus mandatis mentem nostram ea de re clarius aperimus.

(402) "Ad 3^{am}. *Glan O Ruoghty*, Mac-Finini praedium, a limitibus assignandis exceptum est, quod immunes omnino velimus fornaces liquando ferro globisque majoribus usui nostro cudendis ibi inservientes. Quod vero ad ipsum nobilem illius praedii Dominum spectat, nemo nobis innotuit in toto Comitatu Kierriensi futurus Baroni ex hac conventione tributarius eo ipso in Clerum studiosior, aut in ejus obsequium propensior, quin et non nulli a vobis nominati minus bene in Clerum sunt propensi, quorum a nostra faederatione aversio satis vel ex eo liquet, quod ex pluribus regionis illius Baronatibus, duobus postremis annis, non tantus illatus sit in publicum aerarium proventus, quantus ex parte quarta Baronatus alibi infertur. Et vero quem nominatis, Daniel MacCarthy, constitutus in eis publicus quaestor

conversis prius in privatos usus denariis publicis imperiis etiam nostris contumaciter refragatur.

(403) "Ad 4^{am}. Suscipio haec procul dubio nullo nititur fundamento, cum et antiqua illa pax repudiata omnino sit, et universa natio jurejurando teneatur omnibus et singulis postremi associationis sacramenti apicibus insistere; quod et legatorum nuper a nobis peregre missorum mandatis additum. Et vero quid timendum ubi religionis causa ad Suam Sanctitatem remissa est? Caeterum de meditato in hoc Regnum Marchionis Ormoniae reditu, nobis nihil innotuit; ut nec quorsum continuatio Taaffi in Momonia suspicionem nutriat.

(404) "Ad 5^{am}. D. Baro de Insequin propterea D. Nuncium et Ultonensem exercitum minus observat, quod utrosque paci cuilibet et quieti adversari credit, qua de re monitum illum ab aliquibus haud impossibile. Lagenia vero et Momonia, Provinciae, seu desiderio adipiscendae cessationis seu necessitate instigatae suam contra Cleri declarationem testatae sunt aversionem, sed rebus inter nos compositis debitam Concilio obedientiam praestituras nequaquam dubitandum. Nos vero ne unum quidem Faederatorum novimus, qui pro muniis obtainendis ad D. de Insequin privatim recurrerit." Haec Concilium.

(405) Subdens autem ibidem Diarium Concilii: "His (inquit) ad rationes Cleri responsis, promissa deliberatione, addidit insuper Concilium, quod tam exercitus Lageniae et Momoniae Provinciarum, quam ipsi Duces (inferiores utique), agendarum rerum diebus, Generalis O Nelli imperio parerent. Cumque non nulla in D. Taaffum objectarentur, propositum fuit ut D. Archiepiscopus Tuamensis et Richardus Blakus Eques auratus migrarent e vestigio ad D. Marchionem Clanricardiae cum quibusdam mandatis, quibus D. Episcopus Clogherensis sibi tum satisfactum esse (qui et de D. Nuncio idem nobis asseveravit) significavit, hoc solum addito, sibi videri consensum Generalis O Nelli ad id negotii requirendum; unde factum ut jam digesta mandata et ad subscriptionem parata, ad Generalem O Nellum per ipsum D. Episcopum Clogherensem transmissa fuerint. Cujus adeo responso fuit, se D. Marchionem nisi juramento associationis conceptis verbis prius adactum ad praefecturam non admissurum. Neque nobis affirmatum fuit, quod vel sic admissurus fuisset." Haec Concilium. Verum uter Clanricardius an Taaffus Clero magis adversaretur dubium est? Unde Cleri votis quam parum satisfecit Concilium eam afferens legem ut Taaffus deponeretur et Clanricardius in ejus locum substi-

Concilii
Diarium.

tueretur. Haec sane rei ad justam mensuram reducendae desiderium non spirabant. Praeterea Clanricardius nunquam Faederis juramentum suscepit.

(406) Inter haec Insequinno non nisi conditionibus (quantum ad dilatandos fines spectat) iniquioribus conventuro, tres Commissarii ad inducias cum ipso absolvendas Dungarvaniam ante destinati, re infecta Kilkenniam redierunt, amplius cum Concilio deliberaturi. Quo tempore Clerus quid egerint sequens actum, quod ex ipso originali in medium produco, te docebit:

“ Nos, Archiepiscopi et Episcopi infrascripti praesentes visuris salutem in Domino sempiternam praecamur.

(407) “ Variis intenti et distracti negotiis tum gregum nobis commissarum tum propriis aliisque de causis non valentes continuo in uno loco consistere ac residere committendum duximus Illustrissimis ac Reverendissimis Dominis Nuncio Apostolico, Archiepiscopo Dublinensi, Clogherensi, Aladensi, et Limericensi Episcopis, et praesentium tenore committimus et delegamus nostram autoritatem omnimodam ad prosequendum et faciendum quicquid nos ageremus, aut agere possemus in publicis negotiis et occasionibus in ordine ad fidem Catholicam conservandam aut propagandam, et specialiter in declaratione nuperime facta contra cessationem cum D. Barone de Insequin prosequenda et firmanda (si opus erit) censuris ecclesiasticis. Et pariter decernimus, ut quidquid praefati DD. Nuncius Apostolicus, Archiepiscopus Dubliniensis, Episcopi Clogherensis, Aladensis, et Limericensis decreverint aut fecerint aequa nostra autoritate factum sit, et reputetur, ac si personaliter nos ipsi istud decerneremus aut faceremus, et nos ejusmodi eorum acta quaecumque rata habituri sumus et grata. Insuper delegamus Illustrissimo ac Reverendissimo Domino D. Joanni Baptista, Archiepiscopo Firmano et Nuncio Apostolico, autoritatem nostram adscendendi unum aut plures prout ipsi visum fuerit in casu absentiae alicujus praedictorum Dominorum delegatorum. In quorum fidem etc. Datum Kilkenniae 2^a die Maii 1648.

Hugo Ardmachanus. Thomas Casiliensis. Joannes Tuamensis electus. Franciscus Aladensis. Walterus Clonfertensis Episcopus. Fr. Terentius Imolacensis. Fr. Boetius Rossensis. Fr. Antonius Clunmacnosensis. Fr. Oliv: Dromorensis. Fr. Arthurus Dunensis et Conerensis. Robertus Corcagiensis et Cluanensis.”

(408) Archiepiscopus Dubliniensis, nec non quatuor Episcopi, nempe Waterfordiensis, Limericensis, Clogherensis, et Finiboren-sis, qui omnes decreto Cleri 27 Aprilis lato subscripserant, huic alteri 2º Maii dato (nescio quorsum) manus non opposuisse video, et ex altera parte duo Episcopi, nempe Clonfertensis et Dromor-¹³⁰³
ensis, qui primum illud decretum suis calculis non confirmarunt, ^v hoc secundum roborarunt. Quod ad Clogherensem pertinet, hac secunda vice abfuisse non dubito. Caeteroqui omnino cer-tum est tam inducias illas horruisse, quam qui maxime. Clon-fertensem etiam et Dromorensim recens appulisse vix dubita-verim, qui primum Cleri decretum hoc 2º satis superque ratum habuerunt. Lego equidem in Concilii Diario Momoniae Comitia ideo ex parte Clonmelliam se recepisse, quod sex tantum ex praesenti tunc Praelatorum numero armorum cessationi suffragari viderentur. Qui autem fuerint illi sex non subjungit. Haud negaverim dies fuisse malos, homines undique tentasse et esse tentatos, et non nullos sententiarum ac studiorum varietate miser-andum in modum ita fluctuasse, ut nunc uni nunc alteri partium adhaerenter, et unum intus sentirent, aliud foris simularent. Quo fit ut credam non nullos Praelatorum si non aliter certe clanculum Concilio Supremo tunc militasse, cum non nullis Religiosis, qui postea ex angulis in arenam aperte prodierunt. Quae infausta Cleri discordia et opinionum dissonantia populum adeo in partes discidit, ut pro certo habeam alias inter laicos dissensionem vel omnino nullam, vel certe Regno atque Ecclesiae minime exitialem fuisse secuturam. Porro inter haec Taaffus Provincialibus Momoniae Comitiis statuentibus continuandi tractatus principalis causa 14 dierum inducias cum Insequinnio contraxit, et Concilium Supremum cum eodem Insequinnio tractandi tempus protraxit. Quo spectat eorundem Comitiorum Provincialium nomine scripta ad Concilium Supremum epistola, quam hic legas:

“Illustrissimi Domini.

(409) “Commissarii pro cessatione transigenda huc venerunt, ^{Conc. Diar.} nec tamen cessatio conclusa est. Impedimenta aliqua sunt, quae dicuntur esse valde parvi momenti. Tota controversia est de Baronii ut vocant *Glannahire* et *Galtire* in Comitatu Waterfordiae, quae modicam terrae portionem continet, scilicet, ⁵⁸ terrae aratra. Quare rogamus ut in cessatione pergant absque mora. Nostra enim Comitia otiantur donec huic controversiae finis imponatur, et si aliqua fuerit hac in re mora, alia nobis ineunda est via ex tempore ut consulamus incolumitati nostrae.

Conventi-culi
Ormonis-tarum
Momoni-ensium
sententia.

Cum igitur necesse sit ut absolvatur sine ulteriore cunctatione (si hujus Provinciae salus digna aestimatur cura vestra) ne mora confaederationis nostrae creet divisionem, quam vitare conamur quantum possumus, iterum ut acceleretur rogamus. Si sit alia divisionis causa, rogamus ut mature nobis significetur si existimatis praesentem rerum nostrarum statum non posse moram pati. Et hoc ut significem Illustrissimis DD. vestris ab Assemblea mandatum est mihi, qui sum

Clonmelliae,
8 Maii an. 1648.

DD. VV. Illustrissimarum
Observantissimus

Iacobus Butler."

1304

(410) Itaque quaestio nunc erat de induciis cum Insequinno maturandis, etiam concessis ipsi amplioribus tractibus quam Concilium ante statuerat. Et hoc nodum duplicavit. Habet autem Concilii Diarium Concilium tunc magno perculsum fuisse metu ne Momonienses, nisi armorum cessatio maturaretur, rebus suis aliunde consulerent, et singuli privatis pactionibus in Faederatorum totius Regni perniciem cum Insequinno convenirent.

(411) Verum Nuncius, qui hac ipsa die per duos rerum consios Concilii arcana (sicut mox videbimus) explorata habuit, de die pridiana 7^a Maii, eaque Dominica, in suo illius hebdomadae Diario loquens, et de occurrendo huic Concilii praetextui minime gentium cogitans: "Illo (inquit) mane Concilium Supremum ultimam inierit deliberationem concludendi inducias cum Barone Insequinniae, et mane diei Lunae ad id exequendum Commisarios destinavit." Haec ille. Itaque praefata Comitiorum Momoniae epistola postridie quam res Kilkenniae conclusa esset, Clonmelliae scripta fuit, proindeque ille, qui Concilii Diarium in ordinem digessit, illam ejusdem Concilii deliberationibus larvam praetendit. "Eodem die Lunae (inquit ibidem Nuncius) hic Clerus in novo cum Concilii deputatis circa praedictum inducarum negotium congressu celebrando processit." De quo Concilii Diarium audi:

Armiger. (412) "Paulo post (inquit) tres hujus ordinis Comites, Lucas Dillon et Robuccus Lincaeus Equites aurati, et Patritius Brian Eques Dominos Episcopos Clogherensem, Imolacensem, Rossensem et Corcagiensem pro dirimendis controversiis convenirent, ubi cum aliquam aperiri reconciliationis viam postulareret D. Episcopus Imolicensis conciliandis partibus satis consultum indixit si Generalis O Neill et ejus exercitus assignandis hostis

exercitui tributis alendus in Momoniam contra Baronem destinatur. Cui sententiae cum objectum esset consequens inde fore ut Faederati Catholici in Lagenia unitis hostium viribus nudi exponantur. Ad quod D. Episcopus: Faciendam cum Jone cessationem. Verum ad hoc statim responsum est incertum esse an id consilium probaturus esset Clerus, ut et an Jones cessationem nobiscum vellet. Neque vero jam amplius tempestive consuli de revocandis mandatis concludendae cum Barone cessationis dudum traditis, idque solum spe concludendarum novarum et hactenus intactarum cum ipso Jone induciarum, quod negotium pluribus forte obnoxium difficultatibus experientia deprehenderetur, sed si quae demonstretur via, qua manifeste appareat posse nos offensivum bellum in una Provincia, ac in caeteris defensivum suscipere ac promovere Concilium cessationem qua de agitur declinaturum. Caeteroqui Proceres nelle capita sua aperto discrimini exponere quo revera in Generalibus Comitiis subeundum ipsis esset, si tot commoda hujus cessationis beneficio in universum Regnum derivanda neglecta praeterirent; cum similis via tandem ab Episcopis monstrari non posset, rogati sunt ut aliquam saltem proponerent, qua securitati D. Nuncii provideretur, et ab eo, quem praetendit timore, si forte conclusa foret cessatio, eximeretur. Cumque plurima securitatis pignora a Concilii legatis proposita essent, eorum nullum placuit." Haec Concilii Diarium.

Hypocrisis
et dolus.

(413) Hoc ipso die 8 Maii in quem hic congressus incidit, Nuncio (sicut jam tetigi) per vias secretas innotuit Concilium die pridiana in eam ivisse sententiam ut induciae etiam plus quam antea dilatatis Insequinnii finibus contraherentur, et mane ejusdem diei octavi Commissarios ad Insequinium allegasse. Quo ipse spectat de Concilio loquens: "Operam (inquit) dederunt, ut tria concluderent. Primum fuit ut subito instrumentis cum Insequinno convenirent. 2^m ut se temperamenta, quibus utrius partium satisficeret, cum Clero procurare velle simularent; et 3^m ut omni celeritate Prestoni exercitum, quo cum Insequinnii copiis conjunctus in D. Eugenium moveret, cogerent. Sed harum deliberationum prima et tertia occubabantur, et secunda tantum apparebat. Nihilominus cum mihi mediis in machinationibus relatum esset jam clanculum missos fuisse ad Baronem Commissarios, et omnem reconciliandi modum esse simulatione propositum, decrevi ante omnia percontari de negotio Episcopum Limericensem, unum ex Consiliariis, et, ne regiminis parte excluderetur, semper conscientum atque adhaeren-

1304
v

Relat.
Cap. 27

tem illorum cogitationibus, qui mea astrictus autoritate subito totum mihi confessus est." Haec Nuncius. Qui postridie 9 Maii (sicut inferius dicetur) summo mane clam Concilio se Kilkennia proripuit. Et licet tradat Concilium clam se die 7° statuisse inducias contrahere et die 8° Commissarios clanculum destinasse, non tamen nisi eodem die 9, quo ipse discessit, ultimam Instructionibus eo spectantibus manum additam fuisse constat. Quare Commissariis pridie ad tractatum praeparandum profectis non, saltem nisi ex parte, traditas, sed postea missas esse conjecto, causaque dilationis fuerit, quod Concilium colloquio illa die 8^a cum Praelatis inito res componendas et instructiones conformiter reformandas forte sperarit. Instructiones illas ex Concilii Diario suppedito:

"Ulteriores Instructiones Dominis Richardo Everardo Equiti Baronetto, Patricio Goagh et Joanni Walsh, Commissariis designatis pro tractatione cessationis ad D. Baronem de Insequin datae Kilkenniae 9° Maii, 1648.

(414) " 1^a. Quod nulla pars exercitus unius partis intrabit in regiones alterius sine licentia illorum, qui praecipuum in illa regione, in quam illa exercitus pars intrabit, autoritatem habent.

(415) " 2^a. Quod omnes naves et naviculae ad nostram partem pertinentes, et intrantes in quoscumque portus vel sinus maritimos in partibus Domini de Insequin erunt securae, dum in illis remanserint; et si facturus sit capitulationem cum aliquibus e capitaneis, naucleris, vel nautis quarumcumque navium Parliamentiarum, quod conservabit et securabit naves et naviculas pertinentes ad quemcumque e nostra parte durante tali capitulatione per obsides, vel fidejussores capiendos ab illis cum quibus talem facturus sit capitulationem. Hoc sit reciprocum.

(416) " 3^a. Concordabitis, quod omnes ecclesiae, quae erant in possessionem nostri Cleri in Comitatu Corcagiensi sub initium hujus tractatus, maneant in eorum possessione durante hac cessatione, solvendo inde talem contributionem vel compositionem parti adversae (si talis compositio vel contributio solebat solvi) quem hactenus solverunt. Super hoc insistendum.

1305 (417) " 4^a. Quod et incolae tractuum assignandorum Domino de Insequin disponant de praediis ab hostibus captis et aliis

vectigalibus publicis in illis tractibus ad contributionem per ipsos solvendam Domino de Insequin, et quod illi tractus Domino de Insequin assignandi non solvant plusquam isti tractus (considerata utriusque proportione) quos habuit Dominus de Insequin intra limites Comitatus Corcagiensis expressa in ultima cessatione habita cum Marchione Ormoniae.

(418) " 5^a. Quod praesidium de Kilbolan cum praesidiis ad illud pertinentibus exemptum erit a solutione tributorum.

(419) " 6^a. Quod Dominus de Insequin non exercebit jus vel autoritatem aliquam super incolis degentibus extra lineam predictam exigendo tantum contributionem solvendam a dictis incolis.

(420) " 7^a. Quod quicumque e nostris regionibus aufugerint ad regiones Domini de Insequin, secundum jus tam in civilibus causis quam in criminalibus, ibi expetantur et inde remittantur. Hoc sit reciprocum.

(421) " 8^a. Quod Commissarii (potius quam tractatus abrumpatur) assignabunt Domino de Insequin et illius exercitiu Comitatus Corcagiensem, Kerriensem et Waterfordensem, exceptis villa et oppido et portu de Traly, villa et oppido et portu de Dinglia, Castello et arce de Kilbolan cum praediis ad illud Castellum pertinentibus, civitate Waterfordiae et ejusdem civitatis Comitatu; sex terrae aratis Baroniae de Glanhire, Baronia de Galtire in Comitatu Waterfordiens, et molendinis ferreis in Comitatu Kerriensi. Super hoc insistendum est.

" Subscripterunt:

" Montgaret. Athunry. Dunboyne. Lucas Dillon Eques auratus. Daniel O Brien Eques auratus. Alexander MacDonel.. Phelim O Neille Eques auratus. Robuccus Lincaeus Eques auratus. Richardus Bellings. Gerald Fennel. Robertus Talbot Eques auratus. Joannes de Burgo. Thomas Nugentius Eques auratus. Patricius Brian, Robertus Devereux Equites."

(422) " Si potestis concordare cum Domino de Insequin, volumus ut ubi per instructiones nostras vobis mandavimus, quatenus assentiatis huic illius propositioni, videlicet (*quod opponet et supprimet omnes cessationi non consentientes*) quod hoc non sit generale, sed quod nos opponemus omnes personas cessationem armis et hostilitate opposentes.

" Kilkenniae, 9 Maii anno 1648.

(423) " Postscript. Ratio quare volumus hoc fiat est ne Clerus, qui contra cessationem declaraverit, hoc contra se designatum causetur.

Montgaret, etc."

(424) Hae ipsae instructiones Latine tunc redditae, et ejus, qui Concilii acta Latina scribere soleret, manu exaratae, eodem sensu sed cum leviuscula verborum discrepantia mihi in Nuncii Archivis occurrunt, cum hoc discrimine, quod in illius subscriptionibus, quae instrumenti appendicem immediate sequuntur, non Montgarettus est (sicut in Concilii Diario habetur), sed soli septem ex Concilio Supremo, nempe Edmundus Limericensis, Athunrius, Robuccus Lincaeus, Richardus Bellingus, Geraldus Fenellus, Patr. Brian, et Robertus Devereux manus apponant. Quorum solus Limericensis inter anteriores subscriptiones appendicem praecedentes juxta neutrum ectyporum reperitur. Unde crediderim die 7^a Maii, qua a Concilio deliberatum erat, vel 8^a, qua Commissarii missi sunt, scriptum et subscriptum fuisse quicquid appendicem praecedit (cum Nuncius testetur illos missos fuisse jam munitos facultatibus et subscriptionibus necessariis), die autem 9 adjectam esse appendicem, nec nisi ea lege Limericensem subscribere voluisse. Et licet Rob. Lincaeus postea dixerit se, nisi ea appendice in Cleri gratiam adjecta non fuisse subscripturum, contrarium tamen constare videtur, cum ejus nomen inter subscriptiones appendicem praecedentes reperiatur cum sex aliis Consiliariis Supremis Residentibus, nempe suis duobus Conaciensibus, tribus Lageniensibus et uno Momoniensi, qui septenarius numerus cum sufficeret, non dubitandum videtur quin quicquid appendicem praecedit, in legitimum Concilii actum die priore in hoc secundo instrumento, cui appendicem adjectam vides, omissa, transierit, eaque mente ab initio septem Consiliarii Residentes subscripterint, quinque reliquis, nempe tribus Ultoniensibus et duobus Momoniensibus, plerunque non subscriptentibus. Quem autem hic nobilitatis Momoniensis imo totius Provinciae non misereat, cuius potissimum causa tunc agebatur, et tamen ita ad Ormonistarum genium tractabatur, ut unicus ille Momoniensis haud esset alias quam Fenellus, Doctor medicus, in Supremum Consiliarium a factione Ormonica cooptatus, quia Ormonio supra mortales pene omnes addictissimus. Caeterum reliqui omnes cum praefatis septem ante appendicem subscriptentes super-

1305

v.

fluunt, quia non Consiliarii Residentes, proindeque sine quibus actum velut legitimum intrudendum esset. Quare in speciem et pompam adjecti videntur, ne inter septem illos Consiliarios Residentes, qui aliis intexti subscriperant, in causa ad Momoniam tantopere spectante Momoniensium omnium praeter illum medicum appareret nemo, nec aliam ob causam appendix postea adjecta videtur, quam ut Nuncius placaretur, et Limericensis, alter Consiliarius Momoniensis, hanc nuditatem magis velaret, et ex ipsis Praelatis non deesset, qui apud populum induciis velut aequis suo calculo patrocinaretur. Nam ceteroqui septem Consiliarii Residentes ante appendicem subscriptentes, post appendicem pari jure atque ante suffecissent. Ex quibus tamen sunt sex, qui ante et post subscribunt, ante vero septimum agit Lucas Dillonus et post Limericensis, qui interrogatus quosrum actis Concilii ab initio ad inducias maturandas tendentibus deindeque Cleri decreto 27 Aprilis de induciarum iniquitate lato et nunc 9 Maii instructionibus ad inducias accelerandas datis subscriptis, responderit forsan se in his omnibus semper fuisse sibi constantem, et mutata rerum substantia ac circumstantiis, mutandas esse deliberationes. Et hic quidem spinosissimae istius controversiae cardo est inferius ad trutinam revocandus. Porro Concilii Diarium habet in amplificandos hac vice Insequinnio tractus, ex septem supra viginti suffragantibus tres supra viginti consensisse, unum repugnasse, et tres cessationem nulla lege concludendam sensisse. Verum juxta norman regiminis ultimis Comitiis Generalibus institutam non nisi duodecim Concilii Supremi membrorum et quatuor Praefectorum Generalium erant in hujusmodi rebus suffragari, quorum non nisi vix major pars consensit. Caeteri ergo ita citra suffragandi autoritatem consenserunt, ut totum Regnum millenis aliis non consensuris scateret. Porro ex Praefectis Generalibus nec Eugenius O Nellus, nec Richardus O Ferallus, | hic Conaciensium, 1306 ille Ultoniensium copiarum Imperator, uterque Cleri fautor, aderat, cum tamen duo alii Praefecti Generales, Taaffus et Prestonus, ille in Momonia, hic in Lagenia copiarum Imperator, praesto essent, non consilio modo, sed etiam armis in Clerum fautoresque militaturi. Caeterum quid Commissarii secundum praefatas instructiones cum Insequinnio tractarint, suo loco non silebimus.

(425) Nuncius ubi 8° Maii modo superius indicato omnia Concilii circa inducias absolvendas arcana rescivisset, postridie

summo mane duobus tantum comitantibus per hortum domi
suae annexum ad urbis muros ascendit, et exinde progressus
quadam urbis janua minus frequentata se proripuit, lectica antea
extra Kilkenniam praeparata, eodemque die inter viam
Prestono hanc epistolam scripsit:

(426) "Hodie mane ego discessi Kilkennia, videns me ibi
non posse cum honore consistere dum post inclusam declara-
tionem factam a Clero contra cessationem Momoniae DD.
Consiliarii incaeperant tractare mecum de aliqua concordia, et
nihilominus me penitus ignaro miserant ad concludendum cum
D. Barone. Protestatus sum de iis omnibus, ac de meo
discessu, et nunc versus Conaciam proficiscor. Audio quod
iidem DD. cogitant etiam ut dicitur haereticis se jungere ut
contradicentes huic cessationi possint opprimere, ut non obscure
insinuat quaedam epistola ipsius Baronis contra me et D.
Eugenium atque adhaerentes scripta. Praecor Deum ut
Dominatio Vestra Illustrissima, quemadmodum semper professa
est re et scripto, non sit inter eos qui Ecclesiam oppugnant, et
haeresi favent, et quia nihil poterit esse gratius Sanctitati Suae,
ideo illam de hoc enixe rogo, ne addatur mihi haec maestitia
inter omnes maxima. Et illi manus deosculor. Ballenekilly
9 Maii 1648."

(427) Prestonus ad hanc epistolam respondit his verbis:
"Illustrissime ac Reverendissime Domine.

"Literas Illustrissimae D. Vestrae recepi sed animorum
dissensionem et discordiam cum animi dolore legi nimirum
praecipue compassus miseriae miserabilis Iberniae, cui majora
inde vereor, et video imminere pericula, si inquam (quod tamen
Deus avertat) fato caeli et numinis ira calamitatibus, quae
praecesserunt, si multitudini et potentiae inimicorum fidei et
patriae tandem hoc addatur, ut sic in partes unio Confaederatorum
discerpatur, imperantibus unum qui autoritate publica
Regno praesunt, et volentibus aliud, ac repugnantibus, qui
juramenti sacramento tenentur sancte parere. At quis decreto
superum resistet? Ergo sicut voluntas est in Caelo sic fiat.
Spero nihilominus adhuc Illustrissimos DD. Concilii facturos
pro parte sua ut animorum redintegretur perfecta consensio.
Quid vero statuerint iidem Domini Consiliarii de opprimendis
iis qui cessationi contradicent, sive non vocandis, nescio. Quod
precetur Dominatio vestra ut non sim ego ex eorum numero,
qui Ecclesiam oppugnant, aut haeresi faveant, si affectus
v et orationis ad Deum fusae verba sunt, amplectar, et gratiam

habeo; si diffidentiae, vel dubitationis, nunquam adeo male merui. Itaque non est quod Dominatio Vestra Illustrissima sibi metuat hac ratione maestitiam, sed firmissime persuasum habeat nihil mihi decernendum (ut coram caelesti Curia promitto) nisi quod ad Ecclesiae Christi exaltationem, haereseos extirpationem, atque juramenti communis observantiam judicavero magis expedire. Plura vel magis particularia nequeo, aut (potius dicam) nescio scribere, cum D. Vestra voluerit omnino latere me consilia sua, quae ut in bonum Regni et gloriam Dei cedant ex animo precatur manus vestras sanctas flexo genu osculatus,

Ex Arce Catherlagh,

10 Maii 1648.

Illustrissimae ac Reverendissimae D.V.
Obsequentissimus servus.

Thomas Preston."

(428) Nuncius hoc ipso decimo Maii Mariaburgum appulit, ubi ab Eugenio O Nello honorificentissime et amicissime exceptus est, indidemque ad Kilkenniae Praetorem postridie dedit has literas:

" Perillistris ac generose Domine.

(429) " Debeo certiorare D. Vestrae discessum meum istinc satis improvisum non ideo accidisse, quod mea erga cives voluntas et propensio immutata vel diminuta sit, sed tantum quod viderem me ac Summum Pontificem, cuius personam represesto, pro nihilo istic haberi a DD. Consiliariis, qui in causa cessationis Momoniensis dum ego proponentibus ipsis intentissimus eram conciliationi inter ipsos et Clerum adinveniendae, nihilominus clanculum ad eam concludendam miserunt Commissarios. Satius est enim abesse, quam videre ista peragi inter Catholicos, maxime in re, quae conscientiam respicit, in qua praecipuae partes sunt Praelatorum, qui a Deo ad hoc instituti sunt, ut animas dirigant in viam salutis aeternae. Volui hoc significare Dominationi Vestrae, ut si quam umbram conceperit civitas eam dispellat, nec sinat abripi a quocumque vento in re quae bonum commune tangit, ac securitatem non tam animarum quam Regni, quae juxta editum huc usque juramentum annexa ac inseparabilia sunt. Et D. Vestrae felicitatem precor. Mariaburgo 11 Maii 1648."

(430) Ante vero quam Kilkennia discessit literas eodem discessus sui die ibidem ad Concilium Supremum domo sua Kilkennensi scriptas reliquerat D. Massario Decano Firmano,

quas etsi priore loco collocandas, aliis tamen duabus postposui, narrationis filum sic imposterum melius secuturus. Illae ergo eodem die ad vesperum declinante a Massario traditae sunt Concilio et hic sequuntur:

“ Illustrissimi ac Reverendissimi Domini.

(431) “ Non venissem Kilkenniam nisi a DD. VV. Illustrissimi mis fuisse perhumaniter ac saepius vocatus cum sponсione se nihil in causa cessationis cum D. Insequin, me inconsulto, peracturos. Cum vero iterato experimento viderim Dominos Commissarios vestros ex Dungarvan rediisse, ac rursus eodem reversos pro totali et ultimata conclusione induciarum, me paenitus ignaro, et in tractatu conciliationis facienda inter Dominationes vestras Illustrissimas et Clerum intento; censui mihi discedendum hinc, ubi video operam et praesentiam meam supervacaneas haberi. Caeterum ne rei veritas ulli occultetur, cogor apud Dominationes vestras Illustrissimas coram Deo et hominibus protestari me in his temporis ac rerum circumstantiis nec approbasse dictam cessationem, nec potuisse salva conscientia approbare. Quod autem superest, orabo Deum ut earum decreta fortunet, quae si faelicem pro religione exitum habuerint, prout DD. VV. Illustrissimae augurantur, nemo erit qui me magis gavisurus sit; sin minus testes mihi erunt, quod saepe et ex intimo cordis affectu praedixerim et illis manus deoscular. Domi 9 Maii 1648.

DD. VV. Illustrissimarum ac Reverendissimarum.”

(432) Nuncii discessus Concilium haud mediocriter anxit. Respondit autem die perendina verbis, ex quibus colligo epistola inclusas fuisse instructiones induciarum nono Maii absolutas, et superius positas, quarum ectypum Latinum propria ejus, qui Concilii secretarius esset, manu scriptum; quod tunc missum fuisse conjecto, hodieque in Nuncii Scriniis asservatur. Concilii responsum hic ex ipso autographo sequitur.

“ Illustrissime ac Reverendissime Domine.

(433) “ Inopinato Illustrissimae D. Vestrae discessu, nobis ignaris et insalutatis, magnopere affligimur, hoc praesertim tempore, in quo de expeditione aliqua generali contra hostes ineunda tractari debuerat, eoque magis perturbamur, quod illius causa nobis imputatur, qui in toto illo induciarum tractatu nihil inconsulta Illustrissima Dominatione vestra peregrimus, quam tot et toties repetitis rationibus in nostram sententiam attrahere conati sumus. Nihil novum Illustrissimae D. Vestrae per Commissarios nostros ad D. de Insequin

redeentes missum est praeter quarterii limites, quos aliquantulum dilatavimus, conditionibus etiam aliis in bonum Catholicae religionis superadditis, prout per inclusas patet. Caeterum, ne nobis etiam imputentur, quae ventura praevideamus causae nostrae mala, precamur Illustrissimam D. vestram ut de suo ad nos reditu cogitare velit, quo praesente melius et facilius res peragi possit.

(434) " Novit Illustrissima Dominatio Vestra si unitis viribus Dublinium capere statuissemus, nos destinasse illa nuper missa subsidia in stipendia Ultonensi exercitui. Sed cum multa impediant quominus tres illi exercitus uniantur, proponit Assemblea generalis Lageniae, quod si Illustrissima D.V. velit decem mille libras Anglicanas, et arma quae missa sunt, illis mutuo dare, quod ante festa Natalitiorum et suis et Momoniae viribus et expensis capient Dublinium, sin autem cautione data, reddent integrum. Si hoc non placet proponimus pecuniarum partem Ultonensi dari exercitui, qua possit aliquid contra hostem in Ultonia moliri, et aliquam pecuniarum partem nobis disponendam vel mutuo, vel quocumque velit modo relinquere. Si neutrum ex his placet proponat Illustrissima Dominatio Vestra aliquem ineundi belli modum pro hoc anno. Nos enim ut saepius ante sic jam protestamur in nostra potestate non esse, exercitum in campum opportuno tempore educere, cum e patria plurimum devastata pecuniae non nisi magnis difficultatibus colligi possint. Caeterum precamur Illustrissimam D. vestram D. Patricio Birne et D. Galfrido Barron haec et alia nostro nomine dicturis ut fidem adhibere velit, et manus deosculamur.

Kilkenniae,
11 Maii 1648.

Illustrissimae D. Vestrae
Addictissimi servi,

Edmundus Limericensis. Athunry. Lucas Dillon. Robuc.
Linch. Richardus Bellings. Robert Devereux. Gerald
Fenell."

(435) Haec epistola ad Nuncium missa est cum duobus ex Concilio Supremo, nempe DD. Patritio Brian, qui in autographo Patricius *Birne* nominatur, et Galfrido Barron. In Concilii autem Diario duae illae lineae, quibus ad epistolae calcem rogatur Nuncius ut iisdem fidem habeat, omittuntur, et licet ex eodem Diario liqueat Clogherensem una cum aliis duabus ad Nuncium perrexisse, epistola tamen nullam Clogherensis mentionem facit, sed aliis duobus fides habeatur, rogat. Caeterum propositiones, quas (praeter epistolam

inclusumque epistola instructionum ectypum) cum legatis missas innui, hic pariter ex autographo subjicio propriis ipsarum verbis non nihil barbaris:

(436) "Cum Supremum Concilium Confaederatorum Catholicorum Iberniae consideratis propriis viribus et omnibus rerum circumstantiis ineundam duxerunt cessationem et inducias cum D. Barone de Insequin per sex menses, unde non pauca expectabant religione Catholicae et patriae eventura commoda, et jam usque adeo processum est ut vix possint regredi, cumque sua Illustrissima D. sibi ipsi, Clero, et iis adhaerentibus ab induciis istis summopere timere videretur, rogamus ut sua Illustrissima D. velit significare siquae videbitur via media ineunda, qua possit consultum iri suae securitati, bono religionis Catholicae, et honori Concilii, quaque possit impediri divisio et in partes discessio Confaederatorum Catholicorum (quae aliter probabiliter secutura est), quo majus periculum ruinae et interitus et genti Ibernorum et religioni Catholicae imminere nullum potest.

(437) "Cum eo potissimum animo Supremum Concilium sanciendas duxerunt illas inducias, ut divisis hostibus, quorum omnium copiis Confaederati Catholici prorsus impares sunt, tutius conjunctis viribus nostris aggredi possimus quem ex hostibus magis idoneum videbitur, enixe rogamus ut non, orta divisione inter nos, isto fine privari possimus, cum jam luculenta sint *argumenta* (facta cessatione cum Insequin) facilis negotio hac aestate posse capi Dublinium, Pontanam, et alia loca non infimae sortis. Et siquid D. Baro de Insequin durante cessatione moliri videbitur in detrimentum Confaederatorum Catholicorum, ineunte hieme si non prius ipsum satis apte supprimi posse, exercitumque nostrum in ejus ditiones et quarteria ad hyemandum perduci. Nisi ineatur via media ad reconciliandas hasce difficultates ut jam se habent res periculum est ne infecta cessatione deficiat populus a Concilio, eo nomine quod nos declinare dicent quae videbantur a nobis tuto praestari posse (sine detimento religionis ut ipsi existimant) ad promovendas res Regis jam in summas angustias detrusi.

(438) "Est etiam periculum ne facta cessatione deficiat pars altera populi a Concilio eo nomine quod Illustrissimae Dominationi vestrae et Praelatis parum videbitur satisfactum. Illustrissima Dominatio vestra Nuncius Apostolicus Sanctissimi Patris nostri ad Confaederatos Catholicos missus ut eos unitos ad vindicandam religionem Catholicae conservet, rem se ipso et legatione sua

dignam praestabit, si jam difficili loco existentibus rebus nostris viam monstret, qua possimus salvis suae Illustrissimae D. honore et persona, et etiam illaesa Concilii dignitate, Clero et populo satisfacere, si media antehac a Concilio proposita minus faciant satis." Hactenus Concilii propositiones.

(439) Nuncius tradit se Kilkennia discessisse ut Galviam proficiseret, sed postridie quam Mariamburgum appulerat, cum esset in procinctu ad progrediendum, supervenisse praefatos Concilii legatos, quorum instantiae et propositiones a Concilio missae id effecerint, ut legationibus aurem praebitus, et res suaviter compositurus in itinere progredi distulerit. Kilkennia etiam Mariamburgum secuti sunt Nuncium, praeter praefatum Episcopum Clogherensem a Concilio missum, alii quoque Antistites, nempe Imolacensis, Rossensis, et Clonmacnosensis, cum quibus et cum Eugenio O Nello Nuncius super Concilii literis, propositionibus, et legationibus mature deliberavit. In hoc congressu quid una omnes ad partes reconciliandas conducere judicarent diffinierunt, et Nuncius propositiones per jam dictos duos Consiliarios Supremos, Patritium Brianum et Galfridum Barronum, misit ad Concilium inclusas hac responsione:

"Illustrissimi ac Reverendissimi Domini.

(440) "Spero me satis probaturum Sanctissimo Domino nostro rationem improvisi mei discessus a Kilkennia. Ipse enim ut proprius judex in causis legatorum suorum optime perspiciet quomodo ego habitus sim in hoc negotio cessationis, et quam male sollicitudo mea erga bonum DD. VV. Illustrissimarum accepta, proinde melius duxi me in aliam Provinciam conferre, paratus nihilominus et istuc redire ac manere, quotiescumque intellexero operam meam praestare aliquid posse Regno, vitaeque meae ac honoris consultum iri per eos qui si non alio saltem de gentium jure ad id communiter tenentur.

(441) "Quod mihi scribunt DD. VV. Illustrissimae de pecuniis nuper ad me missis vel mutuo, vel in aliqua expeditione collocandis, oportet me id saltem in congregatione Praelatorum proponere. Cum enim ea auxilia a Sanctitate Sua utriusque Clero concessa fuerint, qui ea per Decanum Firmatum a conventu Waterfordensi missum petierunt, majoris saltem illorum partis consensus requiritur. (Circa arma, in quibus mihi liberam dispositionem Serenissimus Magnus Dux Etruriae reliquit, nihil adhuc disposui, semper expectans ut aliqua inter

*Doninationum
Vestrarum
Illustrissimarum
habet
Diarium
Concilii.*

1308

v

Concilium et Clerum iniretur concordia). Si tamen ego liber essem in iis disponendis, libentius fortasse donarem pecunias, quam mutuo darem. Video enim non posse adhuc illas pecunias recuperari, quas a redditibus meis propriis in usum agentium *Dominationibus vestris Illustrissimis* mutuavi, ideoque nolle restitucionem | summae majoris difficultatem evadere. Quo in proposito patientur precor ut iterum atque iterum illas rogem de aliquo efficaci ordine circa praedictam restitucionem, ne hac etiam ratione paratissimus in obsequium vestrum animus male haberi videatur. De aliis modis impendendi pecunias a DD. VV. Illustrissimis propositis, nempe ad expeditionem Ultoniae, vel aliam a me statuendam, nihil habeo quod dicam, cum ego semper in hoc determinationibus Supremi Concilii acquieverim et quieturus sim semper, neque existimem ad me spectare directionem exercituum, aut praelationem expeditionum. Fateor tamen deesse mihi animum aperiendi in hoc ultimo sententiam meam. Cum enim si voluero de aliqua nova expeditione proponere vix facere id possim, quin directe vel indirecte exercitus Ultoniensis intelligatur, et statim permulti nulla habita consideratione rerum aut personarum exclamatui sint me alios fines habere, et seducentes populum impedituri semper quocumque bonum ex mea in Regnum propensione expectari possint. In qua re protestor me semper in hac vita et ante Deum exprobratum DD. VV. Illustrissimis inaequitatem judiciorum, nam cum ipsae velint in hac materia cessationis, ad auferendas Cleri validas suspiciones, credatur eorum juramento, et quod offerunt se sincere promissuros nihil admittere, quod intentioni ecclesiasticae contrarium sit. Quomodo tolerari potest, ut meum etiam juramentum, qui personam Legati Apostolici gero, non acceptetur, quo paratus sum certiorare omnes Provincias, quod Sanctitas Sua in fovendis ecclesiasticis et laudandis Ultoniensibus, neque per hoc diminuit amorem erga omnes alios, et in hac re nullum habet finem existis, qui vulgo et maligne circumferuntur. Certe ego satis intelligo cur, habito a me tali ac tanto testimonio, non statim natio Iberica tota currat in amplexus fraternalis, et dimissis ex animo quibuscumque praeteritis simulationibus, me auspice vexillum crucis elevante non currat ad extirpandos haereticos et libertatem *miseri Regni* asserendam. Non existiment DD. VV. Illustrissimae pro his ac similibus toties a me auditis, et nunc scripto etiam traditis, eos, qui secus judicant, maximam

*Catholici
Regni
habet Diar.
Concilii.*

et periculosissimam rationem non esse in die judicii summo Deo reddituros. Nec fortasse sine peculiari providentia accidit quod ista scribam, ac tractentur in ea ipsa hebdomada, qua publicato istic Jubilaeo universalis, et apertis Indulgentiae thesauris hanc animorum concordiam videtur Deus jure suo a DD. VV. Illustrissimis repetere, cui, et ipsius in terris Vicario, nihil gratius accidere posse compertum omnes habent, qui rebus spiritualibus assuevere. In eum finem auditis Commissariis DD. VV. Illustrissimarum curavi ut ab Episcopis *hic mecum*, qui sunt *hic mecum*
et Domino ipso Generali, aliquot propositiones scriberentur, habet Diar.
quae ad securitatem Cleri spectare possunt. In his quantum ego Conc.
capiro, videntur res ex utraque parte concurrere ad concordiam, cum unaquaque aliiquid de suo remittat, ut fieri solet. Quas
vehementissime cupio a DD. VV. Illustrissimis recipi et
approbari, ut tandem periculosissimo Regni statui, ac fidei
Catholicae libertati et incremento consulatur. Me certe in hoc
etiam partes Nuncii Apostolici implevisse tam certo scio, quam
me semel moritum. Quod et mea semper acta testantur
quemadmodum et me esse DD. VV. Illustrissimarum testor ex
animo

Mariburgi

13 Maii 1648.

Addictissimum servum,
Ioannem Baptistam Archiepiscopum Firmanum." |

(442) Propositiones, de quibus hic loquitur, mihi aliis verbis 1309
in Concilii Diario, et aliis in Nuncii Scriniis occurunt. Cujus
rei rationem esse crediderim, quod Nuncius primo Latine
scripserit, deinde ab aliis Anglice traductas, ac demum ab eo
qui praefatum Diarium, quantum ad acta Anglica spectat,
Latine reddiderat, Latine versas ex Anglicis. Ego ipsissima
Nuncii verba subjicio:

"*Conditiones et remedia necessaria pro securitate Cleri
et adhaerentium, ut cessatio cum D. Barone de Insequin tuta
conscientia fieri possit.*

(443) " 1^a. Ut DD. de Concilio jurent, neque se neque ullos
alios ipsorum consilio vel auxilio, directe vel indirecte intru-
suros aliam pacem praeter illam, quae fuit descripta mandatis
ultimae Assembleae, et commissa ut obtineatur Agentibus missis
Romam, in Gallias et Hispanias, oppositurosque se omnibus et

singulis quibuscumque qui contrarium quacumque via tentabunt, et super ejusmodi suo juramento faciant publicam declarationem.

(444) " 2^a. Ut praeficiant exercitibus Momoniensi et Lageniensi Praefectos indifferentes.

(445) " 3^a. Ut exercitus Ultoniensis occupetur in competente servitio Regni, solvatur aequa atque ullus alius exercitus, et securetur de quarteriis hyemalibus obtinendis proxima futura jam hyeme in Provinciis habitatis.

(446) " 4^a. Ut legiones D. Richardi Butler, Castleconel, Davidis Roche, Moriarti O'Brien, et Donati MacCarty continuentur in stipendiis et militia.

(447) " 5^a. Ut omnes et singuli Praefecti aliquie officiales exercituum jurent sub stricta et speciali forma se, neque directe neque indirecte, nec clam nec palam, nec ulla alia imaginabili via moturos, foturos, facturos, vel acceptaturos quidquam quod in praejudicium religionis Catholicae, cultorum ejus, aut libertatis Nationis Ibernicae, vel quod in praejudicium ipsorum vergere credatur, aut credi possit, sine expressa facultate Cleri.

(448) " 6^a. Ut castra existentia in potestate Catholicorum in Momonia, et nominatim Castrum de Mainge in Comitatu Kerri cum ejus territorio, maneat exclusum a jurisdictione omnimoda et contributione danda D. Baroni Insequin, aliisque adversariis durante cessatione.

(449) " 7^a. Ut satisfiat Clero Provinciae Momoniae et Dominis, aliisque quibuscumque ipsi adhaerentibus specialiter in Gubernio civili." Hactenus illae propositiones.

(450) Harum ultimam perperam Anglice Concilium edidit sic: *That the clergy and nobility of Monster, and all other whatsoever adhering to them have a hand specially in the civil government.* Quare etiam perperam habet eandem Latine Philopater Irenaeus, et Concilii Diarium his verbis: *Clerus et nobiles Provinciae Momoniae, aliquie omnes cujuscumque conditionis Clero adhaerentes ad exercenda munia publica, praesertim civilia ex condicto admittantur.* Haec (inquam) a scopo aberrant. Nam propositionis hunc in modum conceptae sensus est ut Clerus Momoniae, nedum laici fautores, ad exercenda munia publica praesertim civilia admittantur. Qui sensus eo spectat, ut Nuncius et Clerus nimia ambitione proindeque occulta circa res politicas mente notentur. Propositionis autem a Nuncio factae situs verborum sensus et scopus longe est alius,

in qua scilicet illa ultima ejus verba *specialiter gubernio civili* non ad Clerum, cum tantum petitur ut satisfiat, sed ad immediate praecedentes, nempe ad *Momoniae dominos aliosque quoscumque Clero adhaerentes*, referenda sunt. Cui sensu omnem praecludit aditum, et nedum alteri malignae significatiōni, sed et soli (utinam non mala fide) locum reliquit propositio sicut a Concilio Anglice edita est, et Latine in Concilii Diario jacet. Quid autem sanctius, quam ut tunc postularetur ut *satisfieret Clero Momoniae*, cuius specialiter erat in id totis nervis incumbere ut induciae illae ad Momoniam peculiariter spectantes in fidei ibi extirpationem, haereseos introductionem, animarum sibi a Deo commissarum jacturam, ecclesiarum profanationem, bonorum ecclesiasticorum dilapidationem, aliaque infinita mala a sanctissimis quibusque Praelatis ex officio cavenda non desinerent? Quid etiam justius, quam ut ibidem postularetur ut eidem Clero in tam sancta mente adhaerentibus quibuscumque saecularibus, specialiter in ipsis ad gubernium civile assumendis satisfieret, praesertim cum fidei et Ecclesiae interesset ut id fieret, et experientia notoria doceret ex eo solo fonte scatusse omne discrimen Clero metuendum, quod Ormonistae in Regimine civili praevaluissent. Haec autem sancta cogitata aliis coloribus populo et posteritati maligne propinavit praefata propositionis Anglice et Latine adulteratio. Caeterum quis hic patiatur vel ipsum Concilium, vel Philopatrum Irenaeum lib^o. 1^o. cap. xi, asserentem praedictas a Nuncio ad Concilium missas propositiones mere fuisse politicas, proindeque Nuncium hic occultam prodiisse mentem invadendi in temporalia sub praetextu spirituali? Est enim ex iis, quae circa ultimorum Comitiorum Generalium decreta et legatorum Romam atque in Galliam hoc anno destinatorum instructiones superius fuse docuimus, longe certissimum, vel ipsam harum propositionum primam futuram fuisse sufficientissimam ad Ecclesiam Ibernicam in felicissimo statu collocandam. Et hic erat prudentissimus Nuncii metus, ne his induciis, tam ad Ormonium revocandum, quam ad praefata decreta et legationes in gravissimum religionis atque Ecclesiae damnum evacuandas via regia sterneretur, sicut re ipsa postea successit. Secunda autem propositio praefatae primae valentissimum erat adminiculum, nempe ut duo insignes Ormonistae, Taaffus in Momonia et Prestonus in Lagenia, copiarum imperio abdicarentur, et substituerentur qui fidei et Ecclesiae nec tepide nec trepide

militarent. Nam ex praefatis duobus in Ormonismo remissior Prestonus cujus spiritus esset, tunc recentissime praetentaverit Nuncius, et aliunde, et per ejus epistolam biduo antea, nempe 10 Maii exaratam. Denique praefatarum propositionum caeteras manifestum est eo spectasse, ut totum militiae et Reipublicae regimen ab Ormonistis non usurparetur, sed alii ab ea factio alieni, iisque causae ecclesiasticae hactenus aperte fautores in partem vocarentur, et Momoniae Clerus, Proceres, Nobilesque eidem causae studentes non propterea male 1310 multarentur, sicut de facto tunc graviter afflictabantur. Porro ad praefatas Nuncii literas 13 Maii scriptas, atque inclusas propositiones cum Patricio Briano et Galfrido Barrono missas Concilium non nisi 23 Maii responderunt, induciis interea strenue promotis et publicatis, non secus ac si Nuncii responsum et propositiones nihil fecissent, sicut suo loco et tempore recensebimus.

(451) Felici O Nello census Equestris aliqua cum Eugenio O Nello aemulatio etiam ante Nuncii in Iberniam appulsum intercesserat, quam exinde emanasse invenio quod ambo essent amplissimae haereditatis O Nellorum et Tironiae Comitum competitores. Praeterea Felici uxor erat Prestoni filia, qui cum Eugenium odio capitali prosequeretur, easdem cum Felice inimicitias communicarit. Quare Prestono pedibus manibusque Concilio Supremo adversus Nuncium et Eugenium studente, Felix quoque facili negotio ad easdem partes descivit, sperans se totius uxoriae factionis, a qua tamen horrebatur, viribus Eugenio praevaliturum. Hinc Nuncio ad Eugenium dilapso et Concilio metuente ne mox Eugenius cum copiis Ultoniensibus Nuncii et totius Cleri causa in se gladium distringaret, Felix clanculum missus est qui suae Ultoniae militiam sollicitaret, atque ad Concilii partes in Nuncium si quid armis tentare vellet, et in Eugenium allectaret. Ad Felicem jam Kilkennia profectum scripta indidem fuit eodem die, quo praefatos Concilii legatos Mariaburgum ad Nuncium discessisse vidimus, a quodam Eduardo Birminghamo molitionum ejus instrumento epistola Anglicana, quam quia occultis tunc moliminibus plenam Latine verto:

“Nobilis Domine.

(452) “Citius ad tuas literas responsum recepisses, sed Episcopus Clogherensis ad tui famuli appulsum hac in urbe se tenebat, quo cum Domino Briano et D. Barrono in legatos ad Nuncium, qui apud Eugenium O Nellum manet, mittendos

cooptato, illi, quibus literae communicatae essent, haud aequum judicarunt ut producerentur, donec Clogherensis ex urbe discessisset.* Quo hodie ad horam secundam pomeridianam profecto, responsio praeparari non potuit usque ad horam septimam hoc vespere. Domine, tibi certum facio generosam animi tui sententiam Concilii caetui supra modum arrisisse, nec dubito quin vel tu ipse cohibiturus sis impetum Eugenii O Nelli, eumque destructurus, et abortiva ejus consilia in ipso nixu praefocaturus. Baro Birminghamus et alii amici hic tui cupiunt ut magnam et singularem adhibeas curam tuae militiae in viciniis adjacentium provinciarum partibus intra unius diei iter disponendae ea aequalitate ut regioni ruinam non pariant, et ita ad justas leges redigantur, ut nec ipsi, nec officiales ullatenus pecunias, aut immoderate annonae excessum exigant. Post paucos autem dies ea ineunda erit ratio, quo ad tuum ipsius votum tam illis quam iis qui adhaeserint prospicietur. Si sacerdotes vel Religiosos seducendi populi studio circumeuntes offenderis, a te inter socios in custodiam dabuntur, omnesque in quos incideris, a te mente diversos exarmare ne dubites. Si didiceris ubi Foxius Tribunus cum cohortibus diversantur, nihil majore laude dignum gesseris, quam si noctu in eorum stationes facto impetu officiales, copias, caeterosque armis excutias. Quod ad Athiam spectat nec tutum nec idoneum visum fuit negotium illud ei, de quo mentionem feceras, communicare, cum (sicut qui ex Concilii consessu sunt me monent) palam et immutabiliter stet a Nuncio atque Eugenio O Nello, idque praeter rationem, quare tui hic amici illud ei incaepsum nullatenus aperient. Baro Athuniae me monet ut tibi significem ea potissimum ratione inductum fuisse Concilium ad allegandum Patricium Brianum ad Nuncium, ut certam atque exactam eorum, quae a Nuncio dicta vel gesta fuerint, rationem ad Concilii tribunal referat, quatenus in promptu Suae Sanctitati notum faciant ejus procedendi modum eo in hac via violenta tendentem ut natio bello intestino, eoque a naturae legibus abhorrente involvatur. Quinque militum cohortes introducatae sunt in civitatis defensionem, praeter cives et duas turmas equestres. Praeterea septem cohortes pedestres ad secundum ab hac urbe lapidem se tenent, et ad diversas ejus portas fortissimae aguntur excubiae, et Franciscanorum conventus praesidio munitur. Ex hic inclusis intelligas, quam libenti

1310
v

* Quia Clogherensis erat ex Concilio Supremo, proindeque Concilium eo praesente circa rem illam deliberare noluit, ne pateret mysterium iniquitatis.

animo tibi Concilium astipulari cupit. Et ego tibi spondeo fore ut ante multos dies hoc regimen majorem in te, quam ipse cogites, fidem ponat, in eorum stuporem, qui tibi invident prosperitatem. Praefectus Generalis Prestonus, et Vicecomes Montgarettus suos circa Eugenium O Nellum varios habent exploratores, et te oportet simile agere, ne cum suis viribus moveat, et incautos teque tibi adhaerentes adoriatur. Comitia Provincialia mandatis ad te dirigendis operam navant. Te rogo ut prima opportunitate saltem quaterna melioris pellis Hispanicae tergora ad me mittas, et sic precans Dominum exercituum ut tua consilia atque actiones dirigat, ducat, et prosperet, optima quaeque tuae Dominationi appreco, et finem facio.

Kilkenniae,

ii Maii 1648.

Tuus vere carus cognatus et fidelis servus,

Eduardus Birminghamus."

"Cave ut te de iis quos in carcerem conjeceris, securum reddas, ita ut non dilabantur."

(453) Haec epistola haud adeo caute transportata fuit, quin in Nuncii mox et Eugenii O Nelli manus inciderit. Quare suspicione supra modum auxit, adeo ut illi dubitarent ne Concilium una manu speciosam controversiae suaviter extricandae voluntatem prae se ferret, altera in amborum ruinam, primo occultis molitionibus, deindeque aperto Marte conspiraret. Concilium tamen suis legatis a Nuncio Kilkenniam regressis, et recepto per Clogherensem horum alterum praedictae epistolae exemplari, scripsit Nuncio his verbis:

"Illustrissime ac Reverendissime Domine.

(454) "Exhibuit nobis hodie mane Reverendissimus Clogherensis Episcopus exemplum cujusdam epistolae missae a quodam Eduardo Bermingham D. Felici O Neill, in qua multa falsa, multa rempublicam perturbantia scripta sunt. Inter reliqua retulit in illa epistola quod D. Baro de Athunry sibi dixit, nos ad Illustrissimam D.V. D. Patricium Brian, diebus superioribus misisse, eo duntaxat consilio, ut verba vestra omnia notaret, et ad nos referret, ut locus esset nobis de Illustrissima Dominatione vestra conquerendi apud Suam Sanctitatem, qua in re uno mendacio multa effecit et nos, et D. Baronem de Athunry, et D. Patricium Brien injuria. Neque enim unquam fuit nobis animus illo modo, aut aliter, quam sincere et aperte cum Illustrissima D. vestra agere, neque iste

Edoardus hodie coram nobis, absente D. Barone, super illa
re juratus per sancta Evangelia, et interrogatus, potuit asserere
quidquam tale ipsi a D. Barone, aut alio quopiam e Concilio
dictum. Neque, si quid tale (quod absit) Concilium moliretur,
vellet dictus Patricius tam vili ministerio agi, protestatusque
est D. Baro de Athunry et juravit solemniter se nunquam animo
tale quidpiam concepisse multo minus dixisse, neque enim
dicere potuit. Unde, et ob satis probatam nobis Domini
Baronis integritatem, fidem illi adhibuimus.

(455) " Per epistolam illam videmus quantum parit in rebus tumultus petulans quorundam hominum in scribendo prurigo et libertas, rogamusque ut sua Illustrissima D. nobis potius vera sincero animo dicentibus credere velit, quam eorum sermonibus aut scriptis, quibus aucupari gratiam obsequio et adulatio-
quaestus est. Et coram Deo profitemur esse istius Eduardi super illa re mendacissima scripta, nosque nullam unquam talem, qualem ipse scribit, cogitationem semel mente foviisse. Gratissimum nobis erit si per Illustrissimae D. vestrae literas certiores fiamus nihil apud Illustrissimam Dominationem vestram istiusmodi calumnias valere. Illustrissimae D. vestrae manus deosculamur.

Kilkenniae,
18 Maii 1648.

Illustrissimae ac Reverendissimae D.V.
Addictissimi servi,

Edmundus Limericensis. Robuccus Linche. Lucas
Dillon. Rob. Devereux. Rich. Bellings. Gerald Fennell.
Geffry Barron."

(456) Notandum est nec epistolae ad Felicem O Nellum scriptae authorem a Concilio fuisse punitum, quamvis saltem in re tanti momenti insigniter et impudenter mendacem, quia aliud Felici scribentem, aliud Concilio jurantem, nec Athunrium, quo authore ille Brianum ad exploranda Nuncii dicta factaque mis sum scriperat, nec ipsum Brianum huic Concilii epistolae sub scrisisse, licet ambo Concilii albo ascripti essent, nec aliis (quod sciam) literis se Nuncio purgasse. Nec Concilium alia a Bir minghamo praefatis literis scripta hic inficiari. Quare crediderim has Concilii literas parum ad aliud profecisse quam ad id ut Nuncius et Eugenius in majorem suspicandi rationem rescient praefatam seditionis plenissimam epistolam Birminghamo haud falso fuisse imputatam. Accessit quod de facto Felix O Nellus illis ipsissimis diebus, ad loca in quibus Eugenii exercitus hybernaret, profectus, militum animos pro virili sollicitarit. Verum non nisi suam, duasque alias Mac Aengusii Vicecomitis

scilicet Iveaghensis et Alexandri Mac-Donelli legiones ad defec-
tionem impulit, quas ut ad Birram dispositus, Eugenius per vias
occultas iterum ad suas partes sagaciter illexit, missis eo ducentis
equitibus, qui ad exercitum Ultoniensem redire volentibus essent
adminiculo. Redierunt ergo tres legiones pene omnes, Felice
cum duobus Chiliarchis, qui ipsi adhaeserant, vix Kilkenniam
fuga dilapsis, quae Birminghami epistolae fidem astrenua, licet
ante traditam Nuncio Concilii epistolam evenissent, Nuncius
tamen modeste et humaniter ad Concilium rescripsit his verbis: |

13II (457) "Reverendissimus Clogherensis hodie tantum exhibuit
mihi literas Dominationum vestrarum Illustrissimarum 18 Maii,
fassus eas apud se plures dies oblivione retinuisse. Video quic-
quid scripserat Eduardus Birmingham, et cum non possem existi-
mare hominem adeo temerarium ut nominaret Concilium et D.
Baronem de Athunry in iis rebus, quae falsa essent, fateor me
praestitisse fidem illi a principio, ne condemnarem illum criminem
tam a civilitate abhorrente. Sed quando DD. VV. Illustrissimae
tam aperte contrarium asserunt, video etiam convenientius esse
ut illis solum fidem adhibeam ac caeteris negem. Non est for-
tasse inutile quod Supremum Concilium agnoscat qua ratione in-
serviatur illi a plerisque; nam quoad me etsi omnes DD. VV.
Illustrissimae nedum D. Baro solus cogitarent de expediendo
Romam contra meam personam aut gesta, certe agerem illis
gratias, existimans easdem non id leviter sed cum magna ratione
tentaturas, et alioqui nihil mihi potest gratius accidere, quam ut
illa Curia, et apud Principem examinentur, quorum ego authori-
tate fungor, et a quibus in omnibus dependere gloria est mihi
praecipua. Precor Deum ut DD. VV. Illustrissimis opem suam
largiatur, et illis manus deosculor. 26 Maii 1648."

(458) Jam induciarum progressum resumamus, ad quas cum
Insequinnio absolvendas vidimus Kilkennia missos fuisse 8^o Maii
Commissarios. Hi biduo interjecto hanc epistolam ad Con-
cilium dederunt:

(459) "Cum nobis innotuisset Dominum de Insequin in Cas-
tello de Cahir non nisi heri sero affuturum, iter nostrum eousque
in hodiernum diem distulimus, quo tempore cum convenimus,
re multum matutinis ac serotinis horis agitata, tantum abest ut
id summum, quod juxta mandata vestra concedere poteramus,
ille sibi sufficere fateretur, ut potius non solum Waterfordensem
integrum qua patet Comitatum sine unius pedis restrictione
assignari sibi velit; sed et praeterea ipsam civitatem tributariam
sibi fore cupit, asserens id sibi coram omnibus exercitus sui

Ducibus a D. Praefecto Generali, aliisque Provinciae nobilibus in postremo colloquio cum iis habito, promissum fuisse. Nec proinde quidquam minus suis ducibus (quorum satisfactionis habendam sibi rationem esse asserit) suffектurum. Nosque saepius rei decisionem ad Provincialia Comitia remittere rogavit, quod tanquam authoritati a vestris Honoribus in nos derivatae omnino derogans facere recusavimus.

Nota Taaffi
et aliorum
Ormonis-
tarum
clandes-
tinam
cum
Insequinno
conjurationem.

(460) "Plurimum miratur quod Traliam, Dingliam, fornacesque ferro impensas in tributis exemptas velimus, votum ejus esse deprehendimus exactores quaestoresque in singulis Comitatibus pro decidendis exigendisque tributis instituere. Quod nos (id si Honoribus vestris probetur) ita ordinaturos speramus, ut singulorum Comitatum tributa ad certam summam redigantur. Et vero agitatum ac pene jam decisum est, ut Comitatus Kerriensis pro sex mensium tributis octo millia sterlinarum solvere teneretur, quae summa minor est ea, quae ipsi solvenda obtingeret, *ex sexaginta sterlinarum millibus per ultima Generalia Comitia pro nostro exercitu in sex menses alendo toti Provinciae impositis*. Comitatus Corcagiensis 12000 aut circiter sterlinas, ut et Comitatus Waterfordiensis, qua patet 3600 solverent, et pro ejus summae exactione in sex menses protrahenda prima exactio statim inchoaretur. Verum viam hanc probaturus sit D. Baro, nondum liquet, an vero malit assignandas regiones prorsus sibi relinquiri, de quo nondum ipsi et nobis convenit. Caeterum asserit se tam exiguae summae pro exercitus sui stipendiis inniti non posse, nec rem fuisse aggressurum, nisi pecunias aliquas mutuo dandas speraret, maxime cum jam pridem a Comitatu Corcagiensi 5000 sterlinas ex summa modo decidenda, anticipata solutione, expresserit. Quam proinde summam ex facienda primo loco solutione deducere oportebit, ex quo consecarium erit, stipendum exercitui, aut ipso statim primo, aut sane secundo mense defuturum. Quapropter cupit D. Baro ut honores vestri *si incoluem pro Regiae Majestatis vestroque servitio exercitum hunc velitis*, publica vectigalia pro ejus alimonia impignoretis, aut alia aliqua via securitati ejus prospici curetis. Caeteroqui suum exercitum mera necessitate dissipandum, *quod pro vestra ipsa praeervatione, honores vestros avertere debere sentit*.

Nota non
defuisse in
Mormonia
unde exer-
citus con-
sicerberetur.
1312

(461) "Porro nos plane opinamur nihil minus toto Comitatu Waterfordensi, qua patet, nulla ejus vel minima parte exempta ipsi satisfacturum. Crastina die ad caeterarum propositionum discussionem progressuri sumus, de quarum non nullis, ac nomi-

Insequinnii
exercitus ad
Ormonist-
arum
obloquium.

natum de religione et ecclesiis, cum jam locuti essemus, dixit nobis D. Baro nullum se expressum articulum de id generis rebus, utpote ad cessationis naturam minime spectantibus, aliisque quam plurimis incommodis obnoxii inserturum. Verum promisit sincere nostrum Clerum in earum possessione nullo prorsus modo durante cessatione interturbanum. Et vero generalem cessationis articulum, id quod nos desideramus, in substantia continere. Et ubi nos significavimus eas omnes ecclesias a nobis possidendas esse, quas sub initio hujus tractatus possidebamus, ille statim *Cluanensem ecclesiam*cepit, utpote quam et tunc, et diu ante a se in custodiam traditam possidebat.

(462) "Caeterum quod spectat ad declarationem, cujus Honores vestri in epistola nono hujus data mentionem facitis, paratus est eam et pro sua Majestate et contra Parliamentum quamprimum edere, ut et quaslibet pacis conditiones Majestatis autoritate concessas admittere ac tueri.* Imo si quae a Regina et Principe etiam absque Majestatis autoritate concessae fuerint, spondet ac promittit non se illis intercessurum. Nullam tamen pro alterutrius pacis conditionibus conventionem faciet, cum id cessationis negotio minus consonet, sed potius ad plenam pacem (de qua tractare nullo modo ipse sibi arrogat) pertineat.

(463) "Ad aliam Honorum vestrorum epistolam de mandatis vestris perlegendis, rogamus ut significetis, quibus rebus obtinendis ita insistere nos velitis, ut nisi impetrarentur re infecta discedamus, et quas ita urgere oporteat, ut negatis illis, non sit recedendum, et juxta haec ita vestra mandata dirigere, ut praecidatur omnis ulterior mora, alioqui in ruinam cessura. Comitia Provincialia semper Clonmelliae sedent, hujusque negotii exitum maturari vehementer cupiunt, unde Honorum vestrorum decreta, qua fieri potest summa festinatione tam interdiu, quam noctu expectantur|ab Honorum vestrorum fidelissimis servis. Richardo Everardo. Patricio Gough. Ioanne Walsh. Muolai-Villa x^{mo} Maii, hora noctis 12, anno 1648.

(464) "Post scripta. Cum inter discurrendum cum D. Barone non nihil tetigissemus de puncto jurisdictionis, dixit nobis se *per patentes Regiae Majestatis literas Momoniae Praesidem constitutum esse*, nec proinde scriptis et conventis actis posse ejusmodi potestati derogare. Liberum tamen unicuique Confae-

* Ex hoc constat declarationem, mense Aprili ab eo editam, fuisse puritanicam, praeter quam tamen haud aliam meliorem legimus promulgatam.

† Nota coniurationis cum Ormonio et Ormonistis coitae mercedem, novum Praesidis officium Insequinnio concessum, Ormonio sollicitante.

deratorum fore tribunal pro decidendis suis litibus eligere, nec se quidquam hujus cessationis beneficio aliud quam tributorum pro alendo exercitu collectionem expediturum."

(465) Quid Concilium tunc statuerint, ipsi in suo Diario te docebunt. " Perfectis (inquit Diarium) his literis, et perpensa natae difficultatis magnitudine, Dominos Lucam Dillon Equitem auratum, et Doctorem Geraldum Fenellum ad juvandos in tractationis negotio priores legatos cum novis instructionibus inferius ponendis (aut enim quamprimum rem concludere, aut omnino a caeptis resilire Concilium statuerat) misimus ad dictum D. Baronem de Insequin, qui una cum D. Walsh post quatuor dies ad nos reversi, Concilio exposuerunt se summis conatibus rei controversae institisse, et post varias difficultates magno labore superatas, compositos et digestos eodem modo esse articulos, quo ipsis subscribere vellet D. Baro de Insequin, qui et statuisse dicebatur a re tota potius recedere, quam mutationi unius apicis in re alicujus momenti consentire; quibus articulis cum perfecti essent una cum praesenti Instrumento quo tam ecclesias quam ecclesiastica praedia intra assignandas ei regiones juxta datas instructiones nostro Clero possidenda securitate prospiciebat, Concilium sibi minus satisfactum esse sensit, nec aliter sibi satisfieri posse declaravit, quam de ecclesiasticis praediis sibi secure relinquendis prospectum esset, unde et digeri articulos fecit, quales perfici eos vellet, quales postmodum re ipsa publicati sunt, eosque per D. Ioannem Walsh una cum subjectis instructionibus remisit ad Baronem de Insequin mandans, tam ipsi quam aliis legatis, ut nisi D. Baro in particularibus punctis, tam ecclesias quam ecclesiastica praedia inter regiones suas spectantibus, ut in dictis articulis exponebatur, satisfaceret, re infecta ad se quamprimum redirent. Paulo post dicti articuli ad Concilii votum absoluti, remissi fuerunt, et conformiter approbati, ut postmodum exprimetur.

" *Per Supremum Concilium.*

" *Ulteriores Instructiones ad D. Richardum Everard,
Equitem Baronettum, Patricium Geogh, et Joannem Walsh
Equites, pro tractanda et concludenda armorum cessatione
cum D. Barone de Insequin Legatos.*

Armigeros.

(466) " Cum qui quintus est, in articulorum tentamento hic nobis exhibito, declinabitis, in cuius locum substituetis consequentem:

Ibid.

(467) "1°. Ut actualis possessio et occupatio utriusque partis tam Clero quam laicis durante hac cessatione eadem, quae sub initio hujus tractatus erat, imperturbate (solutis modo contributionibus, tributis, et publicis debitibus) continuetur.

1313 (468) "2°. In 3° articulo per istis vocabulis (*in omnibus nostris portubus*) inseretis | verba ista (*In omnibus utriusque partis portubus*).

(469) "3°. In nono articulo vacuum locum implete, inserendo: *Dominium Castelli de Cahir, sive unum sit terrae aratum, sive semiaratum, aut eo amplius, modo duo aratra non excedat.*

(470) "4°. 14^{us} articulus omnino expungatur.

(471) "5°. Expungatur et decimus articulus, qui reciprocis literis (ut propositum est) inter partes servabitur.

(472) "6°. Reliquos omnes articulos approbate, iis consentite, et juxta haec mandata cum D. Barone concludetis, non obstantibus quibuscumque prioribus etiam contrariis.

(473) "7°. Pro decimi tertii articuli decisione Provincialium Comitiorum concursum adhibere." Haec Concilii Diarium.

(474) Itaque induciae demum, superatis utrinque difficultatibus, absolutae sunt, et pactionis exemplari, quod Insequinnio relictum est, subscripserunt Commissarii; Insequinnius autem alteri Commissariis tradito, sicut hic ex Anglicis Concilii Diarium nobis suppeditat.

Armigeros.

"*Conventionis Articuli concessi ac conclusi per et inter Honoratissimum virum Moroganum, D. Baronem de Insequin Protestantum in Momonia copiarum Praefectum Generalem, ex una parte; et Richardum Everardum, Equitem Baronettum, Patricium Goegh, et Ioannem Walsh, Equites, Legatos, autoritatem habentes ab Honoratissimis DD. Vicecomite de Montegaret, Barone de Athunry, caeterisque Supremi Concilii Faederatorum Iberniae Catholicorum Proceribus, pro et nomine dictorum Faederatorum Catholicorum ex alia parte, sub data vigesimi Maii 1648.*

(475) "In primis conventum est ut sit cessatio armorum, omniumque hostilium ex utraque parte a die datae hujus usque ad diem primam Novembris proxime subsequentis, quae cessationem ad Clerum, quam ad laicos extendatur.

(476) "2°. Ut nemo Faederatorum Catholicorum, sive clericorum sive laicorum, molestiam ullam aut impedimentum a dicto

Nota articulum secretum.

Domino Barone de Insequin, aut a quoquam ejus partis uno aut pluribus in aut propter liberum religionis aut functionis exercitium durante dicta cessatione accipiat. Praesidiis et locis jam nunc a dicto D. Barone de Insequin ejusque parte (ab antiquo scilicet) possessis solummodo exceptis.

(477) " 3°. Ut cessatione hac durante ambae partes mutuum sibi praestent auxilium in omnibus occasionibus profectum servitii Regiae Majestatis spectantibus, et ad debellandos quoscumque, qui armis, aut hostilibus actibus conventionem hanc ullamve ejus partem violare tentabunt.

(478) " 4°. Ut captivi omnes ab utraque parte detenti, pro quorum redemptione nondum conventum est, statim libertate donentur.

(479) " 5°. Ut actualis ac praesens bonorum tam Cleri quam laicorum ex utraque parte possessio, eadem continuetur, quae ab inchoato hujus cessationis tractatu existebat. Ut Clerus aut populus alterutriusque partis non perturbetur ullamve patiatur molestiam in actuali possessione, qua tunc gaudebat, durante dicta cessatione, ea duntaxat lege, ut qui se hujus cessationis conditionibus submiserint, ac conformiter vixerint, contributio-nes, redditus, aliaque publica onera ac debita solvere non recusent. |

(480) " 6°. Ut reliqua omnia quae supersunt alterutri parti debita in alterius regionibus intra 15 dies post hujus cessationis publicationem exigantur et solvantur, aut (si id postulatum fuerit) pars altera alteri parti licentiam det illa ubicunque, sive in Momonia, sive in Lagenia, degendi. 1313 v

(481) " 7°. Ut nullus alterutrius exercitus, vicenarium excedens militum numerum, alterius partis fines sine licentia praecipuam in illo tractu autoritatem habentis, intret.

(482) " 8°. Ut sit libertas negotiationis et commercii utrique parti in et per totum alterius partis tractum tam in terra quam in mari et flaviis, et ut naves ex utraque parte in omnibus portibus alterius partis reciproce protegantur contra quaslibet alias naves infestantes, aut persequentes. Ut nullae fiant a dicto Domino Barone de Insequin, aut quovis alio ejus partis uno aut pluribus captureae aut praeda ullarum navium cum dictis Faederatis Catholicis negotiantum, ad eorum portus appellen-tium, aut eos intrantium, sicut nec a dictis Faederatis Catholicis fient captureae ullarum navium cum dicto D. Barone negotian-tium, aut ad eum venientium. Et si forte dictus D. Baro con-tractum aliquem, aut conventionem cum aliquibus navibus

earumve Ducibus fecerit, Dominatio sua inter conveniendum exprimet et monebit navibus illis, hac cessatione durante non licere ulla naves ad praedictos Catholicos pertinentes invadere, aut ulla navium ad eos adventantium praedas agere.

(483) "9°. Ut dictus D. Baro de Insequin habeat et possideat, tanquam regiones suas, integros Comitatus Corcagiensem, et Kerriensem, et Comitatum Waterfordiensem qua patet, et praeterea Castellum de Cahir cum suo territorio in Comitatu Tiperariensi pro exercitu Dominationis suae alendo, ea lege, ut nec dictus D. Baro, nec quisquam Dominationi suae subjectus pignorando, aut ullo alio modo contributiones ulla exigat ab, aut ex baronatibus de Galtire, aut de Glanhire in dicto Comitatu Waterfordiensi, aut ab vel ex pagis seu oppidis Dingliae, aut Traliae in Comitatu Kerriensi, proviso quod dictorum locorum incolae, aliquie Faederati Catholicci ex praedictis baronatibus et pagis (de solutione facienda mature moniti) tantum servata proportione solvant, quantum totidem terrae jugera in reliquis Comitatibus aequa distributione facta solvere tenebuntur. Provisum quoque erit portiones agrorum in Comitatibus Kerriensi et Waterfordensi tantum duntaxat, et non plus soluturos, quantum in Comitatu Corcagiensi partitiones de facto solvunt.

(484) "10°. Ut duces, milites, aut personae aliae quaecumque propter quamcumque causam, delictum civile, aut capitale ab alterutra ad alteram partem transfugientes, apprehendantur, et requisitae remittantur.

(485) "11°. Ut dicti Faederati Catholicci non solum permittant, ut dictus D. Baro intra ipsorum Faederatorum tractus tantam pecuniae summam mutuo accipere valeat, quanta durante hac cessatione suo exercitui alendo necessaria judicabitur, sed etiam suam pro rei ipsius executione auxilium et opem praestent.

(486) "12°. Ut liceat dicto D. Baroni de Insequin et cuilibet aliis personae aut personis alterutrius partis oppignerare quamlibet partem suorum realium et personalium praediorum pro pecuniis in hujus servitii profectum impendendis, utque tales oppignerationes legitimae et validae stent personis quibus fient tam contra dictos Confaederatos Catholicos, quam contra dictum D. Baronem de Insequin, et ejus partem, modo cautum sit ut praedicta bona sic oppigneranda obnoxia semper maneant (usquequo pax inter partes constituta fuerit) et re ipsa solvant imposta onera publico usui alterutrius partis respective eadem proportione cum aliis praediis sitis in Comitatibus, in quibus jacent praedia sic oppigneranda, ea quoque lege ut per ejus-

modi mutuationem aut oppignerationem tributa publica Faederatis Catholicis ex Protestantum praediis accrescentia non majorem quam 250 sterlinarum diminutionem durantibus dictis induciis patientur.

(487) " 13°. Ut si alterutra pars a prima die praesentis mensis et pro ratione ejus aut alicujus alterius temporis a prima die mensis Maii praeterita, usque ad finem harum induciarum exegit aut collegit pecunias aliquas in ea Regni parte quam alteri parti pro finibus assignanda est, eadem pecuniae illi parti refundantur, pro cujus usu illa terrae pars assignata est. Et si qui milites unius partis intra limites alterius partis sunt, statim abscedant.

(488) " 14°. Ut personae quaelibet sive dictis Faederatis Catholicis, sive dicto D. Baroni de Insequin *adhaerentes*, quae se pro Regia Majestate stare declaraverint (si his articulis sese submiserint, eorumque tenorem observaverint) ad alterutrius partis instantiam hujus cessationis beneficio gaudeant. *adhaesurae.*

(489) " 15°. Ut Petrus Smitheus Eques auratus, et Ioannes Powerus de Dunayla Nobilis intra Comitatum Waterfordensem; Donatus O Callaghan de Clonmine Nobilis, et Gulielmus Reymer Subtribunus Militiae, Moyallae praefectus, intra Comitatum Corcagiensem, et Ioannes Tranchard Tribunus Militiae, et Geraldus filii Maurice centurio intra Comitatum Kerriensem, Commissarii constituantur cum plena potestate et authoritate ad audiendas et decidendas omnes et singulas causas ad hujus cessationis infractionem tendentes, si quae intra praedictos Comitatus respective alicujus, aut aliquarum privatuarum personarum culpa contingat, qui et reparationem faciendam curabunt, et transgressoribus, quales ipsi justitiae et cessationis hujus naturae congruere viderint, paenas infligent. In cuius rei testimonium firmumque vigorem partes his convenientes hisce articulis utrinque subscripserunt, et sigilla sua apposuerunt, die et anno supradictis. Haec pars ita subscribitur: Insequin." |

(490) Has inducias Supremum Concilium sequenti acto 1315 * confirmarunt et promulgarunt:

" *Supremum Concilium Faederatorum Iberniae Catholicorum.*

(491) " Quandoquidem Richardus Everardus, Eques Baronettus, Patricius Gough, et Joannes Walsh Nobiles, in virtute Commissionis nostrae 20 Aprilis datae, cessationem

* (Pagina 1314 v tota alba est)

armorum omniumque hostilium actuum, liberumque commercium ac negotiationem terra marique cum D. Barone de Insequin, et copiis ejus imperio in Provincia Momonia parentibus continuandam, et vigorem habituram usque ad primam diem Novembris proxime sequentis (ut subjuncto articulorum exemplari patet) concluderint; eapropter nos hoc instrumento praedictam cessationem approbamus, ac ratam habemus, unde mandamus, rogamus, ac requirimus ut omnes et singuli Praefecti Generales, militiae Duces, officiarii, magistratus, Commissarii tam civiles, quam militares, omnesque alii Faederati Catholici hujus cessationis rationem habeant, eique debitam obedientiam et observantiam praestent, praincipentes insuper ut omnes, quorum interest, magistratus officiariique publici mandatum hoc quamprimum debito modo publicare current. Datum Kilkenniae 22 Maii anno 1648. Subscripserunt:

“ Mongarrett. Athunry. Lucas Dillon. Robuc. Linch.
Felim O Neil. Richardus Bellings. Gerald Fennell.
Robert Devereux. Patr. Brian.

“ Impressum Kilkenniae mandato Supremi Concilii anno 1648.”

(492) Ad hoc actum publicum melius ponderandum operae pretium esse existimo hic Concilii Supremi in ultimis Regni Comitiis electi membra et suffragandi leges recensere, quod nullibi hactenus praestiti, sed consulto in hunc locum velut summopere idoneum distuli, tanquam articulum ad hanc spinosissimam controversiam melius intelligendam absolute necessarium. Itaque quatuor Regni Provinciae elegerunt tunc quadraginta octo, nempe singulae duodecim, ex quibus Comitia Generalia duodecim Consiliarios Supremos, nempe ex Provinciis ternos delegerint. Illos quadraginta octo hic subdœ ipso ordine, quo in Comitiorum decreto hic spectante continentur:

Ex Lagenia.

Archiepiscopus Dubliniensis.	Vicecomes Montgarettus.
Episcopus Fernensis.	Vicecomes Costulogh.
Nicolaus Plunquettus.	Thomas Nugentius Eques.
Richardus Barnevallus Eques.	Joannes Dunganus Eques.
	Robertus Talbottus Eques.
	Richardus Bellings.
	Walterus Bagnallus.
	Patricius Brian.

Ex Momonia.

Archiepiscopus Cassilensis.	Daniel O Brien Eques.
Episcopus Limericensis.	Edmundus Fitz Mauritius.
Vicecomes Muscrae.	Richardus Everardus Eques.
Baro Dunboniae.	Doctor Fenellus.
	Justitiarius Joannes Walshius.
	Galfridus Barronnus.
	Georgius Comin.
	Patricius Goagh.

Ex Conacia.

Archiepiscopus Tuamensis.	Robuc. Lincaeus Eques.
Episcopus Aladensis.	Richardus Blake Eques.
Vicecomes Mayoensis.	Lucas Dillon Eques.
Baro Athunriae.	Valentinus Blake Eques.
	Dermitius O Seaghnuusy.
	Zepherinus Brounus.
	Patricius Darcy.
	Joannes de Burgo.

Ex Ultonia.

1315

v

Marchio Antrimiae.	Alexander MacDonell.
Episcopus Clogherensis.	Felix O Nellus Eques.
Episcopus Dunensis.	Rogerus Maguir.
Vicecomes Iveaghensis.	Maelmorrus O Relly.
	Turlachus O Boille.
	Henricus O Nellus.
	Joannes O Cahanus.
	Emerus MacMahony Armiger.

(493) Ex his quadraginta octo elegerunt Comitia Generalia jam dicta Concilium Supremum, ternos ex Provinciis, excepto quod factionis Ormonicae sagacitate id effectum sit ut Robertus Devereux, Lageniensis, licet a Lageniae Provincia praesentatus non fuerit, in Supremum tamen Consiliarium evaserit, posthabitis viris integris quos Provincia praesentaverat. Duodecim illi Consiliarii hic sequuntur:

Ex Lagenia.

Richardus Bellingus Armiger.
Patricius Brian Armiger.
Robertus Devereux Armiger.

Ex Conacia.

Baro Athunriae.
Robuccus Lincaeus Eques.
Lucas Dillon Eques.

Ex Ultonia.	Ex Momonia.
Episcopus Clogherensis.	Episcopus Limericensis.
Henricus O Nellus.	Doctor Fenellus.
Turlochus O Boille.	Galfridus vel Zepherinus Barron.

(494) Ormonistae non solum praeformatum Robertum Devereux, modo jam dicto, et aliunde suos pro virili huic Concilio ascripserunt, sed etiam variis aliis modis suam conditionem potiorem effecerunt. Primo decretum fuit ut aliquo vel aliquibus praefatorum duodecim, ob morbum, vel necessitatem, aut utilitatem publicam ad majoris numeri mandatum absente, vel absentibus, locus ab alio, vel aliis ejusdem Provinciae membris suppleretur, assumendis ex reliquis triginta sex, inter quos etiam Ormonistae numero essent longe superiores. Quam illi praxim (inquit Nuncius) introduxerunt, ut ubi alii ob consiliorum iniquitatem Concilii caetum deseruissent, semper tamen Concilium subsisteret, idque praevalentibus Ormonistis. 2°. Ut Fenelli insigniter Ormonistae, si quando abesset, vicem nominatim D. Joannes Walsaeus obiret, quod in Walsaeo nunc quid idem animi studium judicaret lectori judicandum relinqu. 3°. Ut quatuor Provinciarum quaterni copiarum militarium Imperatores eidem Concilio adderentur, et cum eodem suffragarentur, cum tamen haud ignorarent boni Ormonistae Taaffum et Prestonum sibi esse addictissimos, et Eugenium O Nellum, qui adversaretur, adeo ab ipsis suo capiti metuere, ut Kilkenniam ferendae sententiae causa vix, ac ne vix quidem, esset accessurus, ex quo semel post Comitia celebrata, ad quae non nisi fide publica et valido satellitio stipatus advenisset, indigne habitus, proindeque succensens discesserat. Praefectorum Generalium quartum, nempe Richardum O Faerallum, in ultimis Conaciae finibus ad Ultoniam vergentibus bellaturum, proindeque Kilkennia longius abfuturum praesagierunt, quam ut sibi ipsis in deliberationibus obviare valeret, cum tamen Prestonus et Taaffus juxta forent, | et ad nutum deliberaturi. 4°. Ut Baro Athunriae, Robuccus Lincaeus Eques, et Lucas Dillonus Eques, in tres Conaciae Consiliarios assumerentur, et usque ad eorum tunc Kilkenniae absentium adventum alii tres Conacienses, nempe Archiepiscopus Tuamensis, Episcopus Aladensis, et Patricius Darcus, locum supplerent. Quo factum ut penes factionem Ormonicam esset hos tres substitutos citius deponere nisi in deliberationibus conspirarent, et diutius in

Concilii Supremi collegio continuare si consentirent, cum alii tres ad ipsorum nutum citius vel tardius essent accessuri. Quod certe gravissimam tribus substitutis pepererit tentationem, ne citius abdicarentur. In temptationibus autem violentis et continuis quid succedit, quotidiana experientia compertum habet humana fragilitas. Reque ipsa haud invenio Tuamensi et Aladensi alios in Concilio suum reliquisse locum, ex quo in Congregatione Ecclesiastica decreto 27 Aprilis lato inducias repudiandas censuerant.

(495) Itaque duodecim illos Consiliarios primo ordine electos video vocitari Consiliarios *Residents*, quod ipsorum esset semper residere; alios vero nuncupari *non residents*, quod non residerent, nec residenti jus haberent, nisi cum substituti essent, nec abesse ex Residentibus, nec substitui ex non residentibus poterant plures quam quinque simul, cum juxta Comitiorum decretum, ad omne Concilii actum legitimum saltem septem Residentium suffragia et consensus requirentur, quorum vel uno deficiente, caeterorum sex Residentium calculi, etiam cum omnibus non residentibus simul sumptis, ad nihil profecissent; inani ergo superfluitate non nullis Concilii actis ad has inducias spectantibus Consiliarii nec Residents, nec substituti subscripsérunt, frustraque Montgarettus Concilii decreto 22 Maii inducias confirmanti, et superius collocato, manum apposuit nec Consiliarius Residens, nec Residenti tunc substitutus, quia non substituendus homo Lageniensis, nisi alicui ex tribus Consiliariis Lageniensibus, qui tres, nempe Richardus Bellingus, Patricius Brianus, et Robertus Devereux, illi acto subscripsérunt. Quod ad Felimum, seu Felicem O Nellum spectat, quo jure et ipse subscripsérat? Tres enim Consiliarii Residents Ultonienses erant Episcopus Clogherensis, Henricus O Nellus, et Turlachus O Boille, qui nunquam eo adduci poterant, ut induciis confirmandis subscriberent. Nec enim Consiliariis Residentibus subscribere recusantibus, sed utilitate vel necessitate publica absentibus, juxta ultimorum Comitiorum decretum non residentes erant substitundi, proindeque nec illis tunc Felix, licet esset Ultoniensis et Consiliarius non Residens, erat substituendus. Verum ex duodecim Residentibus Consiliarii septem inducias praefato edicto 22 Maii approbarunt, eidemque manus apposuerunt, nempe tres Conacienses, Athunrius, Lucas Dillon, et Robuccus Lincaeus, nec non tres Lagenienses jam dicti, cum Fenello Momoniensi. Et quem hic Momoniae non misereat, Provinciae adeo vastae, fertilis, populosae, Proceribus

1316 et nobilibus plenae, portibus, urbibus, et oppidis magnifice variegatae, cuius tamen inducias tanti momenti approbarunt, promulgaruntque aliarum Provinciarum indigenae, subscribente Momoniensium nemine praeter Fenellum, Doctorem Medicum, e Galeni aphorismis ad Reipublicae clavum eo titulo elevatum, quod Ormonii esset aere et libra? *Sic superi voluere.*

(496) Quod ad alios duos Consiliarios Momonienses spectat, horum Episcopus Limericensis, licet ex mediis Ormonistarum partibus esse censeretur, et nedum prioribus actis ad inducias maturandas tendentibus, sed etiam ipsis instructionibus 9^o Maii subscrisperit, ortis tamen circa inducias novis exinde difficultibus praefatum decretum, quo 22 Maii confirmatae essent, suo calculo non roboravit, sicut nec tertius Consiliarius Momoniensis, Galfridus, vel Zepherinus Barronus, qui utique is ipse erat, de quo seditiosus ille Eduardus Birminghamus sua 11 Maii ad Felicem O Nellum epistola superius posita: "Nec tutum (inquit) nec idoneum visum fuit negotium illud ei, de quo mentionem feceras, communicare, cum (sicut qui ex Concilio concessu sunt, me monent) palam et immobiliter stet a Nuncio et Eugenio O Nello." Haec ille.

(497) Porro ex praefatis septem Consiliariis Residentibus, qui inducias confirmarunt, Dillonus, Bellinus, et Fenellus, ita erant ex pacis Ormonicae anno 1646 contractae, et a Clero tunc, deindeque anno 1647 a frequentissimis Regni Comitiis proscriptae authoribus, et Brianus ex fautoribus, ut propterea tres primi eodem anno 1646 magistratu abdicati et in carcerem fuerint conjecti. Quid ergo ab his tribus illoque quarto, eorum collega, expectandum quam ut inducias, viam praetoriam ad Ormonium revocandum et Clerum deprimendum sternentes, velis remisque promoverent? Quintus, nempe Athunriae Baro, praefati Dilloni gener cum esset, socero, et aliis illis martyribus Ormonicis facilius astipulatus fuerit. Duorum aliorum unus Robuccus Lincaeus timebat ne possessiones ecclesiasticas sub haereseos tyrannide partas, si Ecclesia et religio in Ibernia triumpharet, restituere cogeretur. Alter, nempe Robertus Devereux, quantus esset Ormonista, ex modo, quo in Consiliarium indutus est, jam memorato patet. Et hi quidem sunt septem Consiliarii, qui tantum Iberniae mutationem cuderunt in nationis et Ecclesiae ibi ruinam.

(498) Concilium non nisi induciis jam pactis se demum ad respondendum Nuncio super propositionibus et literis 13 Maii ab eo missis accinxit. Ac primo quidem haud ignorans multos

(sicut etiam propositionum jam dictarum prima praecavetur) magno teneri metu, ne per inducias via ad pacem Ecclesiae inquam muniretur, edidit, et Nuncio misit actum sequens, quod Concilii Diarium tradit esse nendum Concilii, sed etiam Provincialium Momoniae et Lageniae superius memoratorum.

"Per Supremum Concilium Confaederatorum Iberniae Catholicorum."

(499) "Quia nobis significatum est non deesse quosdam, qui in populi animos nostrorum actorum ac processus nostri dis-
plicentiam eo nomine infundere conantur, | quasi praecipuus
conclusarum cum D. Barone de Insequin induciarum scopus
esset pacem pridem rejectam denuo introducere, nos vero etsi
perspectum habeamus quam infructuosa et varia sint hujusmodi
hominum molimina, quamque exigua id generis aspersionibus
apud Confaederatos Catholicos fidem sibi pepererint, ut tamen
justae conscientiarum nostrarum causae patrocinemur, aliosque
si qui forte seduci possent a falsitate et errore teneamus, pro-
testamur ac publice declaramus quod neque nos neque ulli de
nostro consilio aut auxilio, directe aut indirecte, ullam aliam
pacem introducemus, quam quae ultimorum Generalium Comi-
tiorum praescripto probata, nostrisque oratoribus tam Romam
quam in Gallias et Hispanias expeditis procuranda in mandatis
comissa est usque dum Generalia Confaederatorum Comitia
aliter decreverint. Et quod nos pro virili obsistemus omnibus
et singulis personis, quae quomodolibet aliam quamlibet pacem
introducere tentabunt, quam quae praedictis oratoribus nostris
a Confaederatis Catholicis suo nomine sollicitanda praescripta
est, aut dicta Comitia amplexandam judicabunt. Datum
Kilkenniae 22 Maii 1648.

"Impressum de mandato Supremi Concilii, etc."

(500) Misit etiam Concilium ad Nuncium cum Maelmorro
O Rellio, militum Tribuno, induciarum una contractum, et
epistolam, ac Propositiones, quibus ad Nuncii literas 13 Maii
scriptas atque ad annexas tunc literis Propositiones responderit.
Epistolam hic habes:

"Illustrissime ac Reverendissime Domine.

(501) "Illis, quas ad nos detulerant, Propositionibus DD.
Patricius Brian et Galfridus Barron a D.V. Illustrissima (jam
peractis et publicatis induciis cum Barone de Insequin) respon-

Concilii
Diar.

1317

Convoca-
turi erant
Comitia ex
Ormonistis
confienda.

demus, pendente enim illa cessationis disceptatione, ignari quam in Provinciam moles belli transferenda esset, certi quidquam statuere nequivimus. Et licet penitus ignoremus unde talis diffidentia, et motus causa oriatur, omnibus tamen, quae suggerit Illustrissima D. vestra, quantum in nobis est, satisfacendum esse duximus, praecamurque enixe ut huc iterum redire velit, quo praesente, de expeditione aliqua in bonum Catholicae religionis pro Suae Sanctitatis et patriae gloria ineunda tractari possit. Anni tempus et inimicorum adhuc dispersae vires suadent rem gerendam ea inter nos concordia et animorum consensu, quibus hostes in nostram armantur ruinam, si nos prolixe consultantes praeveniant Parlamentarii, unitis et eductis in campum viribus, procul dubio superiores erunt. Una etiam cum his induciarum conditiones mittimus, quibus perlectis, videbit Illustrissima D.V. quam provide religioni Catholicae et Clero consultum sit. Neque enim, nisi Deo specialiter concurrente, sperandum erat adversae religionis hominem, nostratum spoliis et victoria elatum, in induciis sanciendis (quibus ex natura sua nullae tales convenient conditiones) velle in hoc pactum descendere. Mittimus etiam D. Didaci de La Torre protestationem eo quod illi suae Catholicae Majestatis nomine de pecuniis Regis per fregatam Illustrissimae D. vestrae captis conquerenti, justitia tanto tempore differatur. Diu est ex quo supplicem ejus libellum ad Illustrissimam D. vestram misimus. Jam vero cum ad has angustias res dilata sit, ut haud dubie mercatores nostri in Regis Hispaniarum ditionibus male tractandi sint, rogamus per Procuratorem suum in curia adesse velit Illustrissima D. Vestra et in juris consueta forma respondere. Nos enim omnia quae juste fieri possunt peragere decrevimus, ne tantum Regem iratum experiamur. Illustrissimae D.V. manus deosculamur.

Illustrissimae ac Reverendissimae D.V.

Addictissimi servi,

Athenry. Lucas Dillon. Rob. Linch. Rich. Bellings.
Felim O Neille. Gerald Fenell. Patric. Brian. Robert
Devereux."

(502) Praefatae etiam Concilii Propositiones, quibus ad alias a Nuncio 13 Maii missas, et superius positas (quas, ad has melius perpendendas, prius ibi legas) hic sequuntur.

"Supremi Concilii Confaederatorum Iberniae Catholicon ad Propositiones Illustrissimi D. Nuncii Responsa."

(503) "Ad 1^{am} respondetur: Rebus singulis in ea contentis jam a nobis, tam ipso Associationis nostrae juramento, quam postrema nostra declaratione (cujus annexum est exemplar) abunde satisfactum esse.

Philop. L.
I. p. III.
et Conc.
Diar.

(504) "Ad 2^{am} respondetur: Nobis curae fore, ut nemo cuiquam e nostris exercitibus praeficiatur, quin sit vir bonus, moderatus, aequus, et Catholicae causae fidelis promotor, quique hujus rei sufficientia argumenta non praebuerit; et quo cautius ac securius in hoc negotio procedamus, statuimus non nulla hujus ordinis membra ad exercitus legare, quorum consilio Praefecti Generales in rebus majoris momenti utentur; nosque (siquae ejus rei sufficiens causa aut ratio innotuerit) quemlibet amovebimus ejuscemodi praefecture ex exercenda minus idoneum: acceptum habituri, si tempestiva notitia detur subesse aliquam exceptionis causam adversus quemquam eorum, qui a nobis exercitibus aut hactenus praefecti sunt, aut in posterum praeficiuntur.

(505) "Ad 3^{am} respondetur: Tantum ac talem Provinciae Ultoniae exercitum quantum hic ordo expedire judicaverit, idoneae expeditioni destinandum. Ejus porro exercitus robur ex septem peditum millibus et octingentis equitibus consistet. Componetur vero ex legionibus peditum octo, videlicet Domini Generalis D. Vicecomitis de Iveagh; Phelimii O Nelli, Alexandri Mac-Donell, Rogerii Maguirii, Philippi Mac Hugh O Relly, Colonelli Mac-Mahony, et de Tir-Conel, et duabus equestribus, una Henrici O Nelli, et altera Ludovici O Morry. Et sique sunt supernumerariae copiae exautorabuntur. Hic mentionem non facimus Sub-Praefecti Generalis Feralli, quem supponimus virium Provinciae Conaciae legatum.

(506) "Quod ad expeditionem attinet, ad quam hunc exercitum destinare conveniat, praeterita ejus dissidia effecerunt, ut minus tutum arbitremur eum cum aliis exercitibus jungere. Unde nobis probatur, ut dum alii exercitus alia moliuntur, iste quoque aliquid sibi peculiare aggrediatur, Trum videlicet, Dundalcum, Vadipontum, Neurium, Ennischelinum, aut quamlibet aliam munitionem, aut propugnaculum hostile in istis partibus.

(507) "Quod vero ad alendum hunc exercitum spectat, nobis placet (postquam de rebus ipsis earumque securitate modo inferius explicando conventum fuerit) ut D. Vesta huic exercitui ex suppetiis a Sanctitate Sua ad nos missis tantum solvat, quantum cum Ultoniae contributionibus et propriis

armentis pro eo inter aestivas expeditiones alendo satis erit. Hyberna autem, seu praesidia ipsi in proximam hyemem, sicut et aliis Catholicis exercitibus Regni impensis aequitate nos servata procurare studebimus.

(508) " Porro quemadmodum bono pacis et conservandae Faederatorum Catholicorum unionis causa ad pacta haec et peculiares conditiones descendere, easque concedere consen-

1318 taneum duximus, ita declaramus ea nos lege postulatis assentiri, ut securitas vicissim nobis detur Praefectum ipsum Generalem, aliasque hujus exercitus Duces et milites statis temporibus, imo quoties jussi fuerint, exactam ac promptam obedientiam omnibus, tam Generalium Comitiorum, quam Supremi Concilii mandatis praestituros juramentum Associationis, quoad omnes ejus partes servaturos, denique eundem Praefectum Generalem primoresque exercitus illius duces, quo suam erga nos nostraque mandata observantiam manifestent, ante aut die ipsa decima Junii proxime futuri coram nobis se praesentaturos, ubi juramentum a nobis ipsis proponendum utique juramento Associationis consonum ejusque confirmativum praestabunt.

(509) " Ad 4^{am} respondetur: quod cum jam conclusae sint Induciae, forte necesse erit exercitum Provinciae Momoniae ad minorem militum numerum, quam quo hactenus constituit, contrahere, nos vero cum Provincialibus ejusdem Provinciae Comitiis de ejus exercitus reductione et compositione consilium inibimus, in quo si forte minus aequi judices apparuerint, nostram nos autoritatem, qua ad justitiae normam redigantur, interponemus.

(510) " Ad 5^{am} respondetur: Omnes belli Duces juramentum praestaturos nostrae ultimae protestationi consonum ejusque confirmativum.

(511) " Ad 6^{am} respondetur: Castello in Maino flumine sito ita provisum esse, ut in custodia illius, a quo nunc tenetur, durante hac cessatione securum sit, quin et caetera Castella intra limites Domino de Insequin assignatos suis possessoribus certa manebunt ac secura.

(512) " Ad 7^{mam} respondetur: Neminem a nobis ad civilia Momoniae Provinciae munia nominatum esse, quin juramentum Associationis praestiterit, atque adeo jura nobilium et Cleri ejus Provinciae totiusque Regni teneatur defendere. Quod si quae sit exceptio erga ministrorum illorum quemquam, aut moderatior quisquam aut aptior a DD. VV. produci possit aut indicari, nos ea de re deliberare, eamque pro ejus magnitudine

et merito perpendere, et in omnibus quantum fieri poterit pro DD. vestrarum satisfactione procedere parati sumus." Haec Consiliarii.

(513) Eidem Maelmorro O Relly in mandatis dedit Concilium ut non solum hos fasciculos Nuncio traderet, sed etiam illi atque Eugenio O Nello suam ipsorum de conservanda Faederatorum unione praeservandoque exercitu Ultoniensi curam exponeret, et si Nuncius atque Eugenius hisce responsis minus sibi satisfactum esse testificantur, ea ille Philippo Hugonis O Relly et Maguire in exercitu Ultoniensi Tribunis nec non aliis earundem copiarum ducibus aperiret, et cessationis articulos ostenderet. Nec videtur dubitandum, quin hic nobilis Ultoniensis Concilii partibus studens ad suos cognatos et notos a Concilio missus sit in idoneum instrumentum, quo, nisi Eugenius se in Concilii obsequio continere mallet, ad insurgendum in Eugenium vel saltem ad deficiendum ab Eugenio sollicitarentur. Verum ille conatus ad nihilum recidit sicut inferius videbitur.

(514) Nuncius ipsa die 13 Maii, qua Concilio antea scripsерat, Mariamburgo ad vicinum Castellum Kilmense, haereticis anno 1646 ab Eugenio O Nello extortum se reoperat, ibique hactenus Concilii responsum expectabat, quo demum (sicut praelibatum est) secus ac speraret, recepto, scripsit Concilio hanc epistolam.
" Illustrissimi ac Reverendissimi Domini.

(515) " Quandoquidem cessatio Momoniensis | habuit jam 1318 conclusionem suam, superfluum est loqui amplius de propositionibus ad DD. VV. Illustrissimas hinc destinatis, cum in illarum responsionibus multa videam, in quibus partes convenire nullatenus possunt. Igitur nihil adhuc mihi restat, quam DD. VV. Illustrissimis idem repetere, quod in meo discessu ad easdem scripsi, nempe me non posse salva conscientia aut laudare aut approbare dictam cessationem, ac proinde futurum me spectatorem eventuum, assidue nihilominus orantem ut sanctae nostrae fidei, pro qua tot annis bellatum est in Ibernia, non ea eveniant damna, quae p[re]aevideo.

(516) " Licet crastina die resumpturus sim iter versus Comitatum Regis, fateor nihilominus me alienum non esse a reditu in istam civitatem ut aliquid communi bono conferre possim, si video me a DD. VV. Illustrissimis non male haberi in iis praecipue rebus, de quibus existimo D. Decanum Firmanum jugiter apud illas instare. In quo sine dubio nedum excusari, sed laudari mereor a DD. vestris, cum Pontificius

Conc.
Diarium.

Legatus omnia cum ejusdem Summi Pontificis honore gerere
debeat, eo maxime tempore, quo Agentes Iberni peculiarem
Sanctitatis Suae benevolentiam praesentes experiuntur.

(517) "Quoad protestationem D. Didaci de La Torre non
videor mihi negligentiae conscientia, cum statim ac accepi primam
illius petitionem a DD. VV. Illustrissimis eam D. Decano con-
signavi ut responderet, ac sane miror cur ipse tamdui
responsionem distulerit. Nihilominus tamen censui scribendum
Sanctissimo D. Nostro, eandemque petitionem mittendam, ut
Sanctitas Sua cum Oratore Serenissimi Catholicae Regis rem
facilius tractare quam hic inter nos Ministros, ex quorum
dissensione non nisi Regno damnum et fidei Catholicae detri-
mentum provenire possit, atque ob id D. Nuncio Gallico
scripsi, ut quascumque notitias de causa praedae habuit in illa
curia Romam transmittat ad faciliorem rei intelligentiam.
Existimoque DD. VV. Illustrissimas et prudentiae et zeli
laudatum iri, si, amputatis hic quaestionibus, ad eosdem
Principes totum remittant, quod spero ab ipsis, et precor, dum
illis manus officiose deosculor.

DD. VV. Illustrissimarum

Addictissimus servus.

Kilmensis, Ioannes Baptista Archiepiscopus Firmanus."
25 Maii 1648.

(518) Controversia, quae in superioribus Concilii literis 23
Maii ad Nuncium datis, et hic rursus a Nuncio vicissim tangitur,
D. Didaco de La Torre, Regis Catholici in Ibernia Agenti, cum
Nuncio intercesserat circa pecuniam cum aliis manubiis hyeme
superiore a Nuncii fregata in Oceano Gallico captam, quam ille
Hispanicam proindeque restituendam, alii Anglicanam,
ideoque non restituendam esse contendebant. Hanc item suo
loco fusius enucleabimus. Concilii autem propositiones Nuncio
et Eugenio non satisfecerunt. Nam prima circa primam
Nuncii propositionem nulla eum nova securitate tranquillum
reddit, praeter chartaceam Concilii pollicitationem 22 Maii
editam et superius positam, qua Concilium non spondet se in id
totis viribus incubitum, ut pax ab ultimis Comitiis pra-
scripta obtineatur, sed tantum protestatur se nec pacem anno
1646 proscriptam, nec aliam praeter praefatam, cuius limites
et leges ab ultimis Comitiis praefinitas esse diximus, admis-

surum | usque dum Generalia Faederatorum Comitia aliter 1319 decreverint. Ex quo Nuncius arguit illis decretum fuisse ita Reg. p. 620.
 res disponere, ut nec pax illa utilis obtineretur, et Comitia 15 Junii
 Generalia ex membris sibi majore ex parte studentibus com- 1648 ad
 pingenda convocarent, quatenus his suffragantibus acta ultimorum Card.
 Comitiorum ad pacem illam utilissimam obtinendam tendentia Panziro-
 rescinderent, et aliam pro libitu suo et libidine in Ecclesiae ac lum.
 religionis detrimentum intruderent. Quod totum et tunc
 prudentissime timendum erat, et postea successit, quamvis
 Concilium praefata declaratione interea iis, qui res uti prima
 fronde apparent, perpendere solent, satisfecisse videretur.

(519) Ad secundam Nuncii propositionem, qua postulavit *ut praeficerentur exercitibus Momoniensi et Lageniensi Praefecti indiferentes*, Concilii 2^a ita respondit, ut Nuncius et Eugenius tunc judicarint Concilium sola verba deditio, et voluisse plusquam unquam ut Taaffus, et Prestonus, aliquae inferiores Duces Ormonistae in utroque exercitu imperarent, in fines Ecclesiae et faederi Catholico exitiales.

(520) Ad 3^{am}, qua Nuncius petierat, ut exercitus Ultoniensis impenderetur, stipendia perinde atque aliae copiae recipere, et de hybernaculis in futuram hyemem apud Provincias Regni habitatas securus redderetur, licet Concilium 3^a sua propositione responderit modo, quo plusquam reliquis satisfacere videretur, Eugenius tamen caeteris propositionibus denegatis, et induciis jam contractis, hanc non admisit. Metuebat enim ipse ne, dum Lageniae loca memorata obsideret, nedum ab hostibus, sed Reg. p. 698. etiam ab Ormonistis Catholicis in eadem Lagenia militaturis opprimeretur. Quod autem ad Iniskilliniam in Ultonia vel alia ibi obsidenda loca spectat, invenio eum etiam antea dum Kilkenniae res inter Clerum et Concilium componerentur, non Reg. p. 698. fuisse propensum ad movendum in Ultoniam. Quod mihi admirandum videtur, et mutationem induciarum intuitu resultasse crediderim, cum antea Ultonienses mense Martio copias in suam illam Provinciam ab haereticis deliberandam reducere decreverint, missis ad Concilium, qui decreti confirmationem postularent, adeo ut ipse Nuncius tunc multis rationibus superius insertis operam dederit, ut Eugenium et exercitum Ultonensem ab ea sententia dimoveret. Quicquid autem sit, omnino certum est propositionibus a Nuncio ad Concilium 13 Maii missis, in quibus Eugenium etiam praesentem consensisse vidimus, non fuisse postulatum ut exercitus Ultonensis in unam Provinciam potuis quam ad aliam, vel ad hanc expeditionem

potius quam ad illam destinaretur, sed simpliciter *ut occuparetur in competente servitio Regni, solveretur aequa atque ullus alius exercitus, et securaretur de quarteriis hyemalibus obtinendis proxima futura jam hyeme in Provinciis habitatis.* Sunt ipsa verba. Concilium autem sua ad hanc propositionem responsione superius posita satisfecisse videtur, sed denegatis aliis propositionibus, et contractis jam induciis, proindeque mutata rerum facie mutatae sunt deliberationes. Nam ut multa alia

¹³¹⁹ ad praefatas propositions denegatas, et inducias spectantia silentio praetereamus, certum est Scotiam tunc recens magno

v instructo exercitu adversus Angliam movisse, eamque ob causam Scotos in Ultonia ad hanc Scotiae cum Angliae Parliamentariis discordiam nutasse ad profitendum si non corde, certe ore, Regis obsequium, quia suae Scotiae sortem secuturos. Quibus (si et ubi ipsi vellent) ^{14^{us}) induciarum cum Insequinnio initiarum articulus de tutela prospexit videtur. Audi articulum: "Ut (inquit) personae quaelibet, sive dictis Faederatis Catholicis, sive dicto D. Baroni de Insequin *adhaerentes*, quae se pro Regia Majestate stare declaraverint, si his articulis sese submiserint, eorumque tenorem observaverint, ad alterutrius partis instantiam hujus cessationis beneficio gaudeant." Haec articulus. Itaque Eugenius metuerit ne, si in Ultoniam adversum Scotos moveret, cum esset in procinctu ad triumphum confidendum, Scotti sub hujus articuli umbra requiescerent. Nec temerarium fuisse hoc judicium ex eo colligitur, quod hoc faedus cum Scotia tunc occulte procurabatur. Id multaque alia *huc spectantia te docebit sequens Actum in Scotia ab illius Regni Calvinistis jam ad Regis obedientiam utcumque redeuntibus latum ex Anglo Latinum.*}

(521) "Nos Commissarii Status Parlamenti Regni Scotiae receiptis non nullis propositionibus et postulatis per Majorem, Gulielmum Patersonum, Illustrissimi D. Baronis Insequinniae Praesidis Provinciae Momoniae, et copiarum Protestantium, quibus imperat, Agentem, hoc responsum damus, nempe, nos molestissime ferre extremas angustias, ad quas Baro Insequinniae redactus fuit malitia partium *Independentium* in Anglia. Patet autem ex relatione nobis facta suam Dominationem et Protestantium exercitum in Provincia Momoniae non iis valuisse viribus ut semper *communibus hostibus* obsisterent, sed necessitate fuisse compulsos ad contrahendam cum eorum non nullis armorum cessationem, *quo eos et inter semetipsos discordes redderent*, et ambas partes mutuo ac pertinaci dissidio impli-

carent, ea ratione valentius insecuri Eugenium *Rufum*, atque eorum partes, qui Coronae Anglicanae jura directe impugnant, et exterorum studiis militant. Idque eo tempore, quo ipso (Insequinno) spes ponenda esset, nec cogendus fuisse ad inducias cum illis, qui tanti sanguinis Protestantium illic fusi rei sunt, ineundas, ad quas in professo est suam Dominationem necessitate fuisse coactam, quod suppeditata non fuerint subsidia necessaria, quibus in bello adversum illos progrederetur. Regnum Scotiae, licet ex parte sua nullam cum Romanis Catholicis ibi vel alibi conjunctionem vel associationem quovis praetextu admittere nequeant, nihilominus Baroni Insequinniae et, quibus praeest, *Protestantibus* semper et libentissime pro viribus opem ferent adversus Eugenium *Rufum*, omnesque, qui ab eo stant, et erga Coronam Anglicanam contumaces vixerint, perstiterintque, perinde ac adversum praevalentes *Independentium* partes in Anglia et Scotia, eoque fine eundem Insequinniae Baronem, ejusque exercitum, omnesque illi vel adhaerentes, vel adhaesuros imposterum, communi *pacto* et *faedere* includemus inter omnes pacis tractatus et conventiones, quas haec natio suo nomine celebrabit. Et expectamus ut sua | Dominatio nullam sibi suisque partibus, nisi hoc Regno rebusque, quae ad id spectant, comprehensis, ineat conventionem. Baroni Insequinniae committimus, ut cum Clanricardiae Marchione, Dominis Praefectis Generalibus, Prestono et Taaffo, et Ibernis Regis autoritati obtemperaturis paciscatur, ea semper lege *ut conventionis conditiones in Protestantiae religionis praejudicium non redundant*. Quod ad Ormoniae Marchionem pertinet, eum observamus velut virum honoris et fidelitatis plenum et erga religionem bene affectum, sicut ex Baronis Insequinniae literis intelligimus. Quare Protestantum exercitus in Momonia suo honori haud mediocriter consulent, modo autoritatem, *qua a Rege munitur, agnoscant et morem gerant*; non nullos ex nostris, qui illic resideant, destinabimus. Interea temporis Insequinniae Baronem rogamus ut bona semper foveat consiliorum commercia cum Commissariis Status hujus Regni Edinburgi residentibus, et cum nostro exercitu, nec non viribus Scoticis in Ultonia.

(522) "Latum et conventum a Commissariis Status, eorumque mandato et nomine signandum a Craffordiae et Lindsiae Comite, supremo hujus Regni Thesaurario et Commissariorum Praeside.

" Signatum: Craffordius."

(523) Itaque (ut multa alia in hoc acto circa inducias a Conilio Supremo cum Insequinno initas ipsius lectoris judicio obvia

praeteream) haud imprudenter metuerit Eugenius O Nellus ne,
 1320 si juxta conditiones | a Concilio propositas in Ultoniae Scotos
 v moveret in illa Lageniae castra, quae haereticis anno 1646
 extorserat, et magnis impensis exinde vallaverat, Ormonistae,
 dum ipse in Ultonia abesset, invaderent, deindeque non solum
 expeditio Ultoniensis juxta praefatum cessationis articulum ad
 nihilum recideret, sed etiam ne eo magnam partem sibi a
 Concilio proposita fuerit ut Ultoniae Scotti, ubi se ruinae vicinos
 animadvertissent, tutelae causa Insequinnii induciis subscribere
 cogerentur, a Concilio tunc, nedum ab Insequinno protegendi
 et cum iisdem etiam Eugenium, nisi caeptis desisteret, et eandem
 pactionem amplecteretur, aggressuri juxta tertium et praefatum
 14m induciarum articulum, quo fieret ut Ormonistae suis et
 Insequinnii viribus nec non hac Scotorum apud Ultoniam
 accessione freti Clerum partesque ejus magis riderent, et suum
 Ormonium in Proregem revocarent.

(524) Denique ad caeteras etiam Nuncii propositiones ita res-
 pondit Concilium, ut ille tradat se atque Eugenium judicasse
 nihil sibi fore reliquum, quam, si non ex tempore, certe cum
 tempore, fugam, nisi induciis in ipso partu praefocatis vim vi
 repelleret. Et quia Dei omnipotentis, qui *fecit semitam viae*
irae suaे, providentia in sui dispositione non fallitur, illis ipsis
 diebus accepit Nuncius a diligentissimis arcanorum scrutatoribus
 ex Gallia literas, quarum ipsissimo die 20 Maii, quo inducias
 conclusae esset, summam Kilmensi in suum Diarium retulit.
 Continebant autem Ormonium totis viribus in Gallia conniti ut
 ipse a Regina Angliae et Principe Walliae Prorex in Iberniam
 1321 destinaretur, inque eum finem | potentissime fuisse adjutum, sed
 praecipuam in Taaffo, copiarum Catholicarum Momoniensium
 Praefecto Generali, et in praedictis induciis, tunc cum illae ex
 Gallia litterae scriberentur, non contractis sed contrahendis
 spem posuisse, adeo ut Faederatorum legati ad Reginam Angliae
 et Walliae Principem missi, et potissimum Antrimiae Marchio
 haud futurum sperarent ut proficuas religioni conditions obtine-
 rent, quae litterae Nuncium ad abhorrendum ab induciis magis
 stimularunt. Quare Massarius, quem Kilkenniae reliquerat, ejus
 et quorundam ei assistentium Episcoporum mandato ecclesiarum
 Kilkenniensium valvis decreti a Clero 27 Aprilis in inducias lati
 exemplar affixerat populo notificandum, sed mox violenter
 ablatum, idque (ut aiunt) a Doctore Fenello, uno ex Con-
 Diar. siliariis. Nuncius id 25 Maii affixum fuisse tradit. Idque
 ipsum in sententia appellationis a Concilio interposita et in

chartis a P. Joanne Roweo ex Ibernia paulo post Romanam ad hanc induciarum causam adversus Nuncium prosequendam destinato in Urbe porrectis lego, licet 27 Maii affixum fuisse colligendum videatur ex acto Anglico, quo Concilium eodem die 27 Maii occurrit falso et impie declarans se inducias etiam religioni et Clero tutas contraxisse; proindeque Nuncium contra piam Suae Sanctitatis mentem, paucorum hominum privatis rebus addictorum et subjectionis impatientium suggestione possessum nullam non tentare viam, qua Faederatos in perniciem mutuam animet, eoque fine effecisse ut id Cleri decretum Kilkenniae valvis affigeretur. Denique ibidem pergit Concilium monens Faederatos ut in obsequio spretis Nuncii | consiliis et 1321 conatibus persistant, et ab eodem Nuncio appellans ad Suam v Sanctitatem. Hoc Concilii decretum aptiorem inferius sibi locum vindicat, ubi Cleri etiam vindicationem ad latus collocabo, ut lector ambarum partium rationes melius ad trutinam revocet. Interea idem D. Massarius, viso quod quidam Theologi et Juris periti in Concilii favorem circa praefatum Cleri decretum 27 Aprilis in inducias latum, et nuperrime a se Kilkenniae valvis affixum, respondissent, Nuncii mandato fultus sequentem excommunicationis sententiam, qua periculosarum et falsis fundamentis nixarum opinionum torrentem sisteret, ibidem fulminavit:

(525) " Dionisius Massarius, Juris utriusque Doctor, Concilii Diarium. ecclesiae Metropolitanae Firmanae Decanus, ac Nunciatura Iberniae Auditor generalis, nec non Commissarius ad id specialiter deputatus.

" Cum Illustrissimus ac Reverendissimus Dominus D. Joannes Baptista Rinuccinus, Dei et Sanctae Sedis Apostolicae gratia Archiepiscopus et Princeps Firmanus, ac in Iberniae Regno Nuncius Apostolicus extraordinarius, notitiam habuerit quod aliqui theologi seu canonistae saeculares vel Regulares praesumunt proferre verbo vel scripto sententias proprias super cessatione nuper conclusa contra sensum et declarationem Reverendissimorum Archiepiscoporum et Episcoporum hujus Regni, et viderit hujusmodi rem futuram scandalosam apud plerosque, misit ad nos ordines et facultates suas apostolicas ut super hac re ad tempus possimus providere sub data Kilmensi die 16 Maii 1648. Nos igitur, ut mandata Illustrissimi ac Reverendissimi Domini Nuncii pro bono publico punctualiter ac prompte exequamur, eadem Apostolica authoritate nobis insuper communicata et tradita praecipimus | et stricte 1322 mandamus, sub pena excommunicationis latae sententiae dicto alias 26 Maii.

Illustrissimo Domino Nuncio reservatae, omnibus et singulis personis cujuscumque dignitatis, gradus, status, officii, commissionis seu Religionis, etiam Societatis Jesu, quod non audeant post harum publicationem, seu hic seu alibi votum, sententiam, aut opinionem sub quovis praetextu aut quaesito colore, publice vel privatum, mediate vel immediate proferre; tradere, seu publicare contra dictum Reverendissimorum Archiepiscoporum et Episcoporum declarationem, non obstantibus quibuscumque privilegiis, facultatibus, seu exemptionibus. Sed si aliquis vel aliqui sint vel fuerint, qui contrarium censuerint, poterunt (sicut nos monemus) se transferre ad Illustrissimum Dominum supradictum Nuncium et ad praefatam Praelatorum Congregationem, et ibi suas opiniones, rationes, et fundamenta proponant et simul examinent, promittentes quod erunt humaniter et benevole recepti et auditи, imo ipsis notificabuntur tituli, causae et rationes, quibus supradicti Reverendissimi Domini moti fuerint declarationem praedictam pronuntiare, intimare, et publicare, ad effectum quod omnes unanimiter et concorditer ad eundem finem pro majori gloria Dei et bono religionis, ac pro salute animarum procedant et agant. Declarantes quod praesentes per solam affixionem ad valvas ecclesiarum hujus civitatis eundem effectum habent ac si omnibus et singulis essent personaliter praesentatae, etc. In quorum fidem, etc. Datum Kilkenniae, 27 Maii anno 1648.

Dionisius Massarius, Decanus, Auditor et Commissarius."

(526) Falluntur Philopater Irenaeus et Concilii Diarium, ubi habent Nuncium hoc ipso die 27 Maii ad Concilium Kilmensi dedisse literas superius positas, quas mihi ex altero earum exemplari et ex propriis Nuncii apicibus jam ante oculos positis liquet 25 Maii fuisse | exaratas. Quare ille post Concilii Diarium errabundus injuria Nuncium incusat, quasi ex una parte illis literis se futurum dixerit eventuum spectatorem, nihilque de censorum interminatione vel intimando praemiserit, et ex altera parte eodem die unam, nempe praefatam, Massarius ejus nomine Kilkenniae, et ipse alteram Kilmensi excommunicationem inferius inserendam vibravit. Haec inquam in veritatem non quadrant, cum epistolam illam superius insertam Nuncius 25 Maii scripserit, qua inter alia sic Concilio loquitur. "Fateor (inquit) me alienum non esse a reditu in istam civitatem ut aliquid communi bono conferre possim, si videro me a DD. VV. Illustrissimis non male haberet in iis praecipue rebus, de quibus existimo D. Decanum Firmanum jugiter apud

illas instare. In quo sine dubio nedum excusari sed laudari mereor a DD. vestris, cum Pontificis Legatus omnia cum ejusdem Summi Pontificis honore gerere debeat, eo maxime tempore, quo Agentes Iberniae peculiarem Sanctitatis Suae benevolentiam praesentes experiuntur." Haec Nuncius. Quae autem fuerint illa, quae Decano Firmano, nempe Massario, in mandatis dederat decreta ejus nomine ecclesiarum Kilkenniensium valvis a Massario affixa declarasse videntur, nempe auditio inducias fuisse pactas et promulgatas, voluit ut Cleri decretum, quo illae 27 Aprilis damnatae sunt, a Massario modo jam dicto palam affigeretur, proindeque id toti Regno innotesceret, deindeque Theologorum et Jurisperitorum nemo periculosis opinionibus eo spectantibus populum seduceret, sed ad se et assistentes atque astituros sibi Praelatos consultationis causa recurreretur. Denique decretum habuit cum iisdem Praelatis in deliberationem vocare, quid expediret? Concilium autem 1323 valde timebat ne (sicut anno 1646 in pacem Ormonicam processerat) Cleri Synodum indiceret, parique modo in ea inducias censuris eliminaret. Quare ipso die 25 Maii, quo Nuncium Concilio scripsisse et Cleri decretum a Massario valvis Kilkeniensibus affixum esse diximus, Concilium ad Nuncium scripsit quod hic ex autographo insero:

"Illustrissime ac Reverendissime Domine.

(527) "Audivimus Illustrissimam Dominationem vestram Galviae vel Athloniae Synodum Nationalem convocaturam brevi, et licet de aliis, quae super illo negotio ad supremam Regni autoritatem spectant, loqui nolle velimus, tamen tempus ad educendos exercitus idoneum diversa hominum studia et similitates nos admonent, ut enixe ab Illustrissima D. Vestra petamus ne Synodum illam tempore tam incommodo, rebus adeo distractis, indicere velit. Et quandocumque talis conventio, omni remoto obstaculo futura sit, ut locus magis securus eligatur quam Atlonia, quae in potestate hominis a Conventu Generali proscripti remanet, et magis opportunus quam Galvia, quae in angulo Regni posita, a nobis longe distat, et illis qui istuc venturi sunt pro loci distantia maxime incommoda est.

Illustrissimae Dominationis vestrae manus deosculamur.

Illustrissimae ac Reverendissimae Dominationis vestrae
Kilkenniae,

25 Maii 1648.

Addictissimi servi,

Athunry.	Lucas Dillon.	Robuccus Linch.	Richardus
Bellings.	Gerald Fenell.	Robert Devereux.	Patritius
Brian."			

1323 v (528) Verum ego, qui in Nuncii Scrinis satis superque me volutavi, nullibi apud ipsum evidenter reperio eum tunc Synodum Nationalem | convocare voluisse. Haud ignoro ejus literas 13 Maii ad Concilium scriptas, et praefatum Excommunicationis a Massario velut Nuncii delegato 27 Maii posterius Kilkenniae fulminatae decretum non nullam ejusmodi conjecturam parere potuisse, sed re ipsa mihi certo in suis Scrinis non occurrit Nuncio fuisse decretum ut tunc ante latas censuras Concilium Nationale convocaret. Constat tamen eum voluisse ut cum quatuor Praelatis 2 Maii a Clero secum delegatis deliberaret, quorum Episcopus Clogherensis jam ipsi assistebat, et tres alios, nempe Archiepiscopum Dublinensem, et duos Episcopos, Aladensem et Limericensem, quos Kilkenniae reliquerat, ad se accivit. Horum Limericensis respondit his verbis:

“ Illustrissime ac Reverendissime Domine.

(529) “ Statim atque recepi epistolam Illustrissimae Dominationis Vestrae, feci quantum potui si forte aut amicitia aut conductione possem habere equos pro hoc itinere, nec potui omnino praevalere. Existimavi enim ultimum experiri si forte dignatur Deus hoc extremo periculorum providere, ne per hanc civilem discordiam et natio et religio ruinae exponerentur. In Illustrissima enim Dominatione vestra sola agnosco remedium, cum ex nupera notitia aliquorum factorum diffidentia intumescat in partium animis adeo ut celari non possit, omnes hinc inde derelicta causa bona et publica inclinari ad domestica odia, et nisi dextre inducantur ad praeterita oblivioni danda, et incipere sub prioribus religionis vexillis communem inimicum repellere, toti orbi erimus ludibrio, odiosi Deo, et inimicis victima. Ego ita dolens praevidi et (quantum in me fuit) laboravi unionem Confaederatorum praeservare, et utinam ex hoc mundo, prius quam | videre liceat jugulari amicos meos ab amicis meis. Proposui discedere hinc ut quod suadendo hic efficere non possum, intra cubiculi mei secreta obtinere possim ab Altissimo. Deinde deliberavi expectare consilium Dominationis vestrae Illustrissimae. Video enim altare fore contra altare, et fratrem contra propinquum suum, quia plerique publice profitentur hanc tempestatem aliam non esse, quam nationalem discordiam fovere. Itaque iterum rogo humiliter et obtestor Illustrissimam Dominationem vestram, ut dignetur unioni nationis consulere, et praevidere quam maximum erit malum, aspicere Confaederatos effundere sanguinem Confaederatorum et gentem, quae a

temporibus S. Patricii Catholicam religionem retinuit inviolatam, in conspectu Nuncii Apostolici nec impedientis dum potuit, ad nihilum reduci, quod Deus avertat. Parcat Illustrissima Dominatio vestra misero, quod haec inconsulto scribam, quia patriae meae miserrimae exitum deploro, quem paefero servi-
tu in qua hactenus fuit. Deus Opt. Max. dirigat Amplitudinem tuam, ut praecatur

Illustrissimae et Reverendissimae Dominationis vestrae

Servus humillimus et obsequentissimus

Edmundus Limericensis."

Kilkenniae,

27 Maii 1648.

(530) Aladensis autem ante scriptam ad se Nuncii epistolam Kilkennia discesserat, in Conaciam redditurus; cuius responsum hic sequitur:

" Illustrissime mi ac Reverendissime Domine.

(531) " Sub horam octavam vespertinam heri recepi eam epistolam, quam quinta et vigesima mensis hujus die Illustrissima | Dominatio vestra perscripsit. Cum itaque hodierna dies 1324 sit trigesima et praestituta dies ut in *Fierbane* compaream, manifeste liquet id mihi omnino non modo difficile esse, sed paenitus extra omnem humanam potestatem in tanto locorum intervallo ac tenui mea, quam jam post longum emensum iter valetudine labore. In via enim non semel subsistere coactus sum, ac hoc tandem sub sextam et vigesimam hujus mensis diem perveni, nec ab eo tempore commode potui e cubiculo me proripere; atque haec, mi Illustrissime Domine, me sola causa valetudinis posset hic detinere. Si tamen possem sperare statuto loco ac tempore convenire, vel cum vitae periculo, in religionis patriaeque miseriis jam laborantibus auxilium, eo me conferrem. Miseret enim me (et nescio quis non moveretur, qui humanitatem non exuisset), miseret enim (inquam) intimis in visceribus videre passim vastatos agros, alias palantes et nomadum vagantes more, non paucos etiam hic Galviae et in vicinia fame enectos. Nulli parcendum labori existimo ut his malis remedium vel levatio saltem aliqua conquiratur. Deus Opt. Max. Illustrissimae Dominationis Vestrae conatus et studia optima promoveat, ac diu incolumem conservet. Id peroptat

Galviae,

30 Maii anno 1648.

Illustrissimae Dominationis vestrae

Servus in Christo

Franciscus Aladensis."

" Post scripta. Haec scripsi bene mane sub horam septimam."

(532) Quod ad Dubliniensem spectat, ejus responsum non occurrit. Tradit autem Nuncius hos tres Praelatos accedendi | dilationi excusationem prae tendisse et forsan fuisse subornatos. Praeter hos Nuncius etiam Archiepiscopum Tuamensem, quem pariter Kilkenniae reliquerat, licet non a Congregatione delegatum, literis pariter accersivit. Is autem Kilkennia recens in Conaciam regressus respondit his verbis:

"Illustrissime ac Reverendissime Domine mi observandissime.

(533) "Dominationis vestrae Illustrissimae litteras datas Mariburgi 25 Maii, hodie accepi. Quod appulerit Dominatio Vestra Illustrissima *Fierbane* gratulor multum, sperans inde profecturam in Conaciam et ipsi manus me deosculaturum. Modo muto domicilium, quia sic voluit Vestra Illustrissima Dominatio, quod bene fieri non potest me absente. Praefixi diem conventus toti Clero Tuamensi in Ecclesia Cathedrali 5 Junii, a quibus non possum sine damno famae et reputationis abesse, nec arripiendo iter *Fierban*, possem ante illum diem redire, et eo magis, quod tempus praefixum est dies crastinus, quo non possum eo pertingere ob temporis brevitatem et equorum debilitatem. Quare rogo Dominationem Vestram Illustrissimam habere me excusatum. Et siquid in bonum religionis fuerit conclusum, ego ad posse procurabo promoveri. Deosculor manus Illustrissimae Dominationis Vestrae.

Dominationis Vestrae Illustrissimae ac Reverendissimae
Loghreagh, Servus humillimus,
29 Maii, 1648. Joannes Tuamensis electus."

(534) Ex horum Praelatorum litteris colligere est Nuncium ad illos 25 Maii, nempe ipsissimo die, quo circa inducias jam promulgatas Concilio scripserat, | epistolas dedisse citatorias, diemque dixisse Maii trigesimum et *Fearbanum* in conventionis locum praestituisse. Qua etiam mente ipse praefata epistola 25 Maii ad Concilium data scripsisse videtur se *crastina die resumptum iter versus Comitatum Regis*. Quam tamen animi sententiam ob rationes inferius recensendas postea mutavit. Porro quod Tuamensis suis litteris Nuncio velut *Fearbanum* jam appulso congratuletur, loqua est ex conjectura. Nam a Nuncio monitus ut se ibi 30 Maii conveniret, jam Nuncium illo pervenisse conjectavit. Verum Nuncius rationibus quas dicam ductus, nec diem nec locum illis Praelatis condicturn ad deliberandum nec eorum responsum expectavit, sed cum Episcopo Clogherensi a Cleri Congregatione secundo Maii nominatim delegato, et tribus aliis Episcopis, nempe Rossensi, Corcagiensi, et Dunensi, quos

juxta factam sibi 2^o Maii a Clero potestatem in trium aliorum delegatorum absentium locum substituit, Censuras Kilmensi 27 Maii fulminavit, quae tamen (opinor) Kilkenniae non innovuerunt, nisi postquam Episcopus Limericensis propria ibidem manu Nuncio indidem scripsit secundam epistolam his verbis: " Illustrissime et Reverendissime Domine.

(535) " Ex quo ante scripsi Dominationi Vestrae Illustrissimae res semper in deterius succedunt, nec ulla fere spes reconciliationis appetit. Domini enim Consiliarii omnibus viis et modis inducias introducere ac firmare moluntur, et visis aliquibus decretis de mandato Illustrissimae Dominationis Vestrae affigi valvis ecclesiarum, et ipsi alia sua affigunt. Imo et armorum vim utrinque agi dicitur, et ipsi extrema quaeque experiri velle videntur quam inceptum deserere. Quid autem boni possum ego in talibus angustiis praestare? Nihil omnino. Convocandi sunt igitur omnes Regni Praelati; ipsorum enim causa agitur. Et ego eorum sententiae conformis ero. Et utinam adhuc huic rei fuisse peregrinus. Facilior enim fuisse a mea opinione develli, et vereor ne appareat in Clero circa hoc negotium animorum diversitas, quae certe labes non est assueta Clero Iberniae, quorum nullus unquam a temporibus S. Patricii ad hunc diem reperietur author haeresis aut erroris in fide. Itaque determinavi hinc discedere, ut dum in Republica ministranda nec felix nec aptus sim, tentare valeam oneri meo pro viribus satisfacere, et Deo pro prospero rerum successu praecabor. Et Illustrissimae Dominationis Vestrae manus humiliter deosculor.

Illustrissimae et Reverendissimae Dominationis vestrae.

Servus humillimus et obsequentissimus,

Kilkenniae,

Edmundus Limericensis."

29 Maii 1648.

(536) Nuncius licet 25 Maii ad Concilium scripserit se Kilmensi postridie discessurum et iter resumpturum, et quamvis ad aliquot Praelatos jam dictos eodem litteras dederat proscribens ut 30 Maii se *Fearbani* convenirent, nihilominus 26 Maii nescio quo detentus obstaculo non discessit, et 27 ejusdem mensis ibidem anxius in deliberationem vocavit numquid expediret ut inducias censuris prohiberet, an potius permitteret ut ab omnibus admitterentur, tametsi affirmet se de earum iniquitate non dubitasse. Sane Nuncio Cardinalis Panzirolus apicibus arcans 1^o Julii 1647 Suae Sanctitatis nomine ex Urbe missis praescripserat, ut ubi suis partibus satisfecisset, nec pacis nec induciarum negotiis

1326

1326 se amplius immisceret, sed ea illis | qui ad Regiminis clavum
 v sederent, relinquenter, suaeque Divinae Majestati causam com-
 mendaret. Quibus accedit eundem Cardinalem notis pariter
 arcanis 24 Aprilis 1647 ejusdem Pontificis nomine ipsi praescrip-
 sis ut, si ad subsidiorum Pontificiorum cum Massario missorum
 receptionem pax vel induciae essent jam conclusae vel propediem
 concludendae, ne unum quidem subsidiorum obolum in bellum
 Ibericum ulterius impenderet. Massarius autem hoc anno
 mense Martio in Iberiam appulit, induciaeque, de quibus con-
 trahendis Concilium Supremum recentissime post Massarii
 appulsum primitus Nuncio significavit, demum postea contractae
 censuris non erant cohibendae, nisi censurae armis et arma sub-
 sidiis Pontificiis secundanda forent. Haec ergo mandata
 Pontifica (ut alia similia 5 Novembris 1645 a Cardinale
 Pamphilio Suae Sanctitatis nomine notis itidem secretis missa
 hic non repetam) Nuncio censuras fulminaturo negotium
 facessebat. Ipse autem postea Romam reversus Innocentio X:
 Relat.
 Cap. 29. " Nec volo (inquit) dissimulare me Waterfordiae post Decani
 appulsum ardentissime cupisse cum ipso (ex Ibernia) regredi.
 Videbam jam res praecipitari sub jugo haereseos, potentes mihi
 palam adversari, habitum contemptui Sedis Apostolicae
 patrocinium, et parum abesse quin factiones inter se ad manus
 venirent, adeo ut mirum non sit appetitus fragilitatem et illos
 primos motus, qui etiam in missionibus Apostolicis se inter-
 ponunt, mihi persuasisse ut discederem. Verum ubi haec
 cogitatio ad aliorum aures penetrasset, mihi non suppetit lingua
 ad explicandas partis, quae se derelictam videbat, tunc lamenta-
 tiones. D. Eugenius ad me destinavit quendam Religiosum
 1327 ejus majorumque in religionem Catholicam | obsequium, adeo
 constans ut nec vitae nec fortunis pepercerint, non meruisse ut eo
 tempore, quo jam ab adversariis oppressus esset, derelinqueretur.
 Omnes ei adhaerentes et plerique Episcoporum me flexis genibus
 obtestabantur ne tot filios desererem, et nisi meum ipsius certe
 Sedis Apostolicae honorem considerarem, de qua cum perpetuo
 in Ibernia opprobrio diceretur misisse quidem in religionis
 defensionem suppetias, sed postea id effecisse ut mox repor-
 tarentur ob vanissimas suspiciones, quae sinistram subes-
 sent interpretationi. Hae rationes ita apud me valuerunt
 ut in negotio processerim." Haec ibi Nuncius, qui 10 Aprilis
 1648 Cardinali Panzirolo notis arcanis scripsit se Waterfordia
 Kilkenniam profecturum, et ita circa inducias opinaturum ut

juxta jam dicta ejusdem Cardinalis monita Kalendis Julii 1647 missa magistratui civili manus non ligaret. Ex quibus atque ex ejus verbis ad Innocentium X. jam citatis conjecto non nisi Waterfordia Kilkenniam regressum inito ibi cum Episcopis consilio in eam ivisse sententiam ut posthabitis monitis Pontificis armorum cessationi intercederet. Quo factum ut (sicut ipse dicit) in negotio processerit.

(537) Alias quoque ejus rationes in medium produco. Tradit enim se etiam sibi ab Ormonii fautoribus metuisse, et in sui defensionem fuisse velut compulsum ad censuras fulminandas. Cur autem timuerit multa producit argumenta; ac primo quidem Cardinali Panzirolo 18 Februarii hoc anno notis arcanis scribens: "Episcopus (inquit) Fernensis facile dicet Eminentiae Vestrae consilium | cuius mihi author fuerat antequam discederet, nempe ut in Duncaniae propugnaculum me reciperem, quod omnes malignorum molitionibus constupratos esse putet. Verum Eminentia Vestra sciat mihi non subire cogitationem secedendi ab ullo loco vel civitate Catholica, nisi me moverit necessitas procurandae securitatis, nec arbitrari valeo ullum mihi inferri posse malum a Catholicis." Haec tunc Nuncius, qui (ut video) et ipse hanc suggestionem haud tanti fecit re ipsa ante et post expertus *multos quidem sed non omnes malignorum molitionibus fuisse constupratos.*

(538) 2°. Magnum metuendi argumentum arripuit Nuncius ex Insequinnii epistola Kalendis Aprilis 1648 ad Joannem Plunkettum in Comitatu Kierensi data, qua ille scripserat imminere universalem pacificationem, in qua universum Regnum consentiret, exceptis Eugenii O Nelli et Nuncii partibus, proindeque maximopere conducturum ad bonum publicum et Regni commodum ut omnes adhiberentur conatus ad ipsos fautoresque deprimendos. Concilium autem se Nuncio de hac epistola pro virili sed nugatorie purgavit Kilkenniae eodem mense Aprili in suis ad quatuor rationum Cleri appendices et ad ejusdem Cleri obiectiones, nominatim ad quintam, responsionibus. Quae purgatio Nuncio haud injuria non satisfecit.

(539) 3°. Metuendi ansam suppeditavit Kilkenniae Nuncio primo Oliverus Walsaeus, vel (ut ipsum subscribere video) Valesius, Ibernius Lageniensis, in suo Carmelitarum discalceatorum Ordine Cirillus a S. Josepho nuncupatus. Hujus rei notitia haud melius habeatur, quam | si quibus Nuncius ejus meminit, loco inseruero. Prima itaque ejus mentionem facit Kilkenniae in schedula 3° Maii 1648 notis arcanis Cardinali Panzirolo

1327

v

Reg.

P. 586.

scripta cum jam successisset ut Clerus pridie ipsi et quatuor aliis Praelatis saepe memoratis prohibendarum censuris induciarum authoritatem decreto delegarit, et altero decreto 27 Aprilis lato ac eodem die Concilio praesentato easdem velut iniquas damnarit. De quo decreto vel (ut ipsius verbo utar) declaratione loquens loco jam citato Nuncius: "publicata (inquit) declaratione, auditus est duarum Provinciarum Lageniae et Momoniae tumultus mixtus cum tot comminationibus ut non nulli Religiosi accesserint mihi dicturi se rescivisse in Confessione quod in meam personam conjuratio struebatur. Ego vero processi more solito non dans locum timori quamdiu inter solos Catholicos me tenebo, licet de cetero cum cautela quae expedit vivam, haud ignorans totam hanc rabiem nasci ex Momoniensibus, quod in sex mensium pacificatione ad respirandum obtinenda totam suam faelicitatem ponant, et ex Lageniensibus, qui cuperent ut ad recuperanda ipsorum bona omnes Regni vires Dubliniam versus impenderentur." Haec ibi Nuncius, ubi per Momonię et Lageniam intelligit illos Momonienses et Lagenienses, quos Concilium tunc ad celebranda super inducūs duarum Provinciarum Comitia Kilkenniam convocaverat. Cum tamen illi (sicut alibi tetigi) injuria binas illas Provincias gessisse censeantur. Sed pergamus.

(540) Secunda hujus conspirationis mentio mihi occurrit in Concilii Diario, ubi Concilium de suis legatis 11 Maii 1648 Mariamburgum ad Nuncium missis, et de eadem legatione 13 Maii relata sermonem protrahens inter alia: "Retulerunt (inquit) dicti Domini legati nostri se eadem die D. Nuncio cum ad aulam ambularet occurrisse, ubi sua Dominatio illis dixit quemdam fratrem Carmelitam discalceatum sibi revelasse quod paenitens quidam apud se confessionem faciens exposuisset se inter plures in D. Nuncii necem conspirasse, ac jam facti paenitentia motum ut id D. Nuncio detegatur, expetere." Haec Concilii Diarium, nec video Concilium se de hac culpa usquam purgasse.

(541) Tertiam invenio ejus rei mentionem in quadam induciarum Relatione, quam Nuncius ad mensem Julium hoc anno 1648 Cardinali Panzirolo transmisit, in qua inducias a Clero (sicut dixi) fuisse Kilkenniae damnatas dicit, et subjungens: "insurrexit (inquit) tota factio et ventum est ad tantam rabiem ut quidam ex ore sibi excidere permiserit quod oporteret occidere Nuncium, sicut ipsum monuerunt non nulli patres Carmelitae." Haec ibi. 4^o. Nuncius anno 1649 Romam regressus in sua

Relatione Innocentio X. porrecta eandem rem tractavit. " Mihi (inquit) non deerant ex omni parte comminationes, et quidam Religiosus Carmelita venit ut mihi etiam diceret se sub sigillo didicisse quod de me vita multando agebatur." Haec Nuncius, qui mira varietate rem recenset, videturque iis verbis, quae numero 3°. in medium produxi, rei veritatem clarius explicare, quae aliis locis a me laudatis confusius exprimitur verbis generalibus et circumstantias silentio praetereuntibus; quibus addo mihi nusquam occurrere quod illius rei Concilium Supremum fuerint authores vel complices. In tanta autem multitudine complures privati, etiam ^{nobiles} cum uxoribus et liberis illo 1329 bello ad incitas redacti ex illis induciis futurum sperarint ut a miseriis respirarent, proindeque Praelatorum decreto in inducias 27 Aprilis condito exacerbati, illud Nuncio tanquam authori et primo mobili imputantes, haud pauca forsan ex passionis impetu dixerint absurdia, quorum ipsos rebus ad rationis et conscientiae pondus exactis paenituerit. Vix etiam dubito quin Concilium viso Cleri decreto jam dicto valde sibi timuerint ne Nuncius (sicut re ipsa successit) dilaberetur et censuras jacularetur, ideoque forsan deliberarint de modo sed incruento quo si dilapsurus esset reverenter detineretur, quae forsan deliberatio conjurationis Nuncio nexae nomen sortita fuit. Denique P. Oliverus Walshaeus, qui Nuncio hanc suspicionem indidit, is erat, quem forsan in hac re non omnes duxerint fuisse testem qualibet exceptione majorem. Nam in bello Ibernico, ubi aliquandiu Religionis habitum militari saga et paludamento commutasset, et re ipsa collectitiae militum manus praefectum egisset, demum ita sibi Glamorgani benevolentiam conciliavit, ut anno 1646 ejus ad Suam Sanctitatem litteras commendatitias obtinuerit, quibus in Episcopi Midensis, tunc capularis senis, coadjutorem postulabatur, quas ille Romam profectus, ibi anno 1647 in sui gratiam secundare non destitit, opitulante ejusdem Glamorgani fratre, Joanne, Vicecomite Somersetto, Romam tunc ex Ibernia destinato ab ipso praesertim Glamorgano. Verum Scarampus, antea in Ibernia Minister Apostolicus, indidem, dum Romae de Walsaeo episcopando deliberaretur, in Urbem appulsus, ac circa hominem sibi ⁱⁿ Ibernia notum consultus, 1329 inaugurationem impedivit. Supererat ergo Walsaeo ut in ^v Ibernia aliquos adhiberet cuniculos, quibus Nuncii favorem aucuparetur, quo in Episcopum, etiam invito Scarampo, quem in Urbe quoad viveret, circa praelaturas Ibernis conferendas consulendum non dubitavit, indueretur. Mirum autem est quo

impulerit hominem tam ardens studium. Nam anno 1646, quo Glamorgani litteras ad Suam Sanctitatem impetravit, Nuncius (sicut suo loco tradidi) haud semel eorum, quos vel Concilium Supremum commendaverat, vel ipse Episcopali dignitate insigniendos censeret, catalogum Romam direxit, et singulos suis coloribus pinxit, nec unquam Walsaei mentionem fecit. Sed nec a Concilio unquam commendatum eo fuisse invenio, nec ab aliis e Clero populoque Ibernicus. Quod manifesto est argumento Walsaeum vel in Ibernia, ubi se notum esse non ignoraret, nullum tunc lapidem apud Nuncium movisse ne habitu suae vitae scrutinio plus sibi noceret, vel certe adeo fuisse a Nuncio rejectum ut ne operae quidem pretium esse duxerit Nuncius Romam in ejus exclusionem scribere. Haud ignoro enim Nuncium cum quibusdam in Ibernia ad praelaturas sibi commendatis etiam ob rationes a politia petitas sibi charis in hunc ultimum modum egisse. Utut fuerit et utrovis modo successerit, negari nequit quin Walsaeus jam Romae anno 1647 spei irritus et ad Nuncium postea recurrens, frontem perfruerit. Recurrit tamen, et ut melius recurreret, in regressu in Iberiam

1330 praefati Vicecomitis Somersetti | ad eum litteras commendatitias obtinuit, quae inter alia habent eum non aliam ob causam Scarampo suggestente in Urbe fuisse rejectum, quam quod esset *vir bellator*. Porro in regressu Massario tunc cum subsidiis Pontificiis in Iberiam pariter remeaturo, ad Galliae Armoricae maritima, se associavit, et cum duabas ejus fregatis ex Britannia Minore Rupellam navigans in pyratas Parliamentarios incidit, quos una fregatarum ita cursu antevertit et evasit ut altera, in qua ille se teneret, accerrimum conflictum sustinuerit, inter quem Carmelita pugnacissimum egit gladiatorem et triumphum reportavit. Rupellam cum navi dilacerata ut pervenit, a Massario ibi litteras ad Nuncium commendatitias, sed pene nihil nisi nautici bustuarii praeconia continentis, impetravit, cum postulationibus ut ei Nuncius faveret. Sed rebus ad severiorem trutinam revocatis, idem Massarius Nuncio alia via in Iberiam scripsit Walsaeum sibi incauto importune illas commendationes extorsisse, et valenter quidem pugnasse, sed cum aliis, se absente, navium penora, instrumenta, ornamenta, ipsosque rudentes dilapidasse. Porro Walsaeus in Iberiam ante Massarium ad ineuntem hunc annum 1648 trajectus, quanta industria in id incubuerit ut episcopatus adipiscendi causa in Nuncii gratiam irreperet, lectori judicandum relinquo. Jacent quidem usque in diem hanc in Nuncii Cartophylacio praefatae epistolae a

Vicecomite Somersetto et Massario circa ipsum ad Nuncium exaratae, sed causam ejus reddidit difficiliorem | quod Glamorganus, tunc Vigorniae Marchio, qui anno 1646 eum Pontifici commendaverat, hoc anno circa nonas Martias in Galliam navigavit, jam magna illa apud Iberniam imperandi spe ipsaque apud omnes fide haud mediocriter dejectus, qua antea valuerat. Quare Walsaeus hac ex parte derelictus vehementius tentabatur ad Nunciū sibi aliis viis demerendum. Quae tentatio et ardens episcopalis dignitatis desiderium forsan effecerit ut suborta tunc induciarum contesatione aliquid leviter dictum et levius examinatum Nuncio sub conjurationis ipsi structae nomine recensuerit, quo totius pene suae familiae inter illam induciarum controversiam Nuncio adversantis odio se deonerasret, et ab ipso sui fautor haberetur. Quale artificium multis e Clero Anglo-Ibernis in simili navi constitutis video diebus illis in Ibernia fuisse familiare, ut Nuncii opera scopum, ad quem aspirabant, pertingerent, quem semel assecuti larvam deponebant et se esse se ostendebant. Caeterum Nuncio ad annum 1649 ex Ibernia (ut videbimus) reverso Walsaeus in Italiam secutus eum Firmi convenit, nullumque non movit lapidem ut ejus opera episcopatum adipisceretur. Quem Nuncius urbane repulit, monens ut Massarius potius tunc Sacrae Congregationi Propagandae Fidei a Secretis conveniret. Nec silentio praetereundum est eum Nuncio ibi tradidisse litteras commendatitias Rosae O Dochartae, Eugenii O Nelli uxoris, nomine Hispanice ex Ibernia scriptas, 1331 quae die Novembris octava anni 1649 Clonloniae datae de Eugenio tamquam valde aegrotante, proindeque ad Nuncium scribere non valente, mentionem faciunt, cum tamen Episcopi Clogherensis litterae, aliaque acta conspirent Eugenium biduo ante decessisse. Sed pergo. Walsaeus Firmo in Urbem profectus tunc anno 1650 et deinde anno 1651 (nam post paucos menses ex Urbe in Belgium, et ex Belgio iterum Romam rediit, aliqua legatione Lotharingi verbis, in cuius favorem apud Belgium irrepserset, ibi functurus) nihil non egit ut episcoparetur, et per aliquot dies hac secunda vice Romae delituit, donec aliorum, per quos agebat, ope ad episcopatum assumeretur, affirmans Lotharingo fore injurium si ipse antea ejus legatum ageret, quam in episcopum cooptaretur. Cumque suae cause patronos minus profecisse vidisset, demum ipse facie adamantina et fronte aenea eandem strenue apud Massarium aliosque causam agere non erubuit, magnificis ostentationibus pollicens se in Ibernia Nuncium a nece liberasse. Historiam sicut tunc ipse

P. Richardo O Ferallo, Capuccino Iberno, retulit, P. Richardus mox Romae Anglice scripsit, et ego P. Richardi verba Anglica hic Latine verto:

(542) “P. Oliverus Walsaeus ab amico rogatus ut ejus confessionem excepturus secederet, stupuit illam pomeridianam devotionem. Dum autem aurem praeberet, a paenitente interrogatus nunquid | eum Nuncius speciali amicitia prosequeretur respondit: Prosequitur. Ego ergo (inquit ille) ejus ruinae conscientis non ero. Et sic confessus est conjurasse undecim, quibus id fuisse commisum. Confessarium quoque rogavit ut mox Nuncium moneret, quo suae vitae consuleret. Confessione autem absoluta ambo ad socios redierunt, cum quibus confessarius declinandae suspicionis causa hilariter se gessit, et ubi ejus impensis vini quartarium potassent, se subtraxit. Inveniens autem D. Nuncium in Cleri Congregatione sedentem rogavit ut suae Illustrissimae Dominationi pauca diceret, qui sciscitatius nunquid res premeret? respondit premere, et in ejus conclave introductus totum ei aperuit. Deindeque cum Congregationi aperire noluisset, D. Nuncii suasu coram Archiepiscopo Cassiliensi (qui vix fidem adhibuit) tactis Evangelii confirmavit. D. Nuncius alia rei argumenta comperta habens discessit Marienburgum. Ex proprio confessarii ore haec habui.” Hactenus P. Richardi scriptum, cui accenset Doctor Walterus Enos, affirmans Walsaeum sibi rem illam aperuisse.

(543) De caetero Walsaeus adeo parum ad episcopatum adipiscendum profecit ut Nuncius etiam ab eo de praefata coniuratione jam monitus litteris ex Ibernia 4° Julii 1648 Romam missis alios quidem sed ipsum nec tunc nec ante ex Ibernia, nec post in Italia ad infulas cooptandum (quod sciam) unquam commendarit. | Romae autem demum Episcopatus spe dejectus ore proprio tantopere in Urbe institutus, ut saltem in diaecesis Midensis Vicarium Generalem assumeretur, sed hac etiam expectatione frustratus, in Massarium velut suae repulsae authorem, cui probe notus esset, ita excanduit, ut nihil ei sinistri non comminatus sit etiam litteris, quas Roma regressus in Urbem scripsit. Denique postea etiam circuivit terram et perambulavit eam, omnesque induit personas ut aliorum Nuncio et Massario adversantium Ibernorum benevolentiam aucuparetur, vel horum humeris elevandus, quorum utique procuratorem Romae egit, Nuncio jam mortuo, sed nunquam assequi potuit ut episcoparetur.

(544) Utinam Religiosi se ipsos tanta importunitate praelaturis ingerentes perpenderent Ancharrami et Cardinalis sententiam asserentium Religiosum, qui Episcopatum appetit, mortaliter peccare, et suis ponderibus librarent aurea illa S. Bonaventurae verba: "Sed (inquit) quid dicendum est de illis qui ad Episcopale officium ex fratribus assumentur? Respondeo, si coacti ab Ecclesia hujusmodi inevitabili necessitate suscipiant regimem animarum, non sunt reputandi ab Ordine egressi, si quantum in ipsis est, semper appetunt in sinu Ordinis confoveri. Quod si non vocati ad Episcopalem gradum, nec coacti ad eundem aspirant, ut fugiant aerumnas pauperum et Ordinis rigorem, credo eos in illius partem cessuros, qui dixit: Sedebo in monte testamenti in lateribus Aquilonis." Haec Is. 14. Doctor Seraphicus.

In cap. 2^m.
Reg. Fran-
cisc.

(545) Porro ardentissimum illud assequendi episcopatus desiderium, quo P. Oliverus Walsaeus nec a Clero nec a populo commendatus, sed ab omnibus pene rejectus, aestuavit, id efficit ut dubitem ne Nuncii sibi in hunc finem demerendi gratia leviter examinarit et levius retulerit, quae de illa in Nuncii necem apud Iberniam conspiratione in medium produxi, nec nisi aegre hanc digressionem feci, dolens me ad eam ex charitate et ex scribendi sinceritate teneri, ne illud testis apud me non locuplentissimi testimonium in re tam atroci plus valeat quam valere debeat, aliis rerum, temporum et personarum circumstantiis mature consideratis, quas apud Ormonistas pessimas fuisse liquet.

1332
v

(546) Jam a diverticulo redeamus ad viam. Itaque praeter Insequinnii epistolam superius memoratam et hoc P. Oliveri Walsaei testimonium Nuncius dicit non defuisse alteram sibi a Concilio Supremo metuendi ansam, nempe, dum Kilkenniae circa inducias cum Concilio controversiam haberet, introductos fuisse in eam urbem trecentos equites armatos sub Vicecomitis Montegaretti insignis Ormonistae imperio, et dum de rebus componendis ageretur, Concilium suis Commissariis clanculariam paciscedarum cum Insequinnio induciarum fecisse potestatem, adeoque se Kilkennia Mariamburgum securitatis studio secessisse ea mente ut Galviam progrederetur. Porro metuendi ansam magis collegit ex induciis post ejus discessum Kilkenniae secutis, de quibus postquam Romam regressus esset Innocentio X. in Urbe loquens: "Illi (inquit) qui se Kilkenniae tenuerunt et hodie in hac aula morantur, testificari possunt in quam omnes devenerint consternationem ob impro-

Relat :
Cap. 27.

Relat :
Cap. 28.

1333 visam meam discessionem. Incedebant vultu tremefacti, | nec aliud audiebatur aut videbatur quam conventicula et susurra. Nec unquam apud me fidem habere potuit hujus rei occasionem fuisse metum, ne in ipsos O Nellum impellerem. Neque enim tunc O Nellus ultra septingentos pedites coegerat, et probe sciebant conjurati, modo reliquos coactus esset, fore a Prestoni viribus praeveniendum. Quare credere cogor totum successisse quod eorum manibus dilapsus fuisse, proindeque existimarent ad nihilum recidisse suas machinationes in pecuniam et meam personam. Nec sententiam deinde mutavi, ubi in omnibus tractatibus sequentibus vidi primo omnium desiderari ut Kilkenniam remearem velut unicum dissidiorum remedium, et Episcopum Limericensem per litteras, nec non P. Malonium, Jesuitam, ore tenus, in canenda mihi eadem cantilena et in suadendo ut redirem perstitisse, etiam cum Galviae pedem fixissem, et accommodatio ex omni parte esset desperata." Haec Nuncius.

(547) Verum omnino certum est Concilio non defuisse aliunde cur illos milites introduceret. Nam cum Clerus 27 Aprilis decreto publico inducias illas injustas esse declararint, Concilium habuit cur timeret ne (sicut anno 1646 contra pacem Ormoniacam processum est) ad excommunicationem et ad Regimen vi mutandum veniretur, praesertim cum Concilium non dubitaret quin Eugenius O Nellus ejusque exercitus, qui solus tunc Faederatis potens et integer erat, pro Clero facturus esset. Reque ipsa Nuncius secunda post decretum illud a Clero latum die, nempe 29 Aprilis, in suo Diario: "Praefectus (inquit) Generalis O Nellus totum suum colligit exercitum in suo Lisiae loco et a partibus magno cum timore observatur." Haec ibi, et 3^o Maii, cum jam pridie facultatem ad censuras procedendi sibi et quatuor aliis Praelatis a Cleri Congregatione delegatam accepisset, Cardinali Panzirolo Kilkennia notis arcanis scribens:

v "D. Eugenius (inquit) non multum hinc distat, et magnum exercitum congregat, declarans se Clerum ejusque deliberationes defensurum." Sic Nuncius, qui non nisi post haec 9 Maii Kilkenniae dilapsus est. Nec tamen ignoro eum non modo capite suaे Relationis jam citato, sed etiam alibi scripsisse illum de tantis viribus ab Eugenio tunc congregatis rumorem falso percrebuisse. Sed id omnino certum est Eugenii exercitum in vicinia Lagenensi et Ultoniae finibus eatenus hybernantem Cleri obsequio se jam consecrasse, et fuisse Concilio timendum ne Nuncii et Congregationis Ecclesiasticae in urbe Kilkenniensi

tunc residentium, nec non civium magna forsan ex parte eidem Congregationi faventium ope Kilkenniam adeoque se occuparet ut Cleri mentem secundaret. Quare censendum est Concilium trecentos illos milites in iis rerum circumstantiis suaet etiam securitatis causa Kilkenniam introduxisse, idque forsan potius quam ut Nuncio vim inferret, vel pecunias Pontificias cum Massario transmissas diriperet. Porro illam animi consternationem, in quam omnes Kilkenniae ob suam improvisam discessionem devenisse dicit, persuasum habeo originem traxisse etiam ex metu, ne ille jam Kilkennia Mariamburgum dilapsus fidei zelo Eugenium O Nellum in Concilium impelleret, metumque hunc fundamento non caruisse suadent nedum ea quae jam Kilkenniae ante discessum ab eo gesta fuisse dixi, sed etiam sequentia. Nam re ipsa qā Maii Kilkennia se proripuit, et 10 Maii Mariamburgum appulsus illa nocte cum Eugenio O Nello deliberavit, et postridie indidem Cardinali Panzirolo notis arcanis Italice scripsit hanc schedulam die Ascensionis Domini.

(548) "Agimus profestum maximarum perturbationum visuri demum fides Catholica in hoc Regno radicanda sit, an secus? Concilium Supremum visa Cleri contra Momoniae inducias declaratione multum ostenderat se tractare velle de modo, quo utrius partium satisferet, et jam omnes magno animi aestu aliquem ejus rei exitum anhelabamus, cum innotuit eos non obstante tractatu postea die Lunae mandasse cum facultatibus et subscriptionibus necessariis ut pactum cum Insequinno concluderetur. Haec actio tantopere absurda eo me impulit ut postridie clanculum discesserim, profecturus in Conaciam. Reliqui autem epistolam Concilio tradendam, qua discessionis causam exposui, protestatus me in inducias consentire non posse, et subjungens me Deo supplicaturum ut religionis causa diversum ab eo quem praevidebam successum sortiretur.

(549) "Scribo ex quodam D. Eugenii O Nelli loco, ubi noctem unam diversatus sum, percontaturus quid ipsi deliberatum sit? Qui ostendit se Cleri honorem propugnaturum, et me tutaturum nisi res sicut par est compositae fuerint. Eo casu necessum erit in hoc negotium impendere pecunias, et Deum orare ut hujus viri mentem prosperet. Nam usque modo videmus Concilium undique quantum potest colligere viros male contentos et factioni Ormoniae addictos ad coeundam cum Insequinno

1334
Reg. pag.
616.

societatem adversus Ultonienses et Clerum. Hoc magnum |
 1334 experimentum evitari non potuit, et modo semel vicerimus,
 v maximi fidei progressus expectandi sunt. Sin autem, et
 contrarium successerit, non aliud quam brachium Altissimi et
 Suae Sanctitatis preces eam sustinere poterunt. Marienburgi,
 11 Maii 1648." Haec ibi.

(550) Supervenerunt autem eodem die Marienburgum tres a Concilio ad Nuncium et Eugenium O Nellum (sicut alibi dictum est) allegati, quo factum ut utrinque rebus suaviter componendis operam dederint, sed induciis demum absolutis, nec alia quam quae superius relata est, exhibita Nuncio satisfactione, Nuncius tradit se his non obstantibus fuisse (juxta epistolam quam Concilio 25 Maii scripserat) Excommunicatione supersessorum, nisi nova a Concilio illata persecutio se ad censuras jaculandas coegisset. Affirmat enim Concilium eo legatos jam dictos 11 Maii Marienburgum destinasse, et eorum legatione 13 Maii relata non nisi post contractas 20 Maii et publicatas 22 Maii inducias demum respondisse litteris tamdiu consulto dilatis ut interea induciae contraherentur, et adhaerens Concilio Prestonus vires cogeret. "Responsa (inquit Innocentio X.) quae dederunt expressa fuere plus bombardis quam chartis. Nam eodem vespere, quo ea nos recepimus, et derisoria esse duximus,

Relat.
Cap. 28.

1335 Prestonus Caterlagha movit versus Birram, Kilkennia iter tenens. Primum hujus profectionis militaris nuncium quidam ex mea familia attulit, qui Kilkennia rediens exercitum videt moventem, et (sicut hujusmodi res fama crescere solent) retulit esse forsan dena militum millia. Observavi primum obstupescere deindeque pallescere D. Eugenium. Nam (sicut superius dixi) non coegerat nisi circiter septingentos vel octingentos ex suis, licet secus divulgatum fuerit, et diligentiam adhibuerit ut majorem numerum colligeret. Sane laetor quoties video illam etiam authorum prophanorum adimpleri sententiam, nempe in mundi eventis nisi ad divinam Providentiam saepius recurratur, fieri non posse ut plena eorum ratio investigetur. Si ille exercitus recta Marienburgum venisset, aut si Birra, quae quatuor tantum millia passuum a nobis distabat, accessisset, O Nellum et me tam improvisos et locum tantopere debilem ita interceptisset, ut factiosi ad ipsorum votum dissensiones terminasset, et astutiis triumphassent. Verum Prestonus primum in loco ad vires Insequinnii auxiliis augendas idoneo se collocare statuit, quod forsan D. Eugenii vires fortes esse existimaret iisdem deceptus umbris, quales etiam nobis obscuritatem parie-

bant. Tantopere verum est utilius esse in bello hostiles vires explorare quam caedere, adeoque majori vigore pollere prudentialiam quam potentiam. |

(551) "In hac cogitationum et virium angustia cum D. 1335 Eugenio et Episcopis coivi, deliberaturus quo pacto ab imminenti periculo liberarer. Cum jam jam tantopere in Rel. insulam introierim, repatriandi libertatem perdideram. Nam Cap. 29. Mariamburgo Waterfordiam redire nihil aliud erat quam se in eorundem persecutorum fauces projicere." Haec ibi Nuncius. Ibid. Ibidemque relata illa, quam Waterfordiae mense Martio habuerat, sed postea Eugenio O Nello per internuncium et plerisque Praelatorum dissuadentibus (sicut jam tradidi) mutavit redeundi in Italiam sententia. "Quomodo ergo (inquit) Mariaburgi hac deliberatione jam possessus repatriare potui, rebus jam tantopere ad pejorem statum redactis, et tali positus loco ut evadere non valerem, audiremque eundem O Nellum non jam per litteras sed viva voce offerentem et promptum ad omnes plane facultates in causae Catholicae defensionem discrimini exponendas. Cuncti ergo in eam iverunt sententiam ut autoritate ab Episcopis Kilkenniae congregatis delegata uterer, et ob induciarum iniquitatem ad censuras veniretur. Nemo in mentem non revocabat quantae in exercitibus, cum pax proscripta fuit, extiterint efficaciae, quae licet non eadem omnino succederet, omnes certe sperabant futurum ut ille censuris tepesceret si non omnino refrigeret ardor persecutionis. Ego quidem de causae justitia certus eram, nec tamen major in eo negotio me | occupavit quam judiciorum metus, quae de me fierent, si tam languidus nulla via tentata dedissem in praedam adversariis me ipsum, O Nellum, et Sanctitatis Vestrae rem numariam. Quomodo ferre poteram ut tribus modis viderem inferri injuriam Sedi Apostolicae, nec timerem ne meam maneret negligentiam diluvium reprehensionum? Quinimo eadem ipsa Sedes quo pacto expectare poterat futurum ut debitam earundem injuriarum a populo male affecto et longinquu unquam obtineret satisfactionem? Quare concludebam consultius esse quamlibet nimiae audentiae subire notam et supremae authoritatis sustinere splendorem, nempe (juxta Ministri officium) privato commodo preeferre publicum, et sic 27^o Maii una cum Episcopis delegatis et subdelegatis in induciarum complices atque adhaerentes publicavi excommunicationem, et in civitates, in quibus receptae fuissent, Interdictum." Haec Nuncius ex Ibernia Romam regressus.

(552) Ex actis et scriptis superius positis liquet Clerum 27 Aprilis decreto publico inducias damnasse, et 2^o Maii altero decreto amplam Nuncio atque aliis quatuor Praelatis ad censuras procedendi fecisse potestatem. Nuncium his decretis instructum 9 Maii Kilkennia discessisse, et Mariamburgo post initum ibi cum Eugenio O Nello consilium 11 Maii Cardinali Panzirolo scripsisse suam cum Eugenii O Nelli exercitu inducias intercedendi et in conatu illo suppetias Pontificias collocandi 1336 deliberationem. | Eodem autem die accessisse Mariamburgum v Concilii legatos et 13 Maii cum Nuncii responsione et conditionibus Concilio proponendis rediisse. Concilium inducias a suis Commissariis 2^o Maii cum Insequinno contractas 22 Maii publicasse, et 23 ejusdem mensis ad Nuncii litteras 13 datas nec non ad annexas conditiones respondisse. Nuncium autem 25 Maii ita rescripsisse ut ostenderit Concilii conditiones sibi non satisfecisse, eademque die 25 (juxta Nuncii Diarium et aliam evidentiam superius tactam) affixum fuisse valvis Kilkenniensibus ex Nuncii et quorundam assistentium Episcoporum mandato illius decreti, quo inducias 27 Aprilis a Clero damnatas fuisse vidimus, exemplar, eodemque die Nuncium quatuor Praelatorum a Clero ad ferendas secum censuras delegatorum eos qui tunc absentes essent, litteris ad se accivisse, quorum Dubliniensis et Limericensis cum Kilkenniae commorarentur, facile Concilio se ita citatos fuisse communicarint, denique vel forte 26 Maii. Massarium (juxta factam sibi 16 Maii a Nuncio potestatem) 27 Maii decreto Kilkenniae publicato preecepisse sub paena excommunicationis latae sententiae Nuncio reservatae nequis in induciarum favorem adversus praefatum Cleri decretum 27 Aprilis conditum responderet vel opinaretur, et Concilium 27 Maii decreto publico typis mandato ab omni Nuncii in ejusmodi casibus conscientiae determinandis autoritate ad Suam Sanctitatem appellasse, et praemonuisse totum Regnum ne Nuncio et fautoribus sed sibi morem gererent. Quae omnia satis superque ostendunt ante latam a Nuncio 27 Maii excommunicationem | Concilium vix dubitasse, quin Nuncius Eugenium O Nellum censuris et subsidiis Pontificiis ad inducias earumque fautores adorierdos secundaret, sicut vel ex praefato Concilii edicto eadem die 27 Maii Kilkenniae lato, et ex Episcopi Limericensis epistola indidem eodemque die ad Nuncium data liquet, quae duo acta superius videris. Eodem autem die 27 Maii, quo excommunicationem a Nuncio fulminatam fuisse diximus, Nuncius in suum Diarium haec retulit: "Hodie

(inquit) visus est inter movendum Kilkennia Birram versus Praefecti Generalis Prestoni exercitus conflatus (ut creditur) ex duobus vel tribus peditum millibus, et ex altera parte copiae Ultonienses se in singulos dies magis magisque praeparant; unde jam ad manifestam ventum est divisionem." Haec ibi.

(553) Itaque quod dicit Nuncius, nempe censuras illas sibi nedum ob induciarum iniquitatem, sed etiam in sui et pecuniae Pontificiae defensionem fuisse fulminandas, videtur in controversiam revocandum. Nam ne Nuncius quidem tradit Prestonum ante latam a se excommunicationem sibi aut Eugenii O Nelli copiis vim intulisse, nec video constare ideo movisse ut vim inferret nisi censuris prius latis. Est autem verisimile jam visis tot futurae excommunicationis a Nuncio ferendae praesagiis Concilium Prestono dedisse in mandatis ut saltem viribus quantocius coactis procederet, paratus ad aggrediendum modo ex Nuncii vel Eugenii O Nelli parte censuris vel armis vel utroque gladio induciae rejicerentur. Sin autem et ad concordiam utrinque rediretur, certe expeditus esset ad militandum in Lagenia contra Parliamentarios, urgente illius expeditionis et tempore et opportuna ob jam contractam cum Insequinnio armorum cessationem occasione. Porro cum Nuncius a 27 Aprilis, quo Clerus Kilkenniae suo decreto inducias damnaverat, ita hactenus se gesserit ut Concilium semper ab ipso atque ab Eugenio O Nello metueret, negari etiam non potest quin ille vicissim habuerit rationes bonas, conjecturas vehementes, et praesumptiones validas, ob quas timeret ne Concilio mens esset illis induciis ad revocandum Ormonium in Proregem et ad noxiā Ecclesiae ac religioni pacem intrudendam uti, proindeque se ipsum, si induciis obviaret, capere et sartum tectumque in Continentem potius mittere, quam committere ut induciis et paci jam dictae, revocandoque in Proregem Ormonio, per censuras, subsidia Pontificia et Eugenii O Nelli atque aliorum fautorum vires intercederet. In his autem rerum circumstantiis Nuncius prudenter metuens ne Concilium praefata occulta mente duceretur, et forsan timens ne ad se nec non pecunias Pontificias intercipiendas Prestoni atque ejus exercitus opera uteretur, inducias tanquam iniquas interturbandas et Prestonum velut futurum mox aggressorem censuris praepedendum censuisse videtur, idque ex Eugenii O Nelli et quatuor Episcoporum tunc presentium concilio, quorum Clogherensis velut Cleri decreto 2°. Maii nominatim delegatus, et alii tres velut a Nuncio in aliorum trium delegatorum tunc absentium

1337
v

1338

locum juxta factam praefato decreto potestatem substituti, una cum Nuncio censuras fulminarunt, quarum sententiam hic habe:

“ Nos, Joannes Baptista Rinuccinus, Dei et Apostolicae Sedis gratia Archiepiscopus et Princeps Firmanus, ac in Regno Iberniae Nuncius Apostolicus extraordinarius. Nos Episcopi ad effectum de quo infra specialiter delegati et subdelegati.

(554) Cum jam compertum habuimus die 22 Maii instantis publicatam fuisse cessationem armorum inter Supremum Concilium Catholicorum Confaederatorum et D. Baronem de Insequin, in qua multi sunt articuli prius ab omnibus Archiepiscopis et pluribus Episcopis hujus Regni coram nobis, Nuncio Apostolico, congregatis mature ac diligenter discussi, et tanquam injusti ac iniqui per eosdem 27 Aprilis (nemine excepto) damnati, prout constat ex declaratione per supradictos Praelatos eodem die 27 Supremo Concilio praesentata, ut religionis Catholicae augmentum, Ecclesiae libertas, et bonum hujus Regni ad Dei omnipotentis gloriam ac innocentis populi conservationem prosperentur. Nos, Joannes Baptista, Archiepiscopus Firmanus et in Regno Iberniae Nuncius Apostolicus extraordinarius, Apostolica authoritate, et Nos earundem Archiepiscoporum et Episcoporum authoritate delegati et in defectum delegatorum subdelegati, sub paena excommunicationis latae sententiae omnibus et quibuscumque tam ecclesiasticis quam saecularibus in quacumque dignitate et praeminentia constitutis praecipimus et mandamus ne predictam cessationem quoquo modo per se vel per alios, directe vel indirecte, consilio, auxilio, vel favore foveant aut defendant. Nec non sub eadem paena praecipimus | omnibus et singulis Generalibus, Colonellis, Ducibus, officialibus, militibus, et quibuscumque aliis Catholicis, ne cum predicto Barone de Insequin, vel quocumque alio haeretico sese jungere, aut quovis alio modo ex superiori enarratis eidem vel eisdem adhaerere praesumant, vel audeant arma sumere contra exercitum sive exercitus Catholicos dictam iniquam cessationem impugnaturum vel impugnaturos. Cui etiam paenae eos omnes et singulos subjacere volumus et decernimus, qui predictam cessationem jam acceptarunt, etsi sint de corpore ipsius Supremi Concilii, si ipsam ulterius quovis modo (ut supra) sectentur aut pertinaciter defendant, nisi intra novem dies a notitia habita praesentium etiam per viros fide dignos resipuerint, quorum tres pro primo termino, tres alios

pro secundo, ac demum tres ultimos pro peremptorio termino constituimus et assignamus. Omnes vero communitates sive urbium, sive oppidorum, villarum, aut pagorum, si praedictam cessationem acceptaverint vel acceptam (ut supra) quovis modo defenderint, nisi intra novem pariter dies (ut dictum est superius) resipuerint, Interdicti paenam et Cessationis a divinis incurvant. Distincte praecipiendo mandantes ut omnes Religiosi cujuscumque Ordinis, etiam Societatis Jesu, non obstantibus quibuscumque privilegiis, etiam Missionariorum, inviolabiliter praedictum Interdictum observent. Mandamus insuper omnibus Vicariis Generalibus et capellaniis exercituum ut his litteris visis sive impressis, seu habita earundem copia manu cujusque Episcopi vel Notarii Apostolici subscripta, eas statim sub paena excommunicationis latae sententiae et aliis arbitrio nostro injungendis in ipso exercitu publicent, vicariis autem sive curatis et quacumque ratione curam animarum habentibus ut sub eadem paena prima die festiva inter Missarum solemnia populo publicare et in foribus Ecclesiae eas affigere teneantur. | Siqui vero contra attentare praesumpserint, maledictionem aeternam se neverint incursuros. Datum Kilmensi die 27 Maii anno 1648.

1339
1648.

Joannes Baptista Archiepiscopus Firmanus, Nuncius Apostolicus. Emerus Clogherensis. Fr. Boetius Rossensis. Robertus Cluanensis et Corcagiensis. Fr. Arthurus Dunensis et Conerensis."

Octavianus Corona Cancellarius."

"Amoventes et lacerantes sint ipso jure excommunicati."

(555) Hanc excommunicationem atque annexam epistolam, quae ad meas manus non pervenit, Nuncius cum suo confessario, P. Josepho Archamono, Theatino Italo, (qui in Prestoni responsione mox inserenda perperam Ja. Jacobus vocatur) ad Prestonum misit. Ille autem litteris Anglicanis respondit, quas ex autographo Latine verto:

"Illustrissime Domine.

(556) "Latore Reverendo Patre Ja. Jacobo recepi transmissam ab Illustrissima Dominatione vestra epistolam Latine superscriptam, et cum a Reverendo Patre intellexerim epistolam eadem lingua fuisse exaratam, haud tantum mihi arrogandum duxi ut eam intelligerem, vel ad eam responderem. Quam propterea misi ad Supremum Concilium, a quo Illustrissima

1339 Dominatio Vestra expectet ut ad eam respondeat. | Reverendus
 v Pater mihi obtulit scriptam eadem lingua chartam, sed cum
 nulla ad me superscriptione vel directione. Eam non recepi.
 Porro si quid Illustrissima Dominatio Vestra mihi imposterum
 praecipere voluerit, rogo ut id mihi intimetur per manus vel
 approbationem Supremi Concilii, in cujus mandata juravi, quae
 et observabo. Sic Illustrissimae Dominationis Vestrae et
 benedictionem peto et manus deosculor.

Illustrissimae Dominationis vestrae

Ex castris ad Roscraeam,
 29 Maii 1648.

Humillimus servus
 Thomas Prestonus."

(557) Praeter hanc jejunam et frigidam epistolam respondit
 eidem P. Josepho Prestonus maximo irae impetu se non timere
 censuras, quod jam octo Episcoporum et multorum theologorum

Rel: sententia adversus eas conscientiam muniisset, qui prius quaesi-
Cap. 30. tioni enucleandae operam dedissent quam Nuncius censuras
 miserit. Comminatus etiam est se illo venisse ut in Eugenium

O Nellum moveret, et futurum ut ea demum vice alteruter
 periret. Ex quibus responsionibus Nuncius merito arguit
 Ormonistas diu ante in se et Eugenium conjurasse, et multos e
 Clero in suas partes clanculariis molitionibus pellexisse, qui suo
 tempore periculosis opinionibus populum a more censuris
 gerendo dimoverent. Porro ex praefata Prestonii epistola con-
 jectandum videtur Prestonum biduo post latam excommunica-
 tionem ad Roscraeam in Momonia castrametatum neendum
 Birram paucis milliaribus Mariamburgo distantem ante

1340 fulminatas | 27 Maii a Nuncio censuras accessisse. Nec Nuncius

Relat: in sua Relatione Romae postea scripta, loco nuperrime in
Cap. 28. medium producto dicit licet innuere videatur contrarium. Nec

contra hoc facit quod ex ejus Diario superius retuli, nempe
 Prestonii exercitum 27 Maii visum fuisse moventem via quae
 Kilkenniae Birram dicit. Nam hoc non perinde est ac Birram
 pervenisse, cum de facto Roscraeam Mariamburgo longius
 distantem processerit, usque adeo ut Nuncius etiam Mariamburgo
 profectus Kilcolgani 30 Junii in suo Diario: " Prestonus (inquit)
 Roscraea vires colligit, et creditur moturus in exercitum
 Ultonensem." Haec ibi. Denique in quadam induciarum
 Relatione quam postea Galviam profectus Cardinali Panzirolo
 ad mensem Julium transmisit, post multa alia demum de Con-
 cilii responsione 23 Maii scripta loquens: " Dies (inquit) denos
 expectata fuerat responsio, quae praeterquam quod partibus non
 satisfecit, relata est cum duabus circumstantiis, quae ultimam

Reg:
 p. 646.

discordiae occasionem pepererunt. Prima fuit interea conclusam fuisse treugam et signatam conditionibus quae primis longe essent pejores. Siquidem Baro voluit ut sibi ad plenum in omnibus suis postulatis satisficeret. Altera fuit quod Praefectus Generalis Prestonus armatis magna diligentia tribus peditum millibus et quadringentis equitibus subito post haec responsa rapide venit Roscraeam in confiniis Momoniae, palam faciens se ibi esse quo D. Eugenium *|aggrederetur et deleret, adeoque aperte declarans* 1340 id quod semper praesumptum fuerat." Haec ibi Nuncius. v Atqui ipse tradit praefato suo confessario a Prestono excommunicatione jam lata, id fuisse declaratum. Quae magis efficiunt ut mihi non videatur omnino certa (nisi sensus sit, quem mox tangam) conjectura Nuncii loco ex ejus Relatione superius laudato affirmantis se non solum ob induciarum iniquitatem, sed etiam ad declinandam persecutionem, et in necessariam sui nec non pecuniae Pontificiae defensionem censuras vibrasse. Neque enim video Prestonum ante latas censuras Nuncii fuisse aggressorem, nec mihi constat eum censuris non latis fuisse Nuncium aggressurum, nisi Nuncii induciis obviasset, unde sinceritati litans et militans ingenue fateor mihi non constare quod suae Relationis cap. 30 habet Nuncius: "Nescio (inquit) quando unquam censurae magis meruerint nomen fulminis. Uno ictu concitata in populo maxima confusione defecerunt ad O Nelli partes duo amplius millia ex militibus Prestonianis. Exercitus Ultoniensis vires sumpsit et vigorem in omnem defensionem, et ego mansi satis suffultus *ad salvandam meam personam nec non ex parte pecuniam.*" Haec Nuncius, quibus innuit nec se nec pecuniam Pontificiam in tuto positam nec ponendam nisi latis censuris. Quae, nisi sensu mox tangendo, licet mihi constare non videatur, omnino tamen credo futurum fuisse ut pseudo-Concilium ab initio Nuncium *|Kilkenniae* 1341 caperent, et in continentem transportandum curarent, si certo scivissent eas censuras jaculaturum. Nec dubito quin postea doluerint se id non praestitisse. Minusque dubito optasse ex animo et ante et post latas censuras, ut Nuncium et pecunias Pontificias penes se potius quam Eugenius O Nellus ejusque fautores et exercitus sibi ipsis adversantes ad obsequium haberent. Itaque meo iudicio controversiae cardo certius vertitur in induciarum iniquitate. Quare duo concludo: primum est non constare Ormonistas, imo nec Ormonistarum malignissimos, qui in Concilio Supremo numero praevalebant, fuisse Nuncium aggressuros, si eorum nequitiae non obviasset, sed *mere passive*

Relat :
C. 30.Relat :
Cap. 30.

se gessisset et Regno abiisset. Secundum est eos alio saltem modo ejus et pecuniae Pontificiae sceleratissimos fuisse aggressores. Induciarum enim conjurationem maligne contraxerant, eo tendentem ut Ormonium et alios haereticos in throno collocarent; pacem iniquissimam intruderent; Ecclesiam et Clerum Ibernicum fautoresque deprimarent, et ipsum Nuncium (nam hoc ex illa eorum mente sequi necessum erat) nisi lubens abire mallet, vel ipsi vel dicti haeretici deturbarent. Cui eorum tyrannidi cum ille non cedendum sed generose obviandum duxerit, et illi conjurationem suis atque haereticorum armis prosequendam obstinatissime statuerint, consecaneum est Nuncium his fundamentis utrinque jactis censuras etiam in sui et pecuniae Pontificiae nedum fautorum defensionem fulminasse. Quo forsan sensu intelligendi sunt illi loci a me ex ejus Relatione citati, quibus sibi censuras etiam in sui et pecuniae Pontificiae defensionem fulminandas fuisse asserit. Alias gravissimas rationes huc spectantes vide inferius in ejus monitis P. Josepho Arcamonio Romam praefecturo datis hoc ipso anno 1648.]

1341 (558) Interea censuras 29 Maii Kilkenniae affixas fuisse reperio, sed Episcopus Ossoriensis, ibi diaecesanus, aliorum, praesertim pseudo-Concilii et Jesuitarum Anglo-Ibernicorum fraudibus ac sollicitationibus fractus, quam suapte sponte inierat, exequendarum censurarum sententiam adeo mutavit ut exinde Ormonio et Ormonistis militaverit. Porro eodem die, quo censurarum decretum Kilkenniae affixum fuit, Episcopus Limericensis, Concilii Supremi albo ascriptus, Nuncio scripsit se Kilkennia discessurum. Quod et praestitit, ad suam diaecesim regressus. Alter etiam Consiliarius Momoniensis, Zepherinus Barronus, et tres Consiliarii Ultonienses secesserant ab aliis septem Consiliariis, nempe tribus Lageniensibus, Richardo Bellingo, Patricio Bryano, et Roberto Devereuxo, et tribus Conaciensibus, scilicet Athunriae Barone, Luca Dillonio, et Robuco Lynchaeo, nec non uno Momoniensi, nempe Geraldo Fenello, Doctore Medico; qui septem perfidiosissimi et nequissimi proditores ad suum Ormonium, Insequinnum, atque alios haereticos a faedere Catholico desciscentes et aliis Ormonistis ducatum praebentes, tanquam major Concilii ex duodecim Consiliariis compacti pars, cum aliis aliquot Ormonistis hanc Appellationem mendaciis et fraudibus plenam interposuerunt in conjurationis prosecutionem et censurarum contemptum:

"In Dei Nomine. Amen.

(559) " Nos Richardus, Vicecomes de Montgaret, Franciscus D. Baro de Athunry, Lucas Dillon Eques auratus, Robucus Lynch Baronetus, Phelim O Neill Eques auratus, Richardus Bellings, Geraldus Fennell, Patricius Brian, et Robertus Devereux, Armigeri, caeterique de numero Supremi Concilii Confaederatorum Catholicorum Regni Iberniae non solum residentis verum etiam absentis et non praesentis nec *residentis*, 1342 nec non Richardus Everard Miles Baronet, Patricius Goagh et Joannes Walsh Armigeri, Commissarii ex parte Concilii praedicti, deputati pro induciis, treuga, sive cessatione armorum tractanda et concludenda inter Confaederatos Catholicos dicti Regni et D. Baronem de Insequin ejusque exercitum et partem; animo appellandi et provocandi, deque nullitate et iniquitate gravaminum infrascriptorum omnium et singulorum aequa principaliter quaerelandi, considerantes remedium appellationis et provocationis ideo esse a jure inventum et introductum ut aggravatorum et oppressorum status conservetur integer et illaesus, et quod per inferiores judices illegitime, inconsidere, injuriose, aut injuste actum, gestum, pronunciatum, aut diffinitivum sit, id sano superioris moderamine et judicio reformetur. Inde est quod nos hoc fundamento subnixi, sentientes nos ipsos et per nostra latera universos Confaederatos Regni Iberniae fidei Catholicae cultores et propugnatores per infra specificata enormiter in honore, officio, aestimatione, et personis laedi, ad hoc refugium et juris beneficium tanquam ad sacram anchoram recurrimus, et licet nulli unquam (quod sciamus) et praecipue ecclesiastico vel Regulari occasionem dederimus, vel aliquis nostrum dederit ob quam offendit, denigrari, vel incapaces ad officium sive munus nostrum in administratione Reipublicae reddi debeamus, maxime per Praelatos et alios in dignitate ecclesiastica constitutos, quibus utique omnem obedientiam, honorem, et reverentiam in quibuscumque lictis et honestis detulimus, prout semper deferimus et exhibemus, licetque in publicis Comitiis Confaederatorum Catholicorum Regni Iberniae praedicti habitis Kilkenniae et conceptis 12 die mensis Novembbris anno Dominicae Incarnationis 1647 rite et legitime 1342 tam per Praelatos Regni quam per laicos votum in dictis Comitiis habentes electi simus ad regendum et gubernandum in hac lacerata Republica et hujus intuitu (nos maxime, quibus personalis residentia est injuncta) aciem oculorum ad dilaniatam nunc Momoniae Provinciam nuper florentissimam convertentes, et cum maximo doloris sensu invenientes eamdem quasi in ultimo

discrimine positam per tot clades et exercituum profligations una aestate (Deo sic permittente) passam, dictaeque Provinciae aeraria exhausta et exsiccata, agriculturam in eadem intermissam, milites ab armis et aliis bellicis necessariis prorsus imparatos, incolas ad extremum paupertatis redactos, et suos agros, fundos, et praedia deserentes, agricultores et firmarios prorsus mendicos effectos, et Comitatus respective de Waterford, Tiperary, Limerick, et Kierry ferro flammaque absumptos, praesidia et propugnacula militis Catholici manibus Confaederatorum per hostilem exercitum erepta atque extorta, civitatem Cassiliensem, oppida de Dungarvan et Callan misere caesa et rebus omnibus spoliata, ipsosque cives et oppidanos per faciem terrae dispersos, totamque Provinciam et fere ad januas civitatis Kilkenniae in Lagenia depraedatam per liberos et continuos incursus inimicorum, et sub vectigalibus, impositionibus, et contributionibus praefati Baronis de Insequin ejusque exercitus redactam, afflictos undique inhabitantes annonae caritate et ipsa fame laborantes, multasque alias partes reliquarum Provinciarum dicti Regni ultra eas, quas inimici aperta vi occupant, copiis Parliamentariorum funditus eversas et depraedatas esse, sic quid nos undique pressi et angustiati, impares inimicorum viribus, neque defensivum, multo minus offensivum bellum cum omnibus simul et semel gerere quiverimus, perspicientes insuper et pro certo habentes quod plerique incolae totius fere Provinciae Momoniae praedictae parati essent ad submittendum se arbitrio dicti Baronis, ejusque conditiones suscipere cum sese imparatos animadvertisserint, nec se ipsos habiles ad resistendum potentiae adversariorum, nec perferre ulteriores sumptus magni alicujus exercitus Confaederatorum aliunde invitati ad se tutandum perspexissent, cumque jam finis priorum particularium conventionum per praedictos Comitatus in Momonia ultimo anno factarum cum dicto Barone de Insequin usque ad Kalendas praesentis mensis Maii instaret, timendumque esset ne iterum multiplicaret contributiones alias ab eo impositas, gravioresque imponeret conditiones quam prius imposuisset, cum haberet potentem exercitum ad manum, et consequenter subjugatum iri totam Provinciam praedictam cum aperto periculo amissionis omnium ecclesiarum dictae Provinciae, exilii totius Cleri, et extinctionis fidei Catholicae in eadem.

(560) "Nobis his malis omnibus ocyus occurrere statuentibus nihil consultius in tot et tantis angustiis visum est per inevitabilem et extremam necessitatem ad id excitatis, quam de

cessatione armorum hostilium potius cum dicto Barone de Insequin communicationem habere (qui pro parte serenissimi D. Regis nostri se ipsum aperte declaravit renuntiando Parliamentariis, inimicis nostris capitalibus) quam cum alio hoste Regi et nobis infensissimo et eo nomine per Commissarios nostros, viros prudentes, quibus religio Catholica et salus populi cordi fuit, tractatum circa cessationem armorum cum dicto D. Barone de Insequin instituimus, et re tandem ad quamdam maturitatem perlata, licet de plenitudine potestatis nostrae absque aliorum consensu nobis fas esset dictam communicationem et armorum hostilium cessationem absolvere, prout praedecessoribus nostris, Supremis Consiliariis cum eodem ipso hoste usitatum fuit, quo magis vero votivum consequerentur effectum, et ne hujusmodi cessatio aliquibus exceptionibus exponeretur, convocavimus Praelatos, Proceres, Barones, milites Comitatum, cives et Burgenses dictae Provinciae Momoniae (ut moris est) ad Assemblaeam sive Conventum Provinciale tenendum Kilkennia certa die ipsis in ea parte praefixa, potissimum pro eo quod Conventus Provincialis Lageniensis tunc et ibidem sedebat, quandoquidem ista etiam Provincia ingentia sustinuit damna per copias dicti Baronis. Quibus hic convocatis et sedentibus, propositum et interrogatum fuit ex parte nostra an expediret Confaederatis, considerando in qua conditione steterint, treugam sive armorum cessationem cum praefato Barone de Insequin tunc partes serenissimi Regis nostri (ut praefertur) suscipient et pro eo profitente ad aliquod tempus inire, et, re ultiro citroque diutius deliberata et considerata, tandem utraque Provincia votum suum pronunciavit, idque in scriptis suisque manibus subscriptis de cessatione praedicta habenda, promovenda et concludenda cum dicto Barone, et ad tantum temporis quantum nobis Concilio praedicto visum foret expedire. Interim Illustrissimus D. Nuncius cum quibusdam Praelatis coram sua Illustrissima Dominatione conventis (quibus ad eorum instantiam exhibuimus instructiones prius traditas praedictis nostris Commissariis pro dicta cessatione concludenda) habita consultatione transmiserunt ad nos quoddam instrumentum in scriptis conceptum, manibusque quatuordecim Praelatorum signatum, (quorum non nulli probatae vitae et eminentis doctrinae contradixerunt, licet de more subscripserint sententiae majoris numeri) in quo declaraverunt cessationem praedictam tendere ad ruinam Catholicae religionis, et salva conscientia admitti aut amplecti non posse, quae quidem praetensa declaratio sic incipit: *Per Archiepiscopos et Episcopos;*

1343
v

1344

et sic terminatur: *Datum Kilkenniae 27 Aprilis 1648.* Unde nos *Residentes* de Concilio praedicto cum assistentia et consensu multorum aliorum de Concilio Supremo, studentes pro viribus quieti et tranquillitati Cleri et populi Catholici, accuratis dedimus nostris Commissariis praedictis in mandatis quatenus articulos circa omnem possessionem ecclesiasticorum et laicorum et circa liberum exercitium religionis et functionis pro ecclesiasticis et laicis intra fines et districtus tam antiquos quam additionales assignatos pro alimonia sive sustentatione exercitus dicti Baronis (qui quidem articuli in scriptis a nobis concepti extiterunt) coram dicto Barone proponerent iisque insisterent, et praefati Commissarii fines mandati nostri servantes, dictos articulos sollicite exhibuerunt, et multo labore et importunitate obtinuerunt, ita ut Illustrissimo D. Nuncio et caeteris Praelatis suaee Illustrissimae Dominationi assistantibus per omnia in suis difficultatibus et exceptionibus ad religionem spectantibus satisfactum esse existimaverimus.

(561) "His tamen omnibus non obstantibus sed veris existentibus, Illustrissimus et Reverendissimus in Christo Pater et Dominus D. Joannes Baptista Rinuccinus, Dei et Apostolicae Sedis gratia Archiepiscopus Firmanus, et in Regno Iberniae Nuncius Apostolicus extraordinarius, post recessum dictorum Praelatorum dictae Provinciae Momoniae et aliorum cum iis casu assistantium in dicta declaratione, licet antedicti Praelati non fuerint ullanterus legitime convocati nomine alicujus Synodi aut Congregationis Nationalis aut etiam Provincialis, sed ut eorum vota redderent tanquam singulares personae in causa mere temporali sine mandato aut alia authoritate reliquorum Praelatorum (de quo vel quibus adhuc constitit) dictam praeten-
v sam declarationem publicari et palam affigi mandavit sive curavit 25 die hujus instantis Maii in maximum pacis et tranquillitatis hujus Regni praejudicium et detrimentum, associando suaee Dominationi Illustrissimae in mandato dictae publicationis Dominos DD. Clogherensem, Rossensem, et Corcagiensem Episcopos, quasi constituti fuissent pro delegatis ex parte dictorum Praelatorum, cum revera alii et non proximi nominati Domini Episcopi de facto, licet non de jure, assignati fuissent, et licet nos *Residentes* de Supremo Concilio praedicto timentes magnum oriri scandalum et pericula divisionis et alienationis animorum inter Confaederatos Catholicos Regni Iberniae in omnibus ejus partibus et vilipendium atque contemptum publicae autoritatis stabilitae per Confaederatos, ex

hujusmodi processu Praelatorum, eoque nomine, ut unio et Catholicorum religio conservaretur, ut Regnum ab intestino ac civili bello, nec non mutua sanguinis effusione abstineret, enixe rogaverimus praefatum Illustrissimum D. Nuncium ut viscera misericordiae commoverentur in eo, ut paternam charitatem extenderet erga omnes partes aequaliter, utque pacem, quam Praelati verbo praedicant, re ipsa promoverent, ac sua Illustrissima Dominatio promoveri faceret, tamen praemissis non contentus gravaminibus sed plura pluribus cumulando (honore suo semper salvo) non solum cessationem armorum patriae afflictæ tam necessariam omnino opposuit ab initio et durante tractatu ejusdem, licet duratura sit duntaxat ad Kalendas Novembbris proximi ad maximum commodum Reipublicae et religionis Catholicae, et quo melius, efficacius, et validius reliquos nostros hostes persecui valemus, sed potius vehemens factus unionem nostram dissolvere nisus est atque etiamnum nititur (dignitate et honore suis semper salvis), et (quod periculus est) turbas excitare in periculo et inter milites indies conatur, comminando excommunicationis latae sententiae paenam contra defensores, fautores, aut promotores dictae cessationis et hic non moratus per quendam Dionisium Massarium gerentem se pro Decano Firmano, quoddam scriptum minus tamen authenticum, proponi curavit sub nomine Edicti, idque publice affigi in civitate Kilkenniae fecit, per quod idem Decanus nomine Illustrissimi D. Nuncii et tanquam delegatus suae Illustrissimae Dominationis preecepit omnibus et singulis personis cuiuscumque dignitatis, gradus, status, officii, conditionis, seu Religionis ne, quovis quaesito praetextu, quicquam verbo aut scripto, publice aut privatim proferre, tradere seu publicare contra declarationem DD. Archiepiscoporum et Episcoporum praedictorum praesumerent sub paena excommunicationis latae sententiae, cuius absolutionem reservavit ipsi D. Nuncio. Quod quidem scriptum gerit datum Kilkenniae die 27 instantis Maii. Et licet dictus Decanus per dictum scriptum seu schedulam nominet se delegatum Illustrissimi D. Nuncii (cui non est ullatenus obediendum prout delegato nisi quatenus de mandato delegatorio doceat ad plenum, cum nullam habeat jurisdictionem in hoc Regno in jure fundatam), idem nihilominus fulminare excommunicationis paenam et etiam latae sententiae non dubitavit, asserendo duntaxat Illustrissimum D. Nuncium misisse ad ipsum suas facultates et ordinem ut super hac re ad tempus posset providere, sub datum Kilmensi die 26

1345

Maii 1648, in omnibus minus juste et contra Juris Canonici dictamen. Verum ipse Illustrissimus D. Nuncius afflictionem addendo afflictis, ulterius progressus, cum assistentia Illustris-
 1345 simorum DD. Episcoporum de Clogher, Ross, | Corck, Downe,
 v (qua tamen autoritate nescitur) licet excommunicatio sit mucro Ecclesiae et ad ejus fulminationem sit plumbeis pedibus pro-
 cedendum, servatis etiam debitIs interstitiis et praemissa trina monitione vel una peremptoria vires ac vices trinae monitionis cum requisitis intervallis obtinente, his omissis et juris ordine non servato, neque nobis vel alio quocumque (quod sciamus) specifice citatis, neque de aliquo ecclesiastico crimine convictis aut confessis, nec in aliqua manifesta contumacia existentibus, elato velo et maxima faestatione 27 Maii quamdam excom-
 municationis sententiam seu schedulam pronunciavit et pronunciaverunt praedicti quatuor Episcopi tanquam delegati sive subdelegati Praelatorum superius specificatorum (licet delegationis instrumentum aut actum ejusve tenorem nullatenus specificaverint, publicaverint, aut nobis intimaverint vel exhibuerint) contra omnes fautores, defensores, vel promotores dictae cessationis, ulterius praecipiendo universis et singulis Generalibus, Colonellis, ducibus, officiariis, militibus et quibuscumque aliis Catholicis, ne cum dicto Barone de Insequin vel quocumque alio haeretico sese jungere vel eidem aut eisdem adhaerere praesumant, vel audeant arma sumere contra exercitum sive exercitus Catholicos dictam cessationem impugnaturos, subjiciendo hujusmodi paenis qui praedictam cessationem jam acceptaverunt, quamvis de corpore Supremi Concilii sint, et licet loca specialia nullatenus praemonita extiterint, per praedictam tamen chartam omnes civitates, Comitatus, oppida, villae, et pagi sunt interdicto supposita, et licet denique nulla persona singularis in hujusmodi excom-
 1346 municatione, interdicto, edicto, vel aliis comminationibus specificetur, | ita ut nemo teneatur necessario ab iisdem provo-
 care aut appellare, maxime pro eo quod minus rite aut legitime processum sit in hoc negotio per totum progressum ejusdem potius ad privatos et periculosos fines, quam ad propagationem sive conservationem religionis institutum (salvo semper honore et reverentia debita dictis Praelatis), cum vergat tamen in subversionem et perniciem reipublicae et religionis, Nos ad satisfaciendum conscientiis fortasse turbatis aut timoratis, tam ex parte nostra et reliquorum Supremi Concilii, quam ex parte Generalium, praefectorum, colonellarum exercituum nostrorum,

omniumque duxorum, officialium, militum, peditum et equitum, omnium praeterea Archiepiscoporum, Episcoporum, Dignitorum, dominorum spiritualium et temporalium, Abbatum, Priorum, Rectorum, Superiorum, aliorumque quorumcumque Religiosorum et clericorum saecularium, nec non Magistratum, Civitatum, Comitatuum, Collegiorum, Monasteriorum, Conventuum, ecclesiarum, et sacellorum, Societatum, civium, et Confaederatorum quorumcumque Catholicorum sub nostro regimine et potestate constitutorum et dictam cessationem approbantium sive amplectentium, dicimus, proponimus, et allegamus, animo tamen appellandi et provocandi, nos omnes et singulos esse enormiter laesos, aggravatos, et injuriatos ex praecitatis gravaminibus, nullitatibus, iniquitatibus, injustitiis, et injuriis, aliisque ex praetenso processu praedicto commode proponendis et colligilibus omnibus et singulis, nobis et Confaederatis Catholicis (ut praefertur) illatis et inflictis. Et allegamus dictam cessationem cum magno commodo et relevamine Catholicorum hujus Regni esse factam et initam ad bonum et utilitatem Ecclesiae Catholicae et Confaederatorum Catholicorum | hujus 1346 Regni, et non ad eorum destructionem, praejudicium, aut laesionem, ac proinde eamdem non esse materiam excommunicationis nec alterius censurae ecclesiasticae, ideoque dictas censuras illegitime latas fuisse, earumque latores falcam suam in alienam mensem immittere, et sese intromittere rebus omnino saecularibus, etiam si ecclesiastica jurisdictione sit certis limitibus circumscripta et distincta a jurisdictione laicali, prout ex locis juris et omnium temporum historiis plenius constat.

(562) "Ex hic igitur causis et aliis quamplurimis in nostris remonstrationibus specificatis et imposterum specificandis, ab omni processu praedicto, incepto per dictum Illustrissimum Nuncium et quatuordecim Praelatos sua Illustrissimae D. assistentes, prosecuto per praetensos delegatos sive subdelegatos et Decanum Firmanum praedictum et nunc consumpto per ipsum D. Nuncium atque Reverendissimos Clogherensem, Rossensem, Corcagiensem, et Dunensem Episcopos sub praetextu delegationis aut subdelegationis praedicto, et ab ipsis Illustrissimo Domino Nuncio caeterisque praedictis, eorumque praetensis delegatis sive subdelegatis tanquam judicibus nobis suspectis, infensis, incompetentibus, et minus indifferentibus in hac causa statum Regni et Confaederatorum praeservationem concernente, et in primis ab eorum declaratione, ejusdem publicatione, et decreto publicationis, ab edicto

praetenso praedicto nec non ab eorum excommunicationibus,
 interdictis, suspensionibus, fulminationibus, comminationibus,
 aggravationibus, et aliis quibuscumque censuris et paenis ear-
 umque annexis, connexis, concomitantibus, sequentibus, et
 effectibus nulliter et inique latis, pronunciatis, publicatis, sive
 inflictis per eosdem conjunctim sive divisim (salvo honore,
 dignitate, et reverentia eorundem), quatenus aliquem juris effec-
 tum habere reperiantur, ad Sanctissimum | in Christo Patrem
 et D. N. Innocentium, divina providentia sacrosanctae Romanae
 et Urbis Ecclesiae Summum Pontificem, et suam Sanctam Sedem
 Apostolicam pro nobis et universis Confaederatis praedictis in
 his scriptis provocamus et solemniter appellamus, Aposto-
 losque petimus semel, bis, ter, instanter, instantius, et
 instantissime. Qui quidem Apostoli si nobis denegati, aut
 plus justo prorogati aut loco minus congrue assignati
 fuerint, iterum provocamus et appellamus in his scriptis et
 Apostolos petimus ut supra, submittentes nos et hanc nostram
 causam tuitioni, protectioni, et judicio dicti Sanctissimi
 Pontificis Maximi, protestantes ulterius quod per nos non stabit
 quominus hanc nostram appellationem et provocationem debite
 prosequamur, et quod intra fatalia juris eamdem interposueri-
 mus, et similiter quod in relevamen oppressorum, aggravatorum,
 et atrociter injuriatorum fas sit ab Illustrissimo Domino Nuncio
 et a Praelatis antedictis, eorumque delegatis et subdelegatis ad
 Suam Sanctitatem appellare, et quod non sit idem tribunal in
 omnibus et per omnia D. Nuncii et Summi Pontificis, cum is in
 partem sollicitudinis, et non in plenitudinem potestatis sit
 assumptus, majoremque autoritatem semper Sua Sanctitas
 retineat quam cum Legatis etiam de Latere aut Nunciis com-
 municat. Protestantes quod articuli cessationis prout nunc
 conclusi sunt cum D. Barone de Insequin non idem sed
 differentes et multo utiliores sint pro interesse juribus Cleri
 Catholici, quam fuerint instructiones sive putativi articuli
 inspecti a Praelatis super quibus fundaverunt dictam suam
 declarationem, cum principalis exceptio fuerit quod (ut asserunt
 iidem Praelati) non fuerit sufficenter provisum pro possessioni-
 bus | pertinentibus ad Clerum Catholicum intra limites sive
 v quarterios assignatos dicto Baroni de Insequin, quibus tamen
 nunc sufficenter prospectum et consultum est per articulos
 Cessationis, reservantes insuper nobis dictis appellantibus
 potestatem addendi, diminuendi, corrigendi, vel mutandi hanc
 nostram appellationem sive provocationem, quatenus et quoties

opus fuerit. Et praeterea tenore praesentium nominamus, ordinamus, facimus, et constituimus dilectum nobis in Christo D. Richardum Lawles, de civitate Kilkenniae Armigerum, procuratorem nostrum et Syndicu[m] indubitatum cum quibuscumque clausulis necessariis, utilibus, requisitis, styli et fori nomine nostro et Confaederatorum praedictorum ad exhibendum hanc appellationem et provocationem nostram coram dicto Illustrissimo D. Archiepiscopo Firmano et Nuncio, nec non coram dictis DD. Episcopis signantibus dictam excommunicationem eorumque delegatis sive subdelegatis conjunctim sive divisim, si eorum copia aut praesentia de facili habere poterit, vel tutus sit ad eos accessus, sin minus coram aliquo notario publico sive persona authentica, iisque commode non habitis coram testibus fide dignis et ad Apostolos cum instantia petendum, extrahendum, et obtinendum, dictamque appellationem effectualiter prosequendum, et promittimus nos ratum, gratum, et firmum habituros totum et quicquid dictus noster Procurator fecerit sive fieri procuraverit in praemissis sive eorum aliquo sub hypotheca bonorum nostrorum. In quorum omnium praemissorum fidem praesentibus sigillum Confaederatorum Catholicorum dicti Regni Iberniae quo ad majora utimur affigi fecimus et curavimus. Datum ultima die mensis Maii anno Domini 1648, pariterque nos infrascripti propriis manibus subscrispsum die, mense, et anno supra specificatis.

Montgaret. Athunry. Lucas Dillon. Rob. Lynch.
Phelim O Neill. Richardus Bellings. Geraldus Fenell.
Patricius Brian. Rob. Devereux." |

(563) Quod ad Montgarettum huic appellationi subscribentem spectat, Consiliarius non erat, ne substitutus quidem, cum esset Lageniensis et tres Consiliarii Lagenienses vicem ipsi obierint suam. Quod etiam ad Phelimum seu Felicem O Nellum attinet, haud Consiliarius erat ne substitutus quidem. Nam licet esset Ultoniensis, et ex eorum numero, qui certis casibus substitui possent, illi tamen casus erant quoties Consiliarius *residens* necessitate detentus vel certe utilitate publica ductus abasset, non autem cum Consiliarii alicujus Provinciae *residentes* in actum publicum iniquum consentire vel subscribere nollent, sicut hic tribus Consiliariis Ultoniensibus, nempe episcopo Clogherensi, Henrico O Nello, et Turlogho O Boill successit, qui inducias repudiarant, et censuris aliisque Nuncii et Praelatorum ipsi adhaerentium mandatis morem gesserant.

Itaque duo praefati personas tunc mere privatas non Supremos Consiliarios agebant. Quae etiam ratio militat in multis aliis a Consiliariis excommunicationi morem non gerentibus secum adhibitos ad acta plurima, quae in regimine etiam adversus excommunicationem prosequendo postea condiderunt, roboranda. Notum tamen est majorem Concilii partem, nempe septem ex duodecim, praeter hanc aliorum accessionem aperto marte excommunicationem et tanquam natura sua invalidam sprevisse, et causae suae fortius sustinendae studio ad Suam Sanctitatem appellasse. Qui casus efficit ut hic referam quod Nuncius ipsa die, qua ultima Regni Comitia finita fuere, nempe 24 Decembris 1647, scripsit Cardinali Panzirolo: "Potissimae (inquit) curae nostrae in componendo Concilio fuere collocatae,

Reg. p. 547. cum enim propositi essent qui Clero prorsus adversarentur, Episcopis decretum fuit Concilium non agnoscere nisi componeretur cum aequalitate; et quia pars maligna suam in hoc

1348 v. omnem jacebat basim, ea erat partium obstinatio ut fuerint per

biduum in evidentissimo dissuadendae unionis et nasciturae inter nos sanguinolentae discordiae periculo. Ventum est demum ad novam electionem, et cum tota difficultas *circa unum tantummodo hominem* verteretur, haud aequum duxi ut pro re levi Regnum integrum turbaretur, et in eam ivi sententiam ut contenti essent inclusa hic Concilii nominatione." Haec ille, Italice et notis arcanis. Verum rem illam haud fuisse levem docuit experientia. Nam si ex septem Consiliariis in hac induciarum excommunicationis et appellationis causa inter se conglutinatis vel unus, alio qui non Ormonio sed Nuncii partibus studeret suffecto, exclusus fuisse, caeteri sex (nisi forsitan Limericensis vel Zepherinus Barronus defectum supplevissent) spei iritti evasissent, cum ad publica Concilii Supremi acta legitime condenda ex Comitiorum Generalium jam dictorum statuto requireretur ut saltem septem Consiliarii *residentes* ex duodecim consentirent. Dixi nisi forsitan Limericensis vel Zepherinus Barronus defectum supplevissent, quia re ipsa licet Limericensis, tunc Consiliarius, a septem illis Limericum secesserit, postea tamen aperte professus est se semper in ea fuisse sententia ut inducias juste et legitime contractas existimat; quo tamen non obstante eum publicis Concilii actis et subscriptionibus, in quibus controversiae cardo et summa verteretur, quaeque Nuncio et partibus ejus praejudicarunt, ex quo Nuncius Kilkennia discesserat, abstinuisse, ac demum prorsus secessisse video, postquam Nuncio litteris ad eum Kil-

kenniae 29 Maii datis haec verba scripsisset: “convocandi (inquit) igitur sunt omnes Regni Praelati; ipsorum enim causa agitur. Et ego eorum sententiae conformis ero.” Sic ille. 1349 Ex quibus ejus verbis colligo eum suo judicio renunciaturum, et Cleri in Congregatione Ecclesiastica sententiis contrariis subscriptum, adeoque nunquam in inducias contrahendas consensum, si per ipsum velut septimum Consiliarium necessario requisitum stetisset quominus contraherentur. Quod autem ad Zepherinum Barronum trium Consiliariorum Momoniensium secundum pertinet, ille pariter quamlibet laicus viso Nuncium dissensisse contrahendis induciis ita subscribere recusarit ut prorsus secesserit, licet postea appellantibus coaluerit; quare parum dubito quin in prima animi sententia perstitisset, si tota controversiae decisio a solo ejus punto velut septimo pependisset. Caeterum Nuncius et Praelati assistentes, qui juxta delegationem a Regni Archiepiscopis et Episcopis 2º Maii factam eorundem antistitum omnium in hac causa prosequenda personas gerebant, appellatione 4º Junii intempesta nocte a Concilii procuratore Richardo Lawles, recepta, quales Apostolos dederint, hic legas:

“*Sanctissimo Domino Nostro D. Innocentio Papa decimo.*

“ Beatissime Pater.

(564) “ Post sacrorum pedum oscula. Accepimus hodie quamdam formam appellationis in pergamenta scriptam a quibusdam DD. Consiliariis Supremis Regni hujus Iberniae contra nos nostramque sententiam excommunicationis, qua omnes iniquissimae treugae cum Insequinno Barone nuper conclusae adhaerentes innodavimus, interpositam quae incipit: *In Dei Nomine Amen. Nos Richardus Vicecomes de Montgaret,* etc; datamque gerit ultima die Maii anni 1648. Cujus appellationis tenorem hic inserere tum ob prolixitatem ejusdem, tum ob locorum et temporum, quibus nunc premimur, angustias, omnino non possumus. Quoad nos porro attinet, Pater Beatisse, licet appellationem praedictam ineptam esse frivolam, frustratoriam, nullo juris fulcro munitam, falsa item permulta et nobis et aliis episcopis injuriosa continere dignoscamus, ac proinde non acceptandam nec eidem deferendam censuimus aut censemus, nec eidem deferimus aut acceptamus ut legitimam, tum propter praedicta superius, tum quia talis acceptatio et delatio in praesentissimum, maximum et inevitabile vergeret

fidei Catholicae Romanae periculum; nihilominus ob reverentiam vestram, Beatissime Pater, vestræque Sedis Apostolicae et Curiae Romanae, atque ut famam nostram adversus praefatos calumniantes in toto processu et sententia predictis apud Sanctitatem Suam conservemus illaesam, hos iisdem Apostolos refutatorios et quoad effectum sententiae nostræ *devolutivum* non *suspensivum* ad spatium sex mensium integrorum a praesentium data valituros concedere decrevimus et concedimus per praesentes, quibus quidem et quo temporis intervallo predicti appellantes sub ulterioribus paenitentiis et censuris imposterum a nobis infligendis et mandato nostro strictissima falsa sua et praetensa gravamina cum hoc scripto nostro coram Sanctitate Sua praesentare et, si poterunt, (ut omnino non poterunt) comprobare teneantur. Interim non obstantibus quibuscumque declarantes et manifestantes pristinam sententiam nostram, excommunicationis sententias et censuras quoad omnes suos effectus in suo robore permansuras, nec easdem vel earum aliquam irritae et inutilis appellationis hujusmodi intuitu aut praetextu ab iisdem aut aliis quibuscumque violari, temerari, aut infringi posse aut debere. Easdemque nostras de novo ratificamus et confirmamus sententias, omnesque eis hactenus contravenientes et contraventuros imposterum excommunicationem majorem latae sententiae perinde incurrisse incursurosque, ac si talis nunquam fuisse interposita appellatio, iterum decernimus ac declaramus, omnemque ulteriorem, si quam forte interposuerint, appellationem cassamus, irritamus et annullamus per praesentes. Hoc porro nostrum praesens decretum, acta, scripta, gesta, et processus nostros universos in predictis aliisque omnibus Sanctitatis Vestrae, etc. censurae omni qua decet humilitate et reverentia submittentes offerimus. Datum in hoc loco praesentis nostræ mansionis et refugii, Kilcolgan in Comitatu Regis die 4 Junii 1648.

Sanctitatis vestrae humillimi et fidelissimi servi

Joannes Baptista, Archiepiscopus Firmanus, Nuncius Apostolicus. Emerus Clogherensis Episcopus. Robertus Corcagiensis et Cluanensis Episcopus. Fr. Boetius Rossensis. Fr. Antonius Episcopus Clonmacnosensis."

Walterus Enos Secretarius."

(565) Concilii Diarium, ex quo multa a Kalendis Martiis hucusque mutuatus sum, hic mihi expirat. Porro Nuncius et alii Praelati (ut vides) interpositam a Concilio appellationis



sententiam *falsa permulta et sibi ipsis et aliis Episcopis injuriosa continere hic dignoscunt.* Quae autem illa sint non diffiniunt, nec ego prolixam appellationis et partium ejus dissectionem hic faciam, ne lectori nauseam pariturus id ipsum repetam. Acta enim ad controversiam utrinque spectantia suis locis superius exhibui, quorum lectione et collatione mutua nemo appellationis sententiam suis ponderibus non libret. Notandum etiam in his Apostolis et appellatibus a Nuncio et Praelatis non agnoscere in Concilium Supremum, sed in quosdam DD. Consiliarios Supremos. Nuncii enim pars iisdem rationibus merito sustinebat et causam suam esse justam et septem illis Consiliariis nec Concilii nomen nec authoritatem attribuendam, absentibus aliis Consiliariis, non aliam ob causam quam ut cum septem illis tanquam excommunicatis et Ecclesiae causaeque Catholicae ruinam molientibus nullum commercium haberent. Sed septem illi Consiliarii suam causam justam esse iniquissime sustinentes continuo allegabant se in rebus decernendis uti jure suo, et aliis Consiliariis vitio vertendum quod secesserint, eosque, etiamsi residerent et semper refragarentur, haud tamen id assecuturos ut septem ex duodecim Consiliariis juxta ultimorum Comitiorum Generalium statutum in rebus diffiniendis inter se consentientes non praevalerent. Quae controversia licet maximi momenti sit, ejus tamen decisio ex induciarum, censurarum, et appellationis quaestionebus et aequitate vel iniquitate dependet. Quam inferius nedum superius agitari videas. Nobis hic notasse suffecerit in narrationis nostrae imposterum decursu Concilii Supremi nomine non Concilium integrum sed hujusmodi truncatum ita significari, ut per hanc tot actis publicis communem vocis acceptiōem Nuncii et partium ejus causae minime gentium praejudicare statuamus. Caeterum licet Apostoli illi a Nuncio et Praelatis assistentibus 1351 et ex autoritate per Cleri decretum 2 Maii conditum concessa diffiniētibus (quos vel alios tales tota hac aestate et autumno congregationem vocitari moneo) ad effectum non suspensivum sed devolutivum tantum concessi fuerint, Concilium tamen excommunicationem invalidam, et validam sustinebat esse appellationem, et authore D. Waltero Enos hos Apostolos a Faederorum Catholicorum notitia subduxit ne penitus avertrentur ab acceptatione induciarum adeo execrandarum. Concilii quoque sententiam Kilkenniae magnis lateribus palam defendebant David Rothus Episcopus Ossoriensis tunc capularis senex, ibi diaecesanus et Thomas Desseus, Episcopus Midiensis,

1350
v

1351

Justiti :
Cap. 42.
num. 4.

in ea urbe tunc praesens, vix non aequre decrepitus, cum aliquot sacerdotibus saecularibus et diversorum Ordinum Religiosis, praesertim Carmelitis, strictioris observantiae Franciscanis, et Jesuitis, quibus omnibus et aliis ejusmodi suae causae studiosis ecclesiasticis Concilium accedendi et sibi adhaerendi votum indidit. Qui aliquot mensibus interjectis libellum Anglicanum, de quo exactius suo loco agam, in induciantium et appellantium

1352* favorem Kilkenniae ediderunt. | Quos secuti sunt alii sacerdotes et Religiosi in diversis Regni partibus, idque Episcoporum non nullis nunc faventibus, nunc conniventibus, quae Cleri a Clero defectio luctuosam populi discordiam seminavit. De hac Cleri divisione Nuncius: “ Septemdecim (inquit) Episcopi pro cen-

Relat.
Cap. 30. suris fecerunt, sed octo se alienarunt, inter quos in omnium stuporem erant quatuor ex iis, qui induciarum condemnationi subscriperant. Eadem prope mensura non nulli Religiosi Ordines in se ipsis discordabant, in quorum quibusdam pars minima, in aliis minor inducias approbabat, exceptis S. Dominici et Capucinorum Ordinibus, in quorum primo unus solus, et in secundo a meis sensis aberrabat nemo. Notatu bene dignum fuit eorundem Episcoporum et omnium aliorum, etiam claustralium, a quibus induciae propugnabantur, ne unum quidem fuisse, qui veteribus Ibernis faveret, vel cuius non interesset ut Ormonistis adhaereret, et specialiter Episcopos manifestum fuit haud alia ductos esse ratione, quam suarum facultatum perdendarum metu, vel suae factionis exaltandae desiderio. Perspicuum satis argumentum quo dignoscatur eorum dogmata essent charitas in Patriam, an ardor factionum?” Haec Nuncius.

(566) Praeter praefatum libellum Anglicanum video alium Latine tunc Kilkenniae editum fuisse, authore Donato O Kinello, Juris utriusque Doctore, qui probare conatus est appellationem fuisse validam sed pene intacta censurarum justitia et validitate. In quem, praefatosque, et omnes alios induciarum propugnatores et censurarum aggressores calamus tunc acuit D. Massarius **1352** Juris utriusque | Doctor, natione Italus, Decanus Firmanus, **v** tractatu Latino sed Concilii autoritate typis intercluso. In quo ille tunc Kilkenniae commorans fuse et nervose probandum suscepit inducias illas fuisse contractas in maximam haereticorum utilitatem, summum Catholicorum damnum, religionis et Ecclesiae Ibernicae praejudicium, in Nuncii, Cleri, Eugenii

* (1351 v tota alba est.)

O Nelli, et aliorum omnium causae Catholicae studentium oppressionem, absque ulla necessitate proventibus ecclesiasticis hosti ad cessationis tempus Clero contradicente relictis, idque totum ut Ormonius, homo haereticus, Clero et fautoribus infensissimus, in Proregem rediret, proindeque inducias suapte natura multifariam fuisse iniquissimas, excommunicationem validam, et appellationem notorie nugatoriam. Quinetiam Bernardus O Leyn J. U. L. et sacerdos eandem sententiam altero MS. Latino haud male secundavit.

(567) Tota hujus controversiae decisio pendet a quaestione facti, in qua partes discordant. Concilium enim et adhaerentes praetendebant inducias necessitatem et causae Catholicae utilitatem. Nuncius utramque pernegabat. Hoc est totius contestationis fundamentum, super quod aliter atque aliter jactum ambae partes duo diversa construxerunt altercationum aedifia.

(568) Ad veritatem hic investigandam considerandum est Insequinnum Parlamento Anglicano, ad quod anterius a Rege defecerat, ab anno circiter ex parte refragantem, non sperasse ex Anglia nec pecuniam, nec annonam, nec militum supplementum, nec ullum omnino subsidium nisi plenum antea illis rebellibus obsequium praestitisset. Quod ille, quoad posset, non erat exhibitus cum per anni superioris experientiam didicerit, se mox illa provincia obeunda, quam tamen anhelabat abdicandum, et forsitan capite, nedum fortunis omnibus multandum. Attendit Angliae Parlamentum domesticis dissidiis toto illo Regno tunc ebullientibus et bello a Scotia illato fuisse hoc anno tantopere detentum distentumque, ut quantumvis vellet, minime tamen posset, vel certe non nisi valde tenues posset Insequinno adversum Catholicos venire suppetias. Restat ergo discutiendum nunquid Insequinnius proprio Marte esset resistendo. Fuisse autem inficias ibimus, imo longe majores ejus angustias in confesso ponemus, si epistolis cum Tribuno *Stubers* et centurione, Copo, ab illo Insequinnii jam ad has inducias contrahendas gestientis exercitu in Angliam scriptis, earumdemque copiarum edicto, quo, mense Aprili, Anglicano Independentium Parlamento nuncium miserunt, et Parlamenti Scotiae ad Insequinnum responso, quae omnia suis locis jam inseruimus, fidem habeamus. Verum ut sub veritatis et sinceritatis vexillis militemus, ingenue fatendum est plurima quidem sed non omnia, quibus illi luporum fame pereuntium instar suam ibi ululabundi maciem, penuriam, nuditatem,

1353

aliasque miserias exprimunt, digna esse, quae pro falsis habeantur. Ut enim Parlamentum Anglicanum novis subsidiis emungerent, seque eidem et commilitonibus ob conventionem cum Concilio Supremo ineundam et jam Insequinnii corde destinatam obmurmuraturis per anticipationem purgarent, adeo se ad rerum omnium angustias redactos scripserunt, et Catholicorum extulerunt vires, ut epistola 4^o Martii 1648 data significarint necessario sibi cum Catholicis conveniendum, nisi subsidia propediem ex Anglia suppeditarentur, vel certe naves, quibus suae et tot innocentium sibi adhaerentium saluti consulturi in Angliam, desertis Momoniae praesidiis, transmis-

1353 grarent. *Sed majora veris monstra non capiunt fidem.* | Constat enim exercitum illum subsidiis mense Februario anno 1647 cum Lillo ex Anglia advectis magnopere instauratum, erectumque, Lillo post aliquot septimanas exploso et Insequinnio iterum imperante eodem anno ad finem Aprilis Caperquinniam, et ad nonas Maias Dungarvaniam expugnasse, totaque illius anni aestate, autumno, et hyeme secuta se universae pene Momoniae substantia, succo et sanguine saginasse, direpta Cassilia, captaque Callania, et Cahiria, Catholicis ob mutua dissidia valde parum occurrentibus usque ad autumnum, quo non occurrentes sed occursum declinantes, agrum Corcagiensem hostilibus praesidiis continentem populati sunt, sed ab Insequinnio paulo post justo praelio apud Montem Ramosum 13 Novembris profligati. Qua ille victoria inflatus cum antea plerasque Provinciae regiones stipendiarias effecisset, tunc, exindeque, usque ad inchoatum hoc anno induciarum tractatum, reliquam pene Momonię et Lageniae partem peragravit praedabundus, nostris plus spectantibus quam obviantibus. Et licet non dubitem, quin illae copiae potius Catholicorum dissidiis quam sua praestantia tot tantaque latrocinia patrarint, et credam fuisse jamdudum delendas, si Catholici strenue et concorditer bellum administrassent, quicquid tamen sit, non erant fame et nuditate usquequaque pereuntium et sua praesidia occidionis metu desertorum hae grassationes. Ex altera etiam parte

1354 perspicuum est toto illo | tempore Insequinnii copias mortalitate et multis inter quas restitum est velitationibus atque obsidionibus haud mediocriter fuisse accisas, ac demum in praefato Montis Ramosi praelio ad duo millia et quingentos, majore quam nostros numero, cecidisse. Cum ergo multis retro mensibus Insequinnio cum Parlamento male convenerit, nec ex Anglia suppetias nec recentem militum manum expectaret, nec

Parlamento, ne, quam obibat, provincia exueretur et se verius tractaretur, reconciliari vellet, continuo liquet in eum revenisse locum, ut magnis cogitationum fluctibus jactaretur, vix sciens quo se verteret. Antea ad belli initium Regi militaverat, postea ad Parlamentum a Rege descivit. Nunc in Independentium Parlamentum recalcitravit. A Rege jam rebus omnibus spoliato, et ab Angliae rebellibus in custodiam dato, dum ad obsequium rediret, veniam quidem, sed non opem, sperabat. Militibus et officialibus praeerat Iberus Anglicanis, quorum plerique occultis molitionibus Parlamento studebant, nihil prope sic ambientes ut congruam deficiendi et Parlamento ejus praesidia prodendi occasionem, utrique tamen et ipsi et Parlamento in Catholicos ex animo addicti, quia nationi Ibernicae et Catholicismo infensissimi. Atque hinc ille de sua jam natione pessime meritus, adeoque hac etiam ex parte diffidentiae plenus, huic sceleratissimae et ter nefariae sicariorum Anglicorum colluvioni in Iberos quidem fidebat, sed in Parlamentum diffidebat. | Quare cum nec de Rege, nec de Parlamento, nec de 1354
Anglis, nec de Ibernis, nec de Puritanis, nec de Independentibus, v sed de proprio commodo multum sollicitus videretur, ab Independentium Parlamento iterum ad Regem utcunque rediit, solam illam tunc superstitem inituro viam, qua sibi praefecturam in tuto poneret, omne cum Parlamento commercium alias periculosum amputaret, et hac latronum manu in Catholicos ipsisque in ipsos, nempe Ormonistis in Cleri fautores, uteretur, nisi utrinque in conditiones ad ejus genium et avaritiam consentirent.

(569) Praesidia autem moderabatur, nobilem Corcagiae civitatem flumine bidentis instar duas portas ex diametro oppositas alluente et mari inter tumentiores ejus aestus ultra muros exundante vallatam, Kinsaliam et Yeoghelliam, duo celeberrima oppida portibus optimis nobilitata, Dungarvaniam, alterum praesidium maritimum, Bandipontum longe meliorem munitionem sed mediterraneam, Capercuiniam, Blarniae et Cahiriae castra defensioni peropportuna, Carrigiam, Ormoniae Augustale, aliaque minoris momenti Castella, quae hoc praesertim anno occupavit, nostris adeo se interea gerentibus ut major Concilii pars Ormonio studens ei conniveret. Caeterum praeter milites domi in praesidiorum excubias tutelamque relinqu solitas, (quos pro muneric momento paucos fuisse non dubito) inter movendum ducebat sub vexillis quaterna circiter sed veterano-

rum et magna ex parte in bello etiam Anglicano antea |
exercitatorum millia, sicut hoc anno Corcagiae typis mandarunt.

I355 Relat. cap. 26. Nec discordat Nuncius qui equitibus silentio praeteritis ad terna circiter vel quaterna peditum millia calculum revocat.

(570) Itaque si Catholici hoc anno exercitum in Momonia supplevissent, videtur futurum fuisse ut hunc hostem si non majorum locorum obsidione coarctarent, certe ad praelium meliore spe quam anno superiore, quo ille majores copias ducebat, provocarent, vel commeatu, annonam, et tributis Provinciae extortis, quibus subsistebat majore saltem ex parte intercluderent, fame sic equos ejus militesque ipsos confecturi. Momoniae autem Comitia ad ineuntem Februarium ut septies mille peditum et mille quingentorumque equitum exercitus Provinciae impensis sustentaretur, juxta Comitiorum ultimorum statutum decrevisse, author est Nuncius. Nec fidem habet decrevisse nisi quod Provinciam praestare posse prudenter judicarent. Has autem vires in finem jam dictum credere par est suffecturas. Mirum tamen mihi videtur Nuncium nunquam ad Concilii causationes scriptas scripto tenus respondisse aut objecisse praefatum decretum a Comitiis Momoniensibus fuisse latum, etsi in suum Diarium retulerit, et 8º Aprilis Cardinali Panzirolo notis arcanis significarit.

(571) Notum enim est Concilium actis superius insertis ad nauseam repetiisse tantas Momoniae hostilibus direptionibus et propriis exercitus impensis atque excursionibus exhaustae miserias. Quae exceptio cum inter Nuncium et Concilium mense Aprili per chartas superius positas fuse agitata esset, Concilium has chartas ultro citroque antea missas Cleri Congregationi communicavit, cumque 27 Aprilis in illo Praelatorum consessu de induciis probandis vel improbandis ageretur, Nuncius pressit ut in Momoniam adversus Insequinnum mitterentur copiae Ultonienses: “ quibus (inquit Innocentio X.) offerebam me ex Sanctitatis Vestrae pecuniis stipendia numeraturum, et meis humeris sine Faederotorum dispendio sustenturum totum Momoniae pondus.” Haec ipse Nuncius, subjungitque Praelatos, ea lege oblata, exclamasse et decreto quo ea die induciae damnatae fuere, subscrispsisse, nec non statuisse omnes ut eodem modo circa has inducias repudiandas procederetur, quo circa pacem Ormonicam anno 1646 proscribendam processerant, ac demum delegasse illam excommunicandi autoritatem non quidem ea die 27 Aprilis, sed altero decreto 2 Maii lato, et superius in medium producto.

Reg. p. 595.

I355 v

Rel. Cap. 26

(572) Condicio illa suppeditandi omnes belli in Insequinnium viriliter prosequendi impensas a Nuncio tunc Clero oblata nullum prorsus Concilii fautorumque causationibus locum relinquare videbatur. Qualiter autem Nuncius conditionem illam praestare posset hic subdam. Subsidia Pontificia, quae cum D. Massario in Ibernia missa erant, quinquaginta fuisse scutorum millia monetae Romanae constat ex ipso decreto 1356 Pontificio huc spectante 27 Aprilis 1647 Romae dato et superius inserto. Ille Roma tunc in Iberiam concessurus discessit, et ubi eodem anno 1647 reliquo praeter votum in Gallia commoratus esset, atque in binis fregatis, una quidem redimenda sed altera comparanda, aliisque sumptibus magnam pecuniae partem posuisset, jussus est a Cardinale Panzirolo per litteras 23 Decembris eodem anno 1647 Lutetiam Parisiorum directis ut rationem per epistolam redderet. Juxta quam Nuncio deinde a Cardinale transmissam, Massarius in usus jam dictos impenderat quatuordecim scutorum millia cum ducentis circiter et quindecim scutis. Verum post illam rationem ad hujus anni initium Cardinali per litteras redditam recensendi erant sumptus, quos in armis, quae Magnus Etruriae Dux anno 1647 elargitus erat, Liburno, tunc Burdigalam, et hoc anno 1648 Burdigala in Iberiam transportandis, atque in fregatis providendis, aliisque rebus collocavit usque ad appulsum in Iberiam hoc anno mense Martio. Quare crevit computum expensarum usque adeo ut Nuncii tabulae accepti et expensi contineant Massarium extraxisse ex Gallia praefatas suppetias Pontificias collybo 163500 librarum Turonensem, et ex his impendisse in praedictos omnes usus ante appulsum in Iberiam libras Turonenses 54874, nempe totius summae Pontificiae trientem et quod excurrat.

(573) Praeterea antequam Massarius anno 1646 ad Kalendas Septembres ex Ibernia navigaret, suppetias a Pontifice postulaturus, invenio eas pecuniis mutuo acceptis fuisse ex parte consumptas. Nam Nuncius 13^o illius mensis Augusti per Procuratorem mutuatus erat a Clanricardio mille ducentasque 1356 libras sterlingas non nisi hoc anno post Massarii appulsum ex v iisdem subsidiis Clanricardio repensas. Deindeque idem Nuncius subsidiis, quae ipse anno 1645 attulerat, jam exhaustis, eodem anno 1646 ad proscribendam Catholicorum viribus pacem Ormonicam, et ad promovendam expeditionem Dublinensem mutuo accepit 30 scutorum millia, adeo ut rerum illarum testes oculati Oratores Iberni, Episcopus Fernensis et Nicolaus

1357

Plunkettus, hoc anno mense Julio Romae chartam porrixerint, quae illorum subsidiorum cum Massario missorum fructus contineret, nempe 45 castra cum Lisiae territorio inter illam expeditionem anno 1646, ante quam Massarius subsidia postulaturus Romam appulit, expugnata. Fernensis autem et Plunkettus ad ejusdem schedae calcem: "Hic (inquiunt) habet Sua Sanctitas subsidiorum per D. Decanum transmissorum non spernendum fructum, quem vir diligentissimus Rinuccini fecerat pecuniis mutuatis. E dictis 30 scutorum millibus restituenda manet per Illustrissimum Rinuccinum (prout supra insinuavimus) summa undecim vel duodecim millium scutorum. Reliquas summas exonerarunt ipsi Catholici." Haec illi, nec scio numquid haec sit summa, quam postea Nuncius inter referenda gravamina sibi a Concilio illata conquestus est se jure non debuisse, sed ad Concilii tunc et Congregationis Ecclesiasticae instantiam non nullis instrumentorum, quibus creditores sibi cavendum duxerant, se solum, aliis vero se cum Concilio et Congregatione velut utriusque corporis tunc praesidem subscrispsisse, sperantem fore ut Confaederati totum illud aes alienum rependerent. Quod tamen ab ipsis non rependendum ipse hoc anno recentissime post Massarii appulsum praesentiens ante suam cum Concilio natam de induciis controversiam 13 Martii inter rationes quibus Eugenium O Nellum a sententia redeundi cum suo exercitu in Ultoniam dimoveret:

"Attendit (inquit) quod adhuc Nuncius scire non potest quid praecise attulerit Decanus, detractis omnibus expensis et debitibus hic contractis, imo praetentionibus tot hominum et difficultatibus exigendi etiam quod publice impensum est anno praeterito. In qua re Concilium Supremum non videtur velle agnoscere publicum debitum." Haec ibi. Denique crediderim Nuncium a Massarii discessu ex Ibernia anno 1646 usque ad ejus redditum anno 1648, per sesquiannum alias etiam summas mutuo accepisse ex illis subsidiis Pontificiis numerandas, et forsitan magna ex parte creditoribus re ipsa numeratas ante Massarii appulsum in Iberniam, cum praemiserit ex Gallia ad Nuncium anno 1647 jam declinante septemdecim scutorum millia trecenta et quinquaginta tria.

(574) Haud ignoro praeter praefatas suppetias Pontificias data fuisse tunc anno 1647 Romae Massario in bellum Ibernicum a tribus Cardinalibus, Lantio, Sacchetto, et *Roma* vel *Romao*, scuta mille cum sexcentis, et ex praeda per S. Petri fregatam 20 Novembris anno 1647 in Oceano Gallicano capta recepisse

Massarium 10051 libras Turonenses. Sed cum ad anni 1647 finem et ad anni 1648 initium ante ejus redditum in Iberniam, juxta ac anno 1649 post secundum ejus ex Ibernia regressum circa causam illam cum Rupellae Gubernatore (qui in praedam jam a S. Petri fregata captam anno 1647 involaverat) controversiam habuerit, et hac secunda non item prima vice Gubernator ex Concilii regii Gallicani sententia ad restituendam praedam teneretur, haud scio Massarius prima vice|partem et 1357 secunda alteram, an potius prima totam praefatam praedae v summam acceperit. Video enim eum etiam prima vice aliquam, sed nescio quantam ejusdem praedae portionem Nuncius recepisse, quam fuisse praefatam summam vix dubito, cum non ep. 6. Apr. 1648 ad Card. Panzir. Reg : p. 592.

legam eum secunda vice quicquam obtinuisse, imo vix concitatis equis evaserit, licet lata fuerit in ejus favorem sententia. Et haec quidem sunt ex quibus colligamus quid Nuncius praestare posset pecuniis sibi ex subsidio Pontificio per Massarium misso superstitibus ea die 27 Aprilis, qua hoc anno 1648 in Cleri Congregationem persuasit nullam esse induciarium cum Insequinno pangendarum necessitatem, pollicitus se copiis Ultoniensibus, dum in Insequinnum destinarentur, *ex Suae Rel. Cap. 26. Sanctitatis pecuniis stipendia soluturum et suis humeris sine Faederorum dispensio sustenturum totum Momoniae pondus.*

(575) Mihi autem traditum est Nuncium et Eugenium O Nellum non modo suppeditias Pontificias et arma a Magno Etruriae Duce, nempe 2000 bombardas, sed etiam tributa a Momoniensibus eatenus Insequinno per vim concessa in belli jam dicti nervum proposuisse, et Eugenium in se suscepisse futurum ut ipse iisdem Insequinnum intercluderet, nec aliud a Provincia exigeret, sicut alibi tetigimus, quo sensu praefata conditio a Nuncio oblata plus locum haberet: “*quibus (inquit) offerebam me ex Sanctitatis Vestrae pecuniis stipendia soluturum, et meis humeris sine Faederorum dispensio sustenturum totum Momoniae pondus.*” Haec Nuncius, qui sine Faederorum dispensio praestandum dixerit quicquid gerendum esset ab exercitu partim subsidiis a se ipso suppeditandis, partim tributis Momoniae non aliis quam hosti eripiendis|sustentando. Tributa enim illa erant tanta ut 1358 Eugenius in ultimis Comitiis Generalibus deindeque saepius obtulerit se illis solis et a se hosti extorquendis velut annonae et stipendio in Momonia bellaturum, sicut Nuncius ante ortam hanc controversiam 28 Decembbris anno 1647 et 8 Aprilis hoc anno Cardinali Panzirolo scripserat. Ex ipso etiam Concilii Rel. Cap. 26. Reg. p. 557 et 593.

Diario ostendimus in quatuor Episcoporum et trium Consiliariorum utrinque ad res componendas delegatorum congressu 8 Maii hoc anno propositum fuisse ab Episcopo Imolensi in reconciliationis viam *ut Generalis O Neill et ejus exercitus assignandis hostis exercitui tributis alendum in Momoniam contra Baronem destinaretur.* Verum hanc conditionem ab ultimis Comitiis Generalibus, deindeque saepius etiam ante inchoatam hanc induciarum contestationem, et demum tunc 8 Maii video fuisse repudiatam. Nam praeterquam quod exercitus Ultoniensis haberetur valde praedabundus, et specialiter Momoniae Ormonistis horribilis, Concilii Diarium ea die 8 Maii a Concilii Commissariis responsum fuisse tradit futurum ut Faederati Catholici in Lagenia unitis hostium viribus nudi exponerentur, si exercitus Ultonensis ex Lagenia in Momoniam transferretur, et ex parte Cleri propositum fuisse remedium, faciendum scilicet cum Parliamentariis in Lagenia armorum cessationem. Ibi autem et in responsis antea Nuncio a Concilio scriptis legimus Concilium judicasse idoneum potius cum Insequinnio Regias jam partes profitente, quam cum Parliamentariis ferire, et cum in utraque Provincia strenue bellare nequirent, malle Parliamentariis quam Insequinnio et indigenae et jam ad Regis obsequium reverso castra et urbes eripere, praesertim |cum de induciis cum Insequinnio contrahendis jam a duobus mensibus et quod excurrit, ageretur, quibus desistendum non judicarent ut induciarum tractatus cum Parliamentariis ab integro inchoaretur cum exitus et difficultatum inter tractandum emersorum incertitudine, idque expeditionum tempore jam instantे. Denique (juxta idem Diarium) subjunixerunt tunc Concilii Commissarii siqua demonstraretur via qua manifeste appareret posse offensivum bellum in una Provincia ac in caeteris defensivum suscipi ac promoveri Concilium cessationem, qua de agebatur, declinaturum, sed similem viam ab Episcopis monstrari non potuisse. Quinetiam Concilium litteris 11 Maii ad Nuncium scriptis, ubi suam (si inducias contraherent) a bello in Momonia quidem respirandi, sed Parliamentarios in Lagenia aggrediendi mentem cum magna proficiendi spe aperuissent; “si neutrum (inquiunt) ex his placet, proponat Illustrissima Dominatio vestra aliquem ineundi belli modum pro hoc anno. Nos enim, ut ante saepius, sic jam protestamur in nostra potestate non esse exercitum in campum opportuno tempore educere, cum ex patria plurimum devastata pecuniae non nisi magna cum difficultate colligi possunt.” Haec tunc Con-

1358

v

cilium, quae etiam saepius et alias, sicut ipsi hic testantur, iterarunt. Nuncius autem respondisse non legitur hunc modum a se solutum iri, vel belli in Momonia prosequendi nervum a se solo suppeditandum, quem etiam (sicut superius demonstratum est) minime gentium poterat suppeditare. Ex quo (ut obiter dicam) colligendum est eum, nec ea die 27 Aprilis, qua Clerus inducias suo decreto damnaverat, omnes bello in Momonia adversus Insequinnium gerendo sumptus ex sua solius crumena, sed partim ex sua, partim, idque longe magis, ex Provinciae tributis hosti intercludendis destinasse, alioquin Concilium et Praelati, praesertim qui postea resilierunt, Nuncio objecissent eum ea die 27 Aprilis omnes belli in Momonia instaurandi sumptus ex suo solius aerario spoondisse, sed postea promissis non stetisse, proindeque Praelatos vana belli a Nuncio apud Momoniam sustentandi spe delusos inducias, quas aliter non solum licitas, sed etiam necessarias fore judicassent, ea die 27 Aprilis velut impias damnasse, et aliud 2 Maii decretum in eundem scopum condidisse, exindeque sequi quod utrumque decretum ab initio fuerit surreptitivum, velut falsis fundamentis et inanibus Nuncii promissis subnixum. Verum haec nec Praelatos nec Concilium unquam objecisse invenio. Ex his quae vidimus id solum nobis statuendum est, nunquid scilicet Concilio ad ineundam armorum Cessationem necessitas astipularetur? Verum cum ultima Regni Comitia (quod etiam induciarum Commissarios epistola 10 Maii ad Concilium scripta, et ex ipso Concilii Diario superius posita testari video) decreverint ut Momonia hoc anno sexaginta librarum sterlingarum millia ad alendum per sex menses suum exercitum numeraret, et ejusdem Provinciae Comitia mense Februario huic Comitiorum Generalium decreto insistentia fidem liberaverint suam, statuendo ut septena peditum millia et mille quingentique equites solius Momoniae impensis in Insequinnium moverent, cumque aliunde Eugenius O Nellus et apud praefata Comitia Generalia, deindeque apud Concilium Supremum saepius institerit ut ipse suusque exercitus solis in Momoniae tributis hosti alias pendendis sed ei a se eripiendis contentus ad Insequinnii copias delendas destinaretur, et denique cum praeter haec omnia Nuncius 27 Aprilis in id bellum suppetias Pontificias quatenus sibi superstites et arma a Magno Etruriae Duce transmissa obtulerit, certum videtur Concilium Supremum haud allegare potuisse necessitatem, qua ad eas inducias pangendas compeleretur, praesertim cum Insequinnius eas rerum angustias, quas

superius adumbravimus, pateretur, et expectarent Faederati ut juxta ultimorum Comitiorum Generalium statuta legati in Galliam et in Urbem destinati aliquem exterum Principem, qui conditionibus superius relatis opem potenter ferret, in Regni protectorem cooptarent, et Nuncius futurum speraret ut Pontifex, sive in Protectorem cooptandus, sive secus, ulteriores suppetias subministraret, modo Confaederati strenue et sincere bellum in Ecclesiae bonum prosequerentur. Quibus addendum est Confaederatos eas in alendo saginandoque Insequinnii exercitu ter haeretico, in copiis adversus Eugenium O Nellum et exercitum a Nuncio hac aestate stantem scribendis et sustentandis, nec non in bello sub Ormonii, quem in Proregem demum accessisse videbimus, vexillis ad annum 1649 et 1650 prosquendo fecisse impensas ut Congregatio Ecclesiastica in oppido Jacobopolitano mense Augusto anno 1650 declaraverit vel soli Ormonio in belli prosequendi sumptus fuisse suppeditata pene quinques centena millia librarum sterlingarum seu Anglicanarum. Quas summas, si Concilium in bello adversus Insequinium aliosque haereticos fideliter et alacriter gerendo collocassent, credere par est futurum fuisse ut Dei, qui suam causam secundasset, auxilio plenum de haeresi et haereticis triumphum eveherent, et misellam patriam hac aestate tot dereptionibus et belli civilis incommodis dilaniatam ab illis atque aliis aerumnis sub Cromuello securis praeservarent, praesertim cum Nuncius Kilkenniae Florentiam 9^o Januarii hoc anno 1360 1648 |notis arcanis suo fratri, Equiti Rinuccino, scribens significaverit quadringenta scutorum millia ad universum Regnum haeresi et haereticis purgandum atque in libertatem bello vindicandum suffectura, cum tamen Catholici vel soli Ormonio quinques circiter tantumdem suppeditarint, certi nunquam sub ipso, etiamsi triumphaturus esset, Ecclesiae fautorumque causam in tuto collocandam.

(576) Praeter necessitatem allegabatur a Concilio etiam induciarum utilitas, quod Confaederati per inducias illas in Momonia respirare, et ea aestate unitis non modo suis sed etiam Insequinnii viribus de victoria certiores in Parliamentarios apud Lageniam inque eosdem et Scotos apud Ultoniam irruere valerent, postea Insequinium facilius domituri, nisi aequioribus conditionibus in pacem, quae in motu erat, consentiret. Et hic quidem aries Nuncii rationes magis quassabat. Nam illae argumentorum aggravationes ad explodendam induciarum in Momonia necessitatem superius adhibitae hic ad astriuendam

earundem utilitatem conducere videntur, quasi exercitus Ultoniensis et Momoniensis et Momoniae nisi alia certe trium ibi Comitatuum ab Insequinnii jugo per inducias exemptorum vectigalia, nec non subsidia illa a Nuncio oblata, si Insequinnio opitulante, imo vel ab armis utrinque cessante, aliis et alibi in Ibernia Faederatorum viribus et viris addita essent, longe certiorem in Lagenia et Ultonia (nam in Conacia solum pene Sligoae Castellum expugnandum supererat) effecissent. |

(577) Notorium enim est tunc Scotiam Angliae Parliamentariis 1361* bellum indixisse, ipsamque Angliam flagrasse renascentibus partium studiis belloque intestino. Quare Concilium allegabat se sperare futurum ut contractis in Momonia induciis ea aestate atque autumno collectis viribus Dubliniam, Vadipontum, aliaque Lageniae et Ultoniae praesidia facilis negotio Parliamentariis et Scotis extorquent a Scotia et Anglia pene desertis et inter se etiam in Ibernia discordibus prae suorum in Anglia et Scotia divisione. Verum hanc fucatam utilitatem merito irridebat Nuncius duas ob rationes, quarum unam quia odiosam Concilio (quod sciam) nunquam objecit. "Si (inquit Cardinali Panzirolo ad 4 Maii 1648 scribens) Dubliniae expugnatio ad revocandum Ormonium (sicut plurimi fore credunt) inserviret, nonne prorsus in praecips deferretur pars ecclesiastica? Quae ergo est prudentia se tot exponere periculis, cum possimus oppugnare unum hostium tantopere suspectum (Insequinnium), et nos defendere ab altero (Jonio Dubliniae Gubernatore), donec Deus Regni conditionem effecerit meliorem." Haec ille prudentissime.

(578) Alteram autem rationem etiam Concilio scripsit: nempe metuebat ne haeretici illi, ubi in Lagenia vel Ultonia premerentur, se pro Rege facturos simularent, ut instar Insequinnii Catholicorum vires eluderent, postea discordiis in Anglia et Scotia compositis | a suis adjuvandi et Catholicos oppressuri. 1361
Quam ille rationem circa Jonium, Dubliniae Gubernatorem, sua ad Concilium charta 20 Aprilis missa tetigit cum solis conjecturis duceretur, reque ipsa liquet ex Concilii Diario Insequinnium prima vice qua ad Concilium propositiones miserat, 4^o Aprilis rogasse propositione quinta ut ad Jonium quoque et Monkum extra Momoniam Parlamento militantes armorum cessatio paribus conditionibus extenderetur, quibus secum in Momonia conveniretur. Et licet Concilium 20 Aprilis propositionum,

*Reg. :
p. 611.*

v

* (Pagina 1360 v lineis transversis deleta est.)

quibus ad dictas Insequinnii postulationes respondit, quinta praefatum ejus desiderium repudiarit, et suis Commissariis praescripserit ut eidem repudiando insisterent, Nuncio quoque in sua ad praedictam ejus chartam responsione 23 Aprilis missa renunciarint, non esse cur id timeret, et licet Cleri Congregatio in rationum, quibus in illas inducias insurrexit, appendice et nominatim ejusdem appendicis ratione quarta praefatum Nuncii metum repetierit, et Concilium sua illam ad rationem responsione se ab ea mente alienum esse et fore scripserit, demum tamen insertus induciarum pacto articulus 14us fuit sic: "ut personae quaelibet sive dictis Faederatis

adhaesurae. Catholicis sive D. Domino Baroni de Insequin *adhaerentes*, quae se pro Regia Majestate stare declaraverint, si his articulis sese submiserint, eorumque tenorem observaverint, ad alterutrius partis instantiam hujus cessationis beneficio gaudеant." Hac-
tenus articulus, quem forsan non de haereticis in Lagenia et Ultonia positis, sed de iis solis contendent intelligendum, qui in

- 1362 Momonia Insequinno adhaererent, praesertim | cum induciarum omnium proprium sit ut non solum ab utrinque subscriptentibus, sed etiam ab adhaerentibus participantur, et articulus praedicto 14° similis in hunc finem publicae induciarum pactioni semper inseratur. Verum huic explicationi repugnat, quod dictus articulus nullam contineat clausulam qua solis Insequinno in Momonia adhaerentibus hoc beneficium concederetur, sed generaliter conceptus sit Insequinno antea (sicut dixi) postulante ut induciae ad Monkum et Jonium in Lagenia Parliamentariorum praefectos eorumque partes, aliosque omnes toto Regno obsequium professuros extenderent, et (sicut diximus) P. *Majorem* Guillelmum Patersonum in Scotiam cum propositionibus a se et suis copiis missum procurante, ut secum cum suo in Momonia exercitu etiam Scotti faedus percuterent, quod et percussum fuisse vidimus. Praeterea eodem anno 1648 Corcagiae typis mandatas fuisse constat quasdam observationes circa easdem inducias cum Catholicis tunc recens contractas. Ubi Insequinnii apologista: "Objici (inquit) potest nos secundum articulos teneri ad opem ferendam contra Jonium et caeteros ex viribus Anglicanis in aliis hujus Regni partibus, sed id pernego. Tenemur enim tantum ad opem ferendam adversum hujus conventionis transgressores. Jonius autem nullius dici potest transgressor conventionis, cui nondum subscripsit. Quare nisi nos invaserit, nec nos ipsum disturbabimus. Nihilominus erga ipsum et reliquos omnes id

justitiae et juris exercuimus ut horum articulorum beneficium |
participare queant, quandocumque se illis submiserint. Oh! 1362
Sed statuimus sedere otiosi dum illi destruentur. Id sane nos
agere oportet, cum ipsi (sicut ante demonstratum est) nisi in
nostram ruinam movere non potuerimus. Si autem sic illis
evenerit, suum ipsis ascribendum erit excidium, cum ad eandem
nobiscum viam invitati fuerint, et ipsis semper relictus sit locus,
quo comprehendantur." Haec ille Anglice.

(579) Itaque Nuncius quod ante contractas inducias pru-
denter metuebat, ne scilicet haud solum Insequinnius, sed etiam
praefati in Lagenia atque Ultonia haeretici saltem sub
obsequii Regii atque illarum induciarum velo Catholicorum
impetum declinarent, tunc inducias contractis visoque illo
articulo 14 se antea punctum acu tetigisse judicavit, et id 15^o
Junii Cardinali Panzirolo significavit. Quare etiam magis suam
firmavit de Concilii mala fide atque occultis molitionibus
Ecclesiae Ibernicae exitialibus opinionem, quasi tot longe aliae
Concilii antea sibi atque universo Clero factae scriptaeque
pollicitationes nihil essent aliud quam simulandi dissimulan-
dique artificium adeo abstrusum ut Commissariorum, qui ad
inducias pangendas destinati, mandatis aliis atque aliis 20
Aprilis et 9 Maii a Concilio praescriptis et sibi communicatis ille
articulus defuerit et demum induciarum pacto insertus sit.
Quare inducias recte arbitratus est ab Ormonistis in Concilio
caetu praevalentibus excogitas in machinam, qua Inse-
quinnium in Momonia, Jonium et Monkum in Lagenia, aliosque
Parlementarios et Scotos in Ultonia | ad suas partes amplecten-
das partim allectarent, partim expeditionum bellicarum terrore
impellerent, omnibus ea deinde lege libenter parcituri, ut suum
Ormonium in Proregem adorarent, unaque secum in eos omnes,
qui hoc consilium adversarentur, proindeque in ipsum Nuncium,
Iberniae Clerum, copias Ultonienses, et reliquos toto Regno
omnes Clero studentes, nisi caeptis destituti essent, irruerint,
faedere Catholico dissuto atque haeretico pacto et regimine in
ejus locum substituto. Quisquis autem Concilii Diarium illud
a me toties citatum Latine compilavit, propositionem 5am ab
Insequinno 4^o Aprilis super hac induciarum ad alios haereticos
extra Momonię positos extensione Concilio Anglice scriptam
Latine vertens maligne adulteravit his verbis: "Colonellum
Jonium et Monkum aut alterutrum, si hanc conventionem
amplecti velint, iisdem quisbus Baro conditionibus recipiendos."
Sic ille. Ego autem eam propositionem Anglicam aliter Latine

Reg.
p. 628.

1363

verto his verbis: “*Ut Jonius et Monkus Tribuni, aliquie in hoc Regno omnes, qui nobis adhaeserint, aequa nobiscum sint conditione, et perinde ac nostri ipsi foveantur et sustententur atque ampliores tractus assignentur, quibus in Lagenia et Momonia accommodentur.*” Sic Insequinnii articulus ad quem induciarum 14us quadrat ab eodem compilatore in eodem Concilii Diario malignitate plane eadem adulteratus familiari Ormonistis fraude, substituendo hanc vocem *adhaerentes* in locum hujus vocis *adhaesuri*, licet in ipso exemplari Latino die Maii 23^a ad Nuncium misso Concilium Supremum Latine verterit eundem articulum 14^m his verbis totam machinationem propalantibus: “*Quod omnes personae quae adhaerebunt vel Confaederatis Catholicis vel D. Baroni de Insequin, et declarabunt se pro sua Majestate, et se | submittent et observabunt contenta istorum articulorum, habebunt beneficium hujus cessationis ad benealterutrius. placitum cujuslibet partis.*” Sic ibi.

1363

(580) Itaque Nuncius prudentissime et verissime affirmabat tantum abesse ut induciae ad haereticos, ne in Lagenia quidem vel Ultonia (nam hanc fucatam utilitatem Concilium suae induciarum conjurationi praetendebat) debellandos conducerent, ut etiam ne debellarentur, prohiberent, cum penes ipsos esset Regis obsequium imaginaria aliqua ludicra et nugatoria declaratione profiteri, illas inducias ratas habere, tempori ad tempus servire, et Ormonistis in nationis atque Ecclesiae Ibernicae excidium cohaerere, et postea ad genium redire.

(581) Induciis autem 27 Aprilis Cleri decreto damnatis Concilium rogavit ut Clerus doceret quid in earum articulis tunc non pactis sed praeparatis conscientiae adversaretur. Porro in Concilii Diario lego Clerum tunc verbo tenus fecisse quinque objectiones superius positas cum totidem Concilii responsionibus. Cum ergo Concilium postea sustinuerit inducias non fuisse celebratas nisi correctas juxta illas Cleri objectiones, proindeque censurarum post inducias contractas vibratarum fundamentum corruisse, magni interest ut hoc controversiae caput examinemus.

(582) Prima ergo Cleri objectio juxta Concilii Diarium haec erat: “*Quod ecclesiae in assignandis Baroni de Insequin limitibus non essent Catholicae professionis hominibus reservatae. Quod idem Baro sex ministros ad repetendam possessionem Ecclesiae Cathedralis Cluanensis nuper miserit. Quodque per hanc cessationem | earundem ecclesiarum possessio in futura pace perdenda sit.*” Hactenus 1a Cleri objectio.

1364

Respondens autem Concilium: " possessionem (inquit) omnium ecclesiarum quas tunc habebant Faederati Catholici cum hic tractatus inchoatus fuit, Clerus durante hac cessatione imper- turbate retinebit. Ecclesiarum etiam conservationi in futura pace per associationis sacramentum adeo consultum est ut hujus cessationis praejudicio ne earum vel unica privari nos possimus." Hactenus Concilium. Porro licet instructiones 9a Maii induciarum Commissariis a Concilio praescriptae non nisi de Comitatus Corcagiensis ecclesiis (quod forsan illae praesertim praecautione indigerent) in tuto collocandis mentionem faciant, postea tamen cum Concilio decretum esset ut non solum ille Comitatus, sed etiam Kierriensis et Waterfordiensis pendente induciarum tempore Insequinno in alendarum copiarum fines assignarentur; horum quoque duorum ecclesiis pariter tutandis curam a Concilio adhibitam fuisse video. Verum Commissarii jam dicti 10 Maii Concilio scripserunt Insequinnium quidem promisso fore ut ecclesiae quae ad initium tractatus penes Catholicos essent, nullo per armistitium praejudicio exponerentur, sed nullum hac de re publicae induciarum pactioni articulum a se inserendum nec futurum nisi superfluum, quod sufficeret articulus generaliter concipiendus, quo ambabus partibus et adhaesuris bona omnia secura redderentur. Caeterum quorsum ille in reliquas ecclesiarum tutandas con- senserit, et tamen ab inserendo pactioni articulo huc spectante abhorruerit, aenigmaticum est, fidemque habet eo tetendisse, ne illam suae haeresi et praesidii heterodoxi officio, quo recens in obsequii praemium a Rege donatus fuerat, maculam (si diis 1364 placet) instrumento publico aliorum haereticorum censuris sub- v jiciendam inureret, vel ne ipse a suo exercitu et haeretico et Anglicano Ibernum in Iberos et Catholicos propensior et Calvinismi minus tenax haberetur. Quicquid sit, destinantur ad illum a Concilio Lucas Dillonus, Eques auratus, et Geraldus Fenellus, ambo Supremi Consiliarii, nec aliud (si Concilii Diarium in hoc obscurum bene capio) obtinent quam eo per- tinens instrumentum ab induciarum articulis separatum. Ex quo colligo voluisse ut non promulgaretur, nec tamen ad ipsum nisi maximis superatis difficultatibus concessit. Sed illis duobus Commissariis post quatriduum Kilkenniam reversis, Concilium abnuit, misso per D. Joannem Walshaeum articulo ad eam rem pertinente, quem nisi Insequinnius induciarum pacto intexere vellet, jussi sunt Commissarii re infecta desertaque domum remeare. Itaque 20 Maii illi etiam articulo qui in instrumento

5^{us} caeteris intexto subscrispsit et hic sequitur: " Ut actualis ac praesens bonorum tam Cleri quam laicorum ex utraque parte possessio eadem continuetur, quae ab inchoato hujus cessationis tractatu existebat, utque Clerus aut populus alterutrius partis non perturbetur durante dicta cessatione, ea duntaxat lege ut, qui se hujus cessationis conditionibus submiserint ac conformiter vixerint, contributiones, redditus, aliaque publica onera ac debita solvere non recusent." Hactenus induciarum articulus. Verum hic objectum fuit Concilio in Cleri favorem quod Clero quidem de ecclesiis et ecclesiarum possessionibus in tuto collocandis 1365 prospexerit, sed cum gravamine, nempe ea[lege ut qui se cessationis conditionibus submitterent ac conformiter viverent, contributiones, redditus, aliaque publica onera ac debita solvere non recusarent. Quid ergo si Clerus in illis tribus Comitatibus Insequinnio relictis religione et conscientiae legibus detentus inducias non esset probaturus? Reque ipsa quatuor illorum trium Comitatuum Episcopi, nempe Waterfordiensis, Ardferiensis, Corcagiensis, et Rossensis inducias illas ante et post horruerunt, licet Ardferiensis ob rationes inferius tangendas excommunicationem ob inducias fulminatam non publicaverit. Praeterea si quatuor illi Praelati omnem inducias morem gessissent, solvendis tamen Insequinnio contributionibus, redditibus, aliisque oneribus publicis et debitis juxta hunc articulum obnoxii fuissent, quinetiam his miseriis caeteros ibidem pastores inferiores quantumvis reluctantantes in gradu quemque suo hic articulus implicavit. Sed respondisset (credo) Concilium se inducias contraxisse ad bonum publicum conductentes et Cleri partes fuisse non refragari nec Clerum a se sed ab Insequinnio etiam ante pactas inducias factum tributarium, proindeque se non intulisse Clero sed illam ab Insequinnio illatam tollere non potuisse calamitatem, quae tamen responsio falsa est ridicula.

(583) Quod ad Cluanensem ecclesiam Cathedralem prima Cleri objectione memoratam attinet, Insequinnius a suis diu ante inchoatum tractatum possessam affirmabat. Nec scio hic quid facti? Id certum est Concilium non obtinuisse ut ille in hoc desisteret. Quinimo haereticos deinde ecclesiae Cathedralis Cluanensis, aliarumque in ea diaecesi et vicinia fructus omnes decerpssisse, et Clerum in populi Catholicni medio egestate squaluisse docemur indigenarum libello supplici post duos tunc menses porrecto, Insequinnii quoque, quem illi Momoniae

Praesidem vocant, repulsa et Cleri diaecesani clamore caelum 1365
 penetrante, quae tria acta ex ipsis autographis Anglicanis a v
 Nuncio deinde in Italiam transportatis, et una eademque
 pagina contentis, hic Latine verto:

*"Illustrissimo Domino Praesidi Momoniae humilis
 supplicatio nobilium et incolarum Barrimoriae et
 Imokilliae."*

(584) "Humiliter exponitur, tuos Petidores p[re]e quotidianis
 eorum dannis multis gravaminibus, quibusque continuo
 obnoxii sunt, vectigalibus ac tributis suum non posse
 sustentare Clerum, qui p[re]e rerum ad vitam fovendam
 necessiarum inopia tuos petidores deserere cogentur in eorum
 indicibilem afflictionem, cum absque illis tui Petidores vivere
 nequeant, nisi non solum illos, sed suam etiam deserant religionem,
 quod citius morientur quam patrabunt. Itaque
 Illustrissima Dominatio Vestra dignetur benigne intueri in tuos
 petidores, et illis pro tua clementia in luctuosi eorum Cleri
 sustentationem impertiri non nullam bonorum ecclesiasticorum
 intra praefatas Baronias portionem competentem, qua etiam tui
 Petidores suas valeant delabentes reparare ecclesias.

Et tui petidores aeternum orabunt etc.

24 Julii 1648.

Guillelmus Holeywoode."

(585) "Supplicantium postulationes non sunt rationi conser-
 taneae, ideoque nec aptae quae ratae habeantur." 1366

26 Julii 1648.

Insequinnius."

(586) "Nos tempestive appellamus ad sublime tribunal
 magni Dei et justitiam imploramus, promptumque levamen.

Pauper Clerus supra memoratus."

"Psalam 81: "Surge Deus, judica terram, quoniam Tu
 haereditabis in omnibus gentibus."

(587) Ex his colligere est Praelatorum votis in hoc articulo
 ecclesiam Cluanensem concernente non fuisse factum satis.
 Praeterea primus induciarum articulus statuit ut cessatio
 armorum omniumque hostilium tam ad Clerum quam ad laicos
 extenderetur, et secundus ad religionem spectans sic se habet:
 "Ut nemo Faederatorum Catholicorum, sive clericorum sive
 laicorum, molestiam ullam aut impedimentum a dicto D. Barone
 de Insequin aut a quoquam ejus partis uno aut pluribus in aut

propter liberum religionis aut functionis exercitium durante dicta cessatione accipiat, praesidiis et locis jam nunc a dicto D. Barone de Insequin, ejusque parte (*ab antiquo scilicet*) possessis solummodo exceptis." Hucusque articulus ex Concilii Diario. Verum illa verba (*ab antiquo scilicet*) nec in ectypo tunc ad Nuncium missa nec apud Philopatrum Irenaeum reperiuntur. Unde Philopater asserere videtur Insequinnium a libero Catholicae religionis exercitio exemisse
 1366 tantum praesidia sua ab initio possessa, non item quae
 v posterius occuparit. Et haec quidem sunt quae induciae illae circa Clerum, religionis exercitium, ecclesias, bonaque ecclesiastica statuerunt.

(588) Secunda Cleri objectio haec fuit: "quod in limitibus assignandis Baroni de Insequin traditum sit dominium in praedia inter eosdem limites contenta, atque adeo Faederati Catholici, eorum locorum incolae, ad ejus arbitrium a suis haereditatibus expelli possent." Hucusque objectio, ad quam Concilium respondit id non futurum, et re ipsa 5° induciarum articulo jam in medium producto non solum Clero sed etiam laicis possessionum securitatem pepigisse videtur. Verum praeter illum articulum in lucem editum ego in additis postea a quadam Nuncii fautore MS. scholiis marginalibus ectypi pactionis induciarum 23 Maii a Concilio ad Nuncium missi lego aliud instrumentum secretum a partibus fuisse confectum, et die 20 Maii, quo induciarum pactioni utrinque subscrivserant, Concilii Supremi Commissarios eidem pactioni clanculariae subscrivisse, praesente testis instar manum apponente Moynero, Regis Christianissimi Agente, illaque conventione arcana induciarum articulum 5um jam dictum fuisse evacuatum dupli ex capite.

(589) Primum est quorundam Momoniae procerum et nobilium ter Catholicorum lautissima patrimonia Insequinno per illud instrumentum occultum fuisse pendentibus induciis reicta. Vicecomitem autem Rochaeum, illustrissimae familie suae Principem, et Dermitium Mac-Cartium, praeclarissimum Duhalliae dynastam, titulo vernaculo Mac-Donochum, ambos causae Catholicae semper studiosissimos, horum procerum male multatorum albo ascribit in MS. Latino P. Josephus Archamonius, Theatinus Italus, | Nuncio tunc in Ibernia a confessionibus. Is enim hanc materiam Romae paulo post tractans: "inaequaliter (inquit) gravatus est Vicecomes Rochaeus, cuius territorium pro majore parte cum ipsius Castris datum est

Insequin et exclusus ab articulo hujus treugae per aliud instrumentum privatum. Inaequaliter gravatus est D. Mac-Donoch, cuius totum territorium cum suis Castris suppositum fuit Barono de Insequin mediante isto instrumento privato." Sunt ipsius verba. Ipse etiam Vicecomes Rochaeus postea Nuncio Romam regresso scripsit Dunboia 29 Aprilis 1651 his verbis manu propria: "Sciat (inquit) sua Illustrissima Reverendissimaque Dominatio pro certo quod Dominus de Insequin non obstante pace ipsius cum Concilio et tunc Confaederatis Catholicis et contra articulos publicatos inter ipsum et Concilium, *Custodio* concessit meas terras uxore et liberis obsessis in meo Manerio, donec coactus fui emere praedictum *Custodium* a Willelmo Courtney Milite (cujus Custodii fundamentum fuit (ut expressis terminis ejus patet) quod adhaesi vestrae Dominationi et Eugenio O Neall quod ideo, etc.) et quod postea idem Dominus turmis suis equitum vinctos consanguineos meos, Mac-Donogh et O Sullevan Bear Corcagiam deferri mandavit, ubi eos propter eandem causam incarceravit, donec solvebant, quantum bonum videbatur Domino de Insequin sub nomine paenae pro suis libertatibus." Haec Vicecomes.

(590) Secundum conventionis secretae caput articulum induciarum 5um jam dictum magna ex parte evacuans fuisse tradit praedictus scholiastes, quod Insequinnius vastissima territoria haereticis ab incepto bello Catholicorum victoriis in tribus illis Comitatibus per septennium circiter erepta a Concilio obtinuerit. Unde sicut Concilium Kilkenniae, ita etiam Insequinnius Corcagiae induciarum pactum typis mandandum curavit. Sed in editione Corcagiensi quid huc spectans contineretur, te docebit dictus scholiastes: "Copia (inquit) impressa Corcagiae est subscripta a Richardo Everardo, Patricio Goagh, et Joanne Walsh cum hac additione: assistente, tam subscriptioni, sigillationi, et traditioni horum quam etiam quando ante traditionem fuit declaratum quod in mentione facta in 5º articulo de possessione laicorum nulla possessio hactenus a parte Protestantica possessa per illum intenditur, cum illae possessiones referantur ad aliud instrumentum factum ab eodem D. Barone datum eodem die, quo hi articuli, Moynerio etc." Haec ille.

(591) Praeterea Concilium paulo antequam sui Commissarii et Insequinnius induciarum articulis subscriperunt, eorundem a Commissariis acceperat conceptam formulam, qua perfecta,

1367
v

iis praescripsit instructiones, quae circa rem hanc in Concilio Diario novissimae sunt. Hae autem num. 5^o sic habent: "Expungatur et Xus articulus, qui reciprocis litteris (ut propositum est) inter partes servabitur." Haec ibi, quae saltem ostendunt Concilio tunc post factas a Clero objectiones et ante contractas inducias decretum fuisse ut aliquid ad inducias spectans conventione secreta transigeretur. Reque ipsa instructiones 9^o Maii datae praescribebant art. 4^o quod Catholicci disponerent de praediis bello partis *ad contributionem per ipsos solvendam Domino de Insequin*. Verum inducias postea contractae id non continent, quod indicat suas possessiones haereticis illo pacto fuisse restitutas; idque testatur Doctor Enos.

(592) Tertia objectione obmurmurabat Clerus Concilio quod MacFinini patrimonium ab Insequinno eximendum voluerit, aliis posthabitibus, quos Clerus causae Catholicae studiosiores esse affirmabat. Cui objectioni haud aliter satisfecit Concilium quam toto Comitatu Kierriensi in quo et Mac-Fininus et illi nobiles, quibus Clerus faveret, positi essent juxta 9m induciarum articulum postea sub Insequinnii tributis constituto. |

1368 (593) 4^a Cleri objectio haec erat: "quod Clerus non injuria suspicetur cessationem hanc rejectae pridem pacis denuo introducdae adminiculum esse, cuius suspicionis causam manifestat et auget ipse suis sermonibus Baro, ut et propositum Marchionis Ormoniae in Iberniam trajiciendi, et continuatio Vicecomitis Taaffi in Momonia." Hactenus objectio, cui Concilium tunc non aliter satisfecit quam respondendo suspicionem nullo niti fundamento et rationes coacervando, quibus Clerum ab ea immunem reddere conaretur; addiditque quae sequuntur: "Caeterum (inquit) *de meditato in hoc regnum Marchionis Ormoniae redditu nobis nihil innotuit.*" Sic Concilium. Verum Clerus ita contrarium pene persuasum habebat ut Concilii, Insequinnii, Joannis Barrii, Tribuni, qui ab Ormonio in Iberniam missus erat, arcana nesciret, et probare nequiret quod suspicabatur, nempe eo omnium machinas spectare ut Ormonium revocarent. Lego tamen inter propositiones antea ab Insequinno 4 Aprilis ad Concilium missas sed Clero (credo) non communicatas hanc num. 3^o, et in Concilii Diario Latine redditam his verbis: "Si quod pecuniae mutuum Supremo Concilio procurante Baroni statim fiat, tam ipse, quam praecipui exercitus sui Duces sese pro solutione aut a Rege aut a *Domino Marchione* aut a seipsis quamprimum facienda, si forte expectata

conventio non succedat, obligabunt." Hucusque illa Insequinnii propositio. Quam tamen Latinus Diarii jam dicti interpres et compilator ex Anglica haud exacte traduxit, et hic restituo hunc in modum: "Si procurante Supremo Concilio ulla nobis pecunia ab urbibus in praesens auxilium mutuo data fuerit, hujus exercitus Praefectus Generalis (Insequinnius) et praecipui officiales semetipsos obligabunt ad eandem rependendam, vel ad procurandum ut Rex vel *D. Marchio* illos de ea modo ipsis acceptabili securos reddat, si quo casu discordes evaserimus." Hactenus illa propositio, quae satis superque innuere videtur Concilium postea ad 4^{am} Cleri objectionem respondere non potuisse sicut respondit, nempe *de meditato in Regnum Marchionis Ormoniae reditu| sibi nihil innotuisse.* 1368 v Etenim praefata Insequinnii propositio spirasse videtur induciarum tunc scopum, nempe ut *Marchio Ormoniae* in Proregem revocaretur, et illae mutuo petitae pecuniae vel a Rege vel a *Marchione* restituerentur. Ex quo collendum pace illa successura non restituendas. Quod etiam totum postea successit. Risu autem digna fuit illa solutionis securitas a Rege jam in arctam custodiam ab Angliae rebellibus compacto, vel a *Marchione* rebus omnibus spoliato, atque in Galliam profugo, praestanda. Sed hoc fuisse videtur artificium, quatens aliqua superesset species, qua pecuniae illae Insequinnio non dari, sed mutuo dari putarentur, ne Faederatis palam esset, cur in Concilium ob Rempublicam male administratam insurgerent. Verum considerato quod propositio verbis superius positis concepta, quem dixi, scopum spiraret, et Clerum si innotesceret, in revocandi a Concilio Ormonii suspicione confirmaret, id effectum est ut eam demum ludicra illa satisdatione praetermissa, nullaque alia praestita partes pactae fuerint induciarum articulo 11^o. Itaque juxta 4^{am} Cleri objectionem superius positam induciae a Clero 27 Aprilis damnatae erant potissimum ob periculum et metum prudentem, ne per eas via sterneretur efficacissima ad Ormonium Proregem revocandum, et ad pacem fidei, Ecclesiae, et Cleri fautoribus iniquam intrudendam. Notum enim et notorium erat, quam potens esset in insula atque in ipso Concilio Supremo factio Ormonica, et quam ardentis desiderio annis proxime anterioribus id studuerit, ut Ormonius suis conditionibus Ecclesiae exitialibus ad Regni clavum sederet. Quare Nuncius et Iberniae Clerus prudentissime magnoque zelo domus Dei cavendum duxerint, ne Ormonistae in eum finem cum Insequinno conspirarent, quo etiam 5^a Cleri

objectio spectabat validioribus aliunde petendis nixa fundamentis quam quae exprimit. Nam licet solae Insequinnii litterae Kalendis Aprilis ad Joannem Plunkettum scriptae suapte natura ad eam conjurationem evidenter probandam mihi omnino suffecisse videantur, aliunde tamen ea erat Ormonistarum et Insequinnii a Nuncio, Iberniae Clero, et Cleri fautoribus animi aversio, ut vix dubitandum fuerit quin Insequinnius ad partes Regias jam regressus et alias in arcto positus atque in arctiori ponendus, cessatione semel pacta, Ormonistis in Nuncium, Iberniae Clerum, fautoresque ad Ormonium in Proregis throno collocandum utraque manu subveniret.

(594) Quare illa armorum cessatio a Clero 27 Aprilis damnata fuit velut ob hunc etiam perniciosum finem periculosisima. Cumque Concilium factis a Clero illis objectionibus mox respondisset se 1ae et 2ae satisfacturum, et circa 3^{am} ita responsum dedisset ut difficultatem illa agitatam facili negotio, quod haud tanti momenti res esset, expedire potuerit, nunquam tamen inter tot congressus Kilkenniae postea cum Clero habitos et legationes, litteras, ac conditiones ad Nuncium posterius Marienburgum missas, et a Nuncio Kilkenniam remissas, Concilium in eas consentire voluit leges quibus 4ae illi objectioni satisfecisset, sed tantum protestationibus prelo subjectis declaravit non esse nec fore cur ipsi in illam suspicionem vocarentur. Itaque manifestum est ita Clerum 27 Aprilis induciarum contrahendarum articulos, scopum et circumstantias examinasse, et easdem inducias ea statera perpensas tunc damnasse ut nunquam postea nec in posterioribus induciarum articulis, nec secus, a Concilio id correctum fuerit, ob quod potissimum Clerus 27 Aprilis inducias repudiaverat. Quinimo insignis Ormonista, Taaffus, illa 4a Cleri objectione jure merito in suspicionem vocatus mox ac Clerus inducias ea die damnaverat, a Concilio in copiarum Momoniensium Praefectura Generali confirmatus fuit, in Ormonii revocationem strenue cooperaturus, aliaeque efficaciter initiae viae, ex quibus illud Ecclesiae damnum postea successit.

v Quod tunc Clerus prudenter metuerat, et pro virili cavere conatus erat, ne succederet. Ex quo sequitur deceptum fuisse suo libello Anglicano ad hunc annum Kilkenniae in Concilii defensionem edito Episcopum Ossoriensem et Concilii ibi tunc theologos, qui sustinuerint inducias 20 Maii non contractas fuisse nisi correctis articulis secundum quos eas Clerus 27 Aprilis damnaverat. Quam etiam deceptionem nescio quo

pacto passi sunt Tuamensis, Aladensis, et Limericensis testimonio huc spectante quod ad hunc locum pertinet, licet id anno 1649 compegerint. Illud ipsorum et aliorum Ormonistarum apologista Philopater habet his verbis, quae cum alio ejusdem acti exemplari ab adversariis inferius ad annum 1655 exhibito collata docent eos id adulterasse:

Philop. Lib.
I. p. 95.

(595) "Quandoquidem justum est et necessarium in hoc rerum conflictu veritatem declarare, nos infrascripti per haec testamur ac fidem facimus quod *declaratio* 23 Aprilis anni 1648 a quibusdam hujus Regni Episcopis subscripta neque est, neque unquam fuit edita contra cessationem armorum, quae postea inter Faederatos Iberniae Catholicos ac D. Baronem de Insequin conclusa fuit et publicata 21 Maii anno 1648, verum contra certos quosdam articulos ex iis, qui exhibiti fuerant dicto mense Aprili, quique postea mutati et emendati fuerunt. Testamur quoque nunquam nobis in animo fuisse cessationem armorum cum dicto Barone de Insequin factam improbare, aut ullo ei nomine intercedere: cum ex suffragiis et sententiis congregatarum Momoniae et Lageniae Provinciarum eum in finem expressis et exhibitis, illamque cessationem cum dicto D. Barone iniri cupientium et flagitantium evidenter nobis innotuisset eam Catholicis partibus non utilem modo sed et necessariam fuisse. Et vero innumera damna calamitatesque prope infinitae, quae ob ejus violationem ubique per universum Regnum emerserunt, tantam ejus concludendae servandaque necessitatem extitisse liquidissime commonstrant. In cuius | veritatis fidem ac testimonium, huic subscrispsum Kilkenniae 1370
23 Januarii anno 1649.

Joannes Archiepiscopus Tuamensis.
Franciscus Episcopus Aladensis.
Edmundus Episcopus Limericensis."

(596) Quod hi tres Praelati, qui decreto Cleri 27 Aprilis 1648 in armorum cessationem lato subscripserant, hic anno 1649 testantur, id ipsum anno 1648 post fulminatam recens excommunicationem verbis in vulgus sparsisse videntur. Verum Nuncius 11^o Novembris anno 1648: "Dicunt (inquit) articulos Kilkenniae condemnatos non eosdem esse qui ultimo pacti sunt. Quod ex lectione constat esse falsum. Verum illi qui subscripserant, non possent aliter suam velare mutationem." Haec ille. Reque ipsa certum est instructionum articulos 27 Aprilis 1648 a Clero examinatos, secundum quos contrahendam armorum cessationem tunc Praelati damnarunt, non fuisse a

Reg. p. 701.

Concilio nisi ex parte correctos. Nam 1ae quidem et 2ae Cleri objectioni ita Concilium 5^o induciarum articulo satisfecisse videtur, ut tamen (juxta ea quae circa has objectiones jam dixi) haec ipsa correctionis pars haud levem controversiam patiatur. 4ae autem et 5ae Cleri objectioni totum contestationis cardinem continentibus, eoque spectantibus ut induciae nullo modo vel certe iis legibus pangerentur, quibus Ecclesia Iberica sibi a revocando in Proregem Ormonio atque ab aliis malis inde nascituris caveret, nunquam factum fuit satis, sicut jam demonstravimus. Et vero si articulorum correctio, qua primae et secundae Cleri objectioni Concilium et Concilii fautores satisfactum esse contendunt, et quae tota in eo posita erat, ut intra limites Insequinnio assignandos Clero populoque Catholico

1370 sua possesiones pendentibus induciis | sartae tectaeque essent, suffecisset, in vanum factae fuissent a Clero aliae objectiones. In vanum ab initio Nuncius plurimis aliis rationibus, partim Waterfordia Concilio scriptis, partim Kilkenniae post ejus appulsum scripto porrectis, illi armorum cessationi intercessit. In vanum ipsa Cleri Congregatio Nuncio Waterfordia Kilkenniam appulso plurimis aliis, validissimis suis rationibus et rationum appendicibus superius positis id in omnes animi nervos intendissent ut Concilium ab ineundae illius Treugae sententia dimoverent. In vanum post datum a Clero 27 Aprilis 1648 Treugam tot utrinque et a Clero et a Concilio adhibiti fuissent Kilkenniae conatus et congressus ad excogitandum modum, quo Faederati vel exclusis induciis bellum prosequerentur, vel certe induciae citra religionis, Ecclesiae, Cleri fautorumque et totius Regni detrimentum percuterentur. In vanum Nuncius libentissime promissa a Concilio illa articulorum correctione, quam deinde factam fuisse asserunt, sed ulteriore et potissima desperata Kilkenniam deseruisset et Marienburgum secessisset. In vanum denique missae fuissent postea remissaeque semel atque iterum inter Concilium et Nuncium legationes et litterae suo superius loco collocatae. In his enim omnibus ne millesima quidem controversiae pars in procuranda (pendentibus induciis) Clero et laicis Catholicis possessionum suarum securitate vertebatur, usque adeo ut citra hujus articuli mentionem diu controversum fuerit, deindeque mox atque illa a Clero mentio | facta fuit, Concilium responderit nunquam sibi aliam fuisse mentem quam ut Clerus et laici Catholicci de possessionibus securi redderentur, sicut etiam posterioribus instructionibus citra renitentiam inseruit. Quo non obstante principalis duravit

1371

controversia, reque ipsa non adeo prima secundaque Cleri objectio facta fuit, quod instructiones 27 Aprilis ita examinatae ut contrahenda juxta illas treuga damnata sit, ullum continerent articulum, quo illae possessiones Insequinnio positive concedendae essent, sed quod majoris securitatis causa non continerent positivum articulum, quo Insequinnius ea praetensione certius excluderetur.

(597) Cum ergo ex praefatis omnibus actis, litteris, congressibus, et legationibus, quas superius legeris, manifeste constet juxta 4am et 5am Cleri objectionem eo potissimum inducias a Clero 27 Aprilis fuisse rejectas, quod eas Ormonistis et Insequinnio ad Ormonium in Proregem revocandum, et ad pacem religioni, Clero, et Cleri fautoribus perniciosa intrudendum, sternere viam, et ad alia magna multaque mala tendere judicarent, liquet praefatam articulorum correctionem haud millesimam sustulisse partem causae, ob quam Clerus inducias 27 Aprilis prohibuerat. Porro praefatos tres Praelatos illo suo testimonio 23 Januarii 1649 scripto stupendum in modum vel memoria vel aliter lapsos fuisse constat. "Testamur (inquiunt) nunquam nobis in animo fuisse cessationem armorum cum dicto Barone de Insequin factam improbare, aut ullo ei nomine intercedere, cum ex suffragiis et sententiis congregatarum Momoniae et Lageniae Provinciarum eum in finem expressis et exhibitis, illamque cessationem |cum D. Barone iniri cupientium ac flagitantium evidenter nobis innotuisset, eam Catholicis partibus non utilem modo sed et necessariam fuisse." Sic illi in suo jam dicto testimonio. Quod quomodo stare potest, cum juxta Concilii Diarium Provincialia Lageniae Comitia suam in hac re sententiam acto superius posito 27 Aprilis 1648 et Momoniae Comitia 27 ejusdem mensis alio acto itidem superius inserto suam mentem declararint, eodemque die 27 Aprilis Clerus inducias damnarit decreto, cui dicti tres Praelati ita manus apposuerunt ut eorum duo, nempe Tuamensis et Aladensis, altero decreto posteriori 2^o Maii subscripserint, quo Congregatio Ecclesiastica suam Nuncio et praedicto Limericensi atque Aladensi, nec non aliis duobus Praelatis delegavit autoritatem ad praefatum Cleri decretum 27 Aprilis in armorum cessationem latum censuris prosequendum. Denique praefati tres Praelati, (sicut videbimus) Ormonio demum per hanc larvam a suis in Proregem revocato, subscripserunt, cum aliis Regni Praelatis in Congregatione Jacobopolitana coactis, declarationi et Excommunicationi in ejus fautores atque

1371
v

adhaerentes 12 Augusti 1650 latae. In qua inter alia multa, quibus iniqui regiminis nota Ormonio inuritur, conquesti sunt ecclesiam Cluanensem Catholicis per Insequinnum violenter extortam contra juris et aequitatis rationem, oblationes quoque, sepulturas, stipendia et obventiones ad Clerum Catholicum spectantes, in Comitatibus Insequinno per illam armorum cessationem assignatis per ministros haereticos fuisse usurpatas, et denique Catholicos in Momonia vixisse quasi in servitute sub Insequinno, cum iidem essent eorum judices, qui nuper hostes.

1372 Quae ipsissima damna Cleri Congregatio dum induciae anno 1648 tractarentur, cavenda statuerat, ne ex induciis nascerentur, sicut ex prima secundaque Cleri objectione tunc factis liquet, proindeque tantum abest ut aliis Cleri objectionibus (sicut demonstratum est) satisfactum fuerit, ut etiam ne primae quidem secundaeque Concilium satisfecerit. Nam licet articulus, quo malis per primam et secundam Cleri tunc objectionem Concilio ab oculos positis remedium apparenter adhiberi videretur, induciarum pacto insertus fuerit, re tamen ipsa perinde damna a Clero tunc objecta successere ac si articulus ex diametro oppositus vel omnino nullus in remedium intextus fuisset, Insequinno ejusque exercitu viribus praevalente, fidem pactorum fluxam caducamque habente, Ormonio haeretico haereticis in haereseos propagationem favente, et Ormonistis ipsoque Concilio Supremo, deindeque Ormonii assessoribus vel Commissariis fiduciariis conniventibus, vel certe tanta ignavia et perfidia Rempublicam administrantibus ut nunquam remedium adhibendum curarint, cum tamen Clerus haec omnia, aliaque id genus multa mala futura praesagierit, ideoque mense Aprili et Maio anno 1648 ab induciis contrahendis abstinentem statuerint, nisi non modo pactis articulis ei male occurreretur, sed etiam res in eo ponerentur statu, in quo nec in Ormonistarum, nec in Ormonii, nec in Insequinii, nec in ejus nefarii exercitus potestate esset damna illa committere, permittere, vel ipsis connivere. Ex quibus omnibus colligo praefatos tres Praelatos suo jam inserto testimonio fuisse vel memoriae lapsos vel certe bona (credo) fide delusos, instar aliorum plurimorum Iberniae Catholicorum, qui in hoc bello Catholico mente (credo) optima haud pauca patrarunt, quae in Ecclesiae praejudicium redundarunt. Delusio autem in casu praesenti facile intervenerit. Nam induciarum articuli ex parte correcti videbantur, et circa ea omnia mala, quae Nuncius ex induciis nascitura praenunciabat, Concilium Supremum eas fecit typis

mandatas suae sincerae mentis et in futurum vigilantiae protestationes ut sonare viderentur, nec Ormonium revocandum | nec aliam pacem intrudendam, quam eam quae ultimorum 1372 Comitiorum Generalium decretis praescripta fuerat, fidei, Clero, v et Ecclesiae futura utilissima. Has ergo protestationes cum aliquali illa articulorum mutatione illi tres Praelati, nec soli, correctorum articulorum instar habuerint, sed improvidi. Nam inter cavendum ab haeresi et haereticis, praesertim hostibus, animi constantia et prudentia ita opus est singulari ut a Nuncio potius semper stetissent, qui jure merito nunquam adduci potuerat ut in eas inducias consentiret, nisi iis legibus, quibus concessis penes Ormonistas, Insequinnium et Ormonium non fuisset Clero populoque Ibernico tantopere praejudicare. Denique illi tres Praelati adeo male gesserant, ut ipsis postea in sua causa testatis non sit credendum. Praeterea Insequinnio post Cleri decretum 27 Aprilis in inducias latum armorum cessationi nisi conditionibus sibi utilioribus quam quae instructionibus 20 Aprilis a Concilio decretis et a Clero 27 Aprilis proscriptis continerentur, acquiescere nolente, factum est, ut induciarum pactio 20 Maii absoluta et 22 ejusdem mensis a Concilio confirmata evaserit earundem induciarum instructionibus 27 Aprilis a Clero damnatis magnam partem deterior. Quam rem ut ante oculos ponam, lectorem praemoneo illarum instructionum 27 Aprilis 1648 a Clero proscriptarum alias fuisse, quibus Concilium ad propositiones 4 Aprilis ab Insequinnio missas respondebat, alias quas insuper addidit, pacto inserendas. In citandis ergo ambarum articulis illas *primi*, has *secundi ordinis* nuncupabo, et tollendae confusionis ergo moneo me has et illas communi instructionum a Clero 27 Aprilis damnatarum nomine significare. Praemoneo etiam eum, qui easdem instructiones in Concilii Diario, ex quo illas superius | in 1373 medium produxi, Latine reddidit, in multis claudicasse; me autem ex instructionibus Anglicanis, quales primitus a Concilio scriptae et proscriptae fuerant, hic afferre quicquid dixerim illi claudicanti translationi dissonum. Veritati enim quam falsae translationi praestat inhaerere. Porro his monitionibus in fundamentum jactis, instructiones 27 Aprilis damnatas et inducias 20 Maii contractas et 27 Maii censuris prohibitas in duabus lineis parallelis collocemus, ut melius constet nunquid haec illis fuerint aequales, meliores, vel deteriores.

(598) Primo ergo instructiones praescribebant ut Insequinnio Instr. prim.
ad alendum exercitum concederetur Comitatus Corcagiensis, ac Ord. art. 2.

potius quam re infecta recederetur, Baronatus Desiensis, Cossimorensis, et Cosbridensis in Comitatu Waterfordensi, una cum quatuor Baronatibus in Comitatu Kierensi, excepta horum quatuor parte, quae D. Mac-Finini patrimonium esset, reservatis in eodem Kieriae Comitatu tribus aliis Baronatibus, qui binis Comitatibus Limericensi et Clarensi confines. Induciae vero articulo 9° tres Comitatus Corcagiensem, Kierensem, et Waterfordensem, quae paterent, Insequinnio reliquerunt cum Castello Cahiriensi ejusque territorio in Comitatu Tiperariensi. De quo Castello instructiones hanc fecerunt mentionem: "ut Castellum de Cahir restituatur, nec tamen si denegetur, propterea dissentendum dummodo ipso Castello cum dominio ad id pertinente frui D. Baroni satis sit." Sic ibi.

(599) 2°. Cum Insequinnius propositionum 4 Aprilis ad Concilium missarum 3a postulasset ut a Faederatis Catholicis, procurante eodem Concilio, pecuniae ipsi ad suum exercitum alendum praeter agros tributarios mutuo darentur, Concilio in instructionibus respondens: "Si quos (inquit) sua Dominatio in civitatibus vel municipiis intra nostros limites repererit qui

1. Ord.
art. 3.

1373 pecunias ipsi mutuo | praestare velint, id per nos ipsis ita licebit

v ut rem ipsi per nos procurandam non spondeamus, sicut nec sponte facere volentes impediemus." Sic instructiones. Verum induciarum articulus 11^{us} concedit hunc in modum: "Ut dicti Faederati Catholici non solum permittant ut dictus D. Baro intra ipsorum Faederatorum tractus tantam pecuniae summam mutuo accipere valeat, quanta durante hac cessatione suo exercitui alendo necessaria judicabitur, sed etiam suam pro rei ipsius executione auxilium et opem praestent." Sic induciae.

1. Ord.
art. 4.

(600) 3°. Instructiones proponebant liberum pendentibus induciis commercium terra, mari, et flumine, et reciprocum utriusque partis navibus in ambarum partium portibus securitatem, nec non mutuam transfretatoribus ad utramque partem accessuris vel abscessuris tutelam, ea lege ut ad observandos induciarum articulos jurejurando se astringerent. Induciae vero artic. 8° sic habent: "Ut sit libertas negotiationis et commercii utrique parti in et per totum alterius partis tractum tam in terra quam in mari et flaviis, et ut naves ex utraque parte in omnibus portibus alterius partis reciproce protegantur contra quaslibet alias naves infestantes aut persequentes. Ut nullae fiant a dicto Domino Barone aut quovis alio ejus partis uno aut pluribus captureae aut praeda ullarum navium cum dictis

Faederatis Catholicis negotiantum, ad eorum portus appellen-
tium, aut eos intrantium, sicut nec a dictis Faederatis fient
capturae ullanrum navium cum dicto D. Barone negotiantum
aut ad eum venientium. Et si forte dictus D. Baro contractum
aliquem aut conventionem cum aliquibus navibus, earumve
ducibus fecerit, Dominatio sua inter conveniendum exprimet et
monebit navibus illis hac cessatione durante non licere ulla-
naves ad praedictos Catholicos pertinentes invadere aut ulla-
navium ad eos adventantium praedas agere." Sic ille
induciarum articulus, quo trium Regnorum Angliae, Scotiae,
et Iberniae haeretici nedum Catholicis sed etiam Regi
hostes durante illa cessatione sub Insequinnii alis navale
Faederatorum Catholicorum bellum eludere poterant, beneficium
Catholicis non relaturi alias solitis multas et opulentas hostium
naves, praesertim Anglicanas capere atque in Iberniam
detorquere.

(601) 4°. Cum Insequinnius propositionum ad Concilium 4°
Aprilis missarum quinta postulasset ut Jonius, Dubliniae
Gubernator, militiae Parliamentariae in Lageniae Praefectus,
nec non Monkus, aliquique omnes sibi suoque exercitui in
cessationis causa adhaesuri paribus conditionibus tractarentur
nec minus, quam suus exercitus, sustentarentur terris tributariis
eo fine in Lagenia perinde ac in Momonia assignandis; Con-
cilium in suis instructionibus respondit propositionem illam tot
obnoxiam esse incertitudinibus ut idoneum non judicaret eam
pacto inserere, praescripsitque suis Commissariis ut huic suaे
responsioni insisterent. Verum induciarum articulus 14us sic
habet: "ut personae quaelibet sive dictis Faederatis Catholicis
sive dicto D. Baroni de Insequin *adhaerentes*, quae se pro regia
Majestate stare declaraverint, si his articulis sese submisserint,
eorumque tenorem observaverint, ad alterutrius partis instantiam
hujus cessationis beneficio gaudeant." Sic articulus; quo
factum ut Nuncius alios etiam in Lagenia et Ultonia haereticos
si bello premerentur se a Rege stare declaraturos, et sic belli
Catholici ubique impetum declinaturos prudenter judicarit, cum
tamen juxta praefatam Concilii responsonem in instructionibus
factam huic haereticorum effugio, nisi in sola Momonia, locus
non esset, adeoque major alluceret spes futurum ut haeretici 1374
in Lagenia et Ultonia debellarentur, dum Insequinnius ejusque v
in Momonia exercitus ab hostilibus conquiescerent.

(602) 5°. Instructiones praescribebant ut Faederatorum
Catholicorum nemo, nec clericus nec laicus, intra limites 2. Ord.
art. 1.

1. Ord.
art. 5.

adhaesuræ

Insequinnio assignandos religionis vel functionis ejus libere exercendae causa ullam pendentibus induciis molestiam pateretur. Induciarum vero articulus 2^{us} ab hac conscientiae libertate exceptit Insequinnii praesidia.

(603) 6^o. Cum secundum instructiones (sicut superius num. 1^o vides) longe strictiores quam secundum inducias Insequinnio assignati essent limites, Concilium in iisdem instructionibus praescripsit ut etiam intra eosdem limites strictiores reservarentur decimae, vel certe, nisi secus fieri posset, ut pro quatuor Baronatum in Comitatu Kierriensi Insequinnio assignandorum decimis, centum ei librae sterlingae condicerentur, et cum Comitatus Waterfordiensis nobilibus deliberaretur, quid condiceretur pro decimis quorundam ejusdem Comitatus Baronatum, quos jam num. 1^o nominavi. Verum inducias (sicut num. 1^o dixi) fines Insequinnio decreverunt multo latiores, nulla prorsus reservandarum decimarum facta mentione. | Cui forsan plusquam aequi valere respondebunt articulum 5^{um}, quo cautum ut actualis bonorum Cleri possessio pendente armorum cessatione continuaretur. Decimas enim Cleri bonis quis non accenseat? Sed contra hoc facit quod contrarium executioni mandatum sit.

1375

2. Ord.
art. 3.

(604) 7^o. Instructiones praestituebant ut omnes Faederati Catholici perinde cis atque ultra limites Insequinnio assignandos possent ad jus vocare et vocari coram judicibus a Concilio Supremo instituendis, hisque integrum esset ibidem locorum, pendente armorum cessatione, sedere pro tribunali. Verum hunc articulum induciae alto silentio praeterierunt. Rationem etiam non aliam esse credo quam illam ab induciarum Commissariis ad sua epistolae calcem 10 Maii Concilio significatam: "Cum (inquiunt) inter discurrendum cum D. Barone non nihil tetigissemus de puncto jurisdictionis, dixit nobis se per patentes Regiae Majestatis litteras Momoniae praesidem constitutum esse, nec proinde scriptis et conventis actis posse ejusmodi potestati derogare; liberum tamen unicuique Confaederatorum fore tribunal pro decidendis suis litibus eligere, nec se quidquam hujus cessationis beneficio aliud quam tributorum pro alendo exercitu collectionem expediturum." Haec illi. Verum meo judicio tantum abest ut haec ratio ad illum articulum in publico induciarum instrumento abradendum apud Confaederatos Catholicos valere debuerit, ut etiam propterea nova inserendi articuli imo in Insequinnium plusquam antea insurgendi Concilio incubuerit obligatio, ne in illud Praesidis Momoniae tribunal

haereticum contra faederis et belli Catholici finem consentirent. Neque enim Insequinnius hac esca tunc recens notificata clanculum illectus est ad partes regias iterum amplectandas, nisi ea et Regis et sua ipsius mente ut faedus | Catholicum dissiparet, 1375 quo nisi dissuto illud tanti momenti officium non esset obiturus. v
Quare illius novi Praesidis heterodoxi intererat permagni ut Ormonius in Proregem rediret, quo tota ejus factio inter Federatos potentissima adversus Catholicorum alios in eum finem uteretur, haud dubitans quin sub Prorege haeretico nec secus haeretici praesidis et fungeretur officio et frueretur emolumentis. Et sic ipsi atque Ormonio et Ormonistis proprium suasit commodum ut mutuam sibi omnes operam praestarent, quamobrem iidem Commissarii in praefata sua ad Concilium epistola: "Cupit (inquit) D. Baro ut honores vestri si incolumem pro Regiae Majestatis vestroque servitio exercitum hunc velitis, publica vectigalia pro ejus alimonia impigneretis aut alia aliqua via securitati ejus propisci curetis. Ceteroqui suum exercitum mera necessitate dissipandum, quod pro vestra ipsa praeervatione honores vestros avertere debere sensit." Haec ibi, quae conjurationis compendium continent.

(605) 8^o. Instructionum pars erat ut Insequinnius cum copiis Concilio adesset in Parliamentarios bellaturo, quae conditio multum profutura videbatur ad haereticos ea aestate debellandos, qui Dubliniae, Vadiponti, et in aliis Lageniae atque Ultoniae praesidiis Parlamento Anglicano militabant. Verum induiae nullam specialem de ope Concilio ab Insequinnio adversum Parliamentarios ferenda, sed tantum art. 3^o generalem faciunt mentionem de mutuo auxilio praestando in omnibus occasionibus ad profectum servitii Regiae Majestatis spectantibus, et ad debellandos quoscumque ipsarum induiarum transgressores, quod videtur insertum fuisse potius adversus Nuncium, | Iberniae Clerum, exercitum Ultoniensem, aliosque 1376 omnes toto Regno Catholicos Cleri fautores, quam adversus Parliamentarios, cum Concilium suis instructionibus postularit nominatim ut adversum Parliamentarios ambae partes societatem coirent, et hac postulatione nihil obstante induiae Parliamentarios specialiter non memorent. Nec alium fuisse articuli tertii sensum et scopum author est ipsius Insequinnii apologista, qui inter suas harum induiarum observationes illa aestate anno 1648 Corcagiae typis mandatas, adeoque (ut credere par est) non nisi Insequinnio vel mandante vel consentiente excusas, "conditio (inquit) eo tantum spectat ut in omnibus occasionibus

2. Ord.
art. 4.

ad promovendum suae Majestatis obsequium pertinentibus auxilium praestetur. Justum autem et probabile est quod nos, cum auxilium a nobis postulatum fuerit, considerabimus, tendat an non ad promovendum suae Majestatis obsequium. Quod nos intelligimus esse *rei Anglicanae præservationem*. Sed objici potest nos secundum articulos teneri ad opem ferendam contra Jonium et caeteros ex viribus Anglicanis in aliis hujus Regni partibus. Sed id pernego. Tenemur enim tantum ad opem ferendam adversum hujus conventionis transgressores. Jonius autem nullius dici potest transgressor conventionis cui nondum subscrispsit. Quare nisi nos invaserit nec nos ipsum disturbabimus." Haec Anglice apologista.

2. Ord.
art. 9.

(606) 9°. Per instructiones Concilium mandaverat paciscendum ut Insequinnius castella antea ab ipso in Comitatu Kierensi capta et praesidiariis vallata restitueret, nihilque magis aequitati consonum quam ut id fieret cum ea lege post inchoatum induciarum tractatum occuparit. Verum induciae hoc articulo supersederunt. |

1376

v (607) 10°. Induciarium articulus 12us Insequinno et aliis haereticis ei adhaerentibus suas possessiones a Catholicis ante bello comparatas oppignerandi fecit potestatem ea lege ut tributa publica Faederatis Catholicis ex ejusmodi praediis jam in bonum universitatis erectis accrescentia non majorem quam ducentarum et quinquaginta librarum *sterlingarum* diminutionem pendentibus induciis paterentur. Et quamvis articulus fuerit reciprocus, ea tamen facultas Catholicis meo judicio non plus profuerit quam *aes sonans aut cymbalum tinniens*. Illeque mutuus pacti sonitus videtur additus ex Concili sagacitate, ne non aliquam aequalis utrinque utilitatis speciem praeseferret. Porro hujus articuli ne hilum quidem in instructionibus continebatur.

(608) Et haec quidam sunt, in quibus induciae plus erant Catholicis noxiae et haereticis magis utiles quam instructiones, nihilque video vicissim induciis additum in Catholicorum utilitatem, praeter id quod instructionibus praescriberetur, excepto articulo 5°, quo cautum ut Cleri et laicorum possessio eadem pendentibus induciis continuaretur, quae ab inchoato tractatu existebat, cum tamen haec conditio ibi hostibus, etiam pseudo-clero haeretico facta sit reciproca, aliundeque licet a Clero postulata sit, superflua tamen (si bona fide processum esset) videretur, cum induciarum ingenium sit utriusque partis possessiones continuare, sicut ipsum Insequinnium respondisse

Commissarii 10 Maii Concilio significarunt. Utut sit, hoc capite, quod instructionibus ita deerat ut contrarium non continerent, excepto, inducias|liquef longe potius fuisse Cleri judicio repudiandas quam instructiones. Illud quoque ipsum caput ita Insequinnio et Insequinnianis a Concilio fuit praestitum, ut tamen Insequinnius et Insequinniani per illarum induciarum portam in Cleri populique Catholici intra limites ipsis assignatos contenti bona involaverint, perinde ac si non illi articulo sed alteri ex diametro opposito subscrisissent, sicut ex Congregationis Jacobopolitanae acto 12 Augusti 1650 condito liquef, cui ipsi etiam Praelati, qui ab induciis et Concilio adversus Nuncium ejusque partes hoc anno 1648 stabant, manus apposuerunt.

(609) Accidit aliis instructionibus posterioribus 9 Maii decretis et 11^o Maii ectypo tenus ad Nuncium, ut induciarum condemnationem 27 Aprilis factam revocaret, missis Concilium non usquequaque institisse, sed induciis deinde pejore lege Nuncio inconsulto, seu potius invito, contractis, praetermissose earundem instructionum articulos alias parti Catholicae futuros perutiles, praesertim 4m et 6m, quorum ille ut vastissima territoria ante bello parta et vectigalia publica Catholicis indigenis in tractibus Insequinnio assignandis ad tributa eidem numeranda relinquenterunt, hic ut Insequinnius nullam authoritatem aut jurisdictionem (excepta tributi assignandi exactione) in Catholicos extra Comitatus Corcagiensis lineam articulo ibi 4^o designatam exerceret, praescribebat.

(610) Certum etiam est nec instructiones 27 Aprilis a Clero damnatas, nec inducias 27 Maii censuris fuisse prohibitas, nisi quatenus non solum hos vel illos articulos absolute consideratos continerent, sed quatenus iidem articuli librarentur tanquam vestiti multis circumstantiis et fine periculo. Quare instructionum et induciarum articuli perpendiculari sunt non quatenus jacent tantum et prima fronte sonant, sed etiam quatenus copulati cum illis circumstantiis et fine, quem Nuncius et Iberniae|Clerus aversabantur. Nempe prudentissime timebant ne tanta machina eo tenderet ut in Ecclesiae Ibernicae ruinam Ormonius in Proregem rediret, et Insequinnii vires cum Ormonistis Catholicis illum Ormonii redditum anhelantibus in eum scopum societatem coirent, quo fieret ut ultimorum Comitiorum Generalium decretis et legatorum Romam atque in Galliam destinotorum mandatis monitisque, quibus causae Catholicae optime providendum sperabatur, evacuatis, pax per

1377

v

illam induciarum portam intruderetur noxia fidei, Clero, et Cleri fautoribus, quibus jam Ormonius esset infensissimus. A quo quid expectandum quam ut saltem tempori Catholicis ad triumphandum opportunissimo serviret, et interea eorum progressus sisteret, atque haereseos in Regno et haereticorum progeniem et genimina viperarum conservaret, donec discordiis in Anglia et Scotia sopitis Iberniae Catholici trium Regnorum haereticis paterent in praedam nullo muniendi vallo nisi pactis chartaceis ipsa charta debilioribus, quia tanta verborum ambiguitate piae haereticorum fraude cudentis ut suapte natura rimis plurimis fatiscerent, quas magistratus haeretici semel et concorditer rerum potiti ita in suae tyrannidis favorem interpretaturi essent, ut demum violentia et perfidia haeretica facili negotio haberet cur in Catholicos iterum saeviret, horumque novissima fierent pejora prioribus. Creditum ergo consultius fore occasionem caelitus natam prudenter arripere, et haeresim atque haereticos, nisi resipiscere vellent, apud Iberniam vel delere vel deturbare, atque Ecclesiae et patriae libertatem adeo domini seculo ponere ut opis Regi ferendae causa bellum in Angliam et Scotiam transportaretur, quo fieret ut haeretici magis quidem vellent sed nocere minus possent. Hujus tanti boni quod induciis intercludendum judicavit, desiderio, et tanti mali, in quod eas desituras arbitratus est, horrore, plusquam ipsorum articulorum absolute consideratorum injustitia impulsus fuit Nuncius ad instructiones 27 Aprilis et armorum cessationem jam contractam 27 Maii prohibendam. Unde 13 Maii datis ad Concilium litteris, nec instructionum 27 Aprilis damnatarum nec aliarum 9 Maii ab eodem Concilio decretarum et 11 Maii ad se missarum articulis corrigendis immoratus est, sed septem transmisit conditiones, rogans, ut Concilium ratas haberet velut ad armorum cessationem tuta conscientia celebrandam necessarias, eo tamen solum spectantes ut res in eo collocarentur statu, quo a perversa illa induciarum meta superius tacta securius recederetur, et ea, quae ab ultimis Comitis praestituta, legatorumque mandatis et monitis inserta fuerant, effectum sortirentur. Verum Concilium ejus votis minime gentium acquiescendum duxit, sed sibi ejusmodi mentem esse pernegavit, et populo nihil ejusmodi timendum persuasit. Quo non obstante induciae hanc praecipue ob causam 27 Aprilis damnatae sunt velut periculosisimae, deindeque excommunicatione prohibitae jure meritissimo.

(611) Instructiones quoque et induiae, non solum in se et

respectu finis jam dicti, sed etiam aliter et aliunde ad augendam earum iniquitatem a Clero perpendebantur. Primo quod Concilium tribus circiter mensibus, quibus de illis induciis agebatur, nunquam induci poterat ad exercitum in Momonia scribendum, quo si non aliud praestaretur, certe hostis ad aequiores induciarum conditiones redigeretur. 2º. Quid in induciarum conditionibus exequendis expectandum erat quam ut hostes articulos ad suam ipsorum avaritiam, vindictam, Catholicismi odium, haereseos *zelum amarum*, aliasque quibus in Clerum populumque ter Catholicum flagrabant, debacchandi stimulus interpretarentur, imo pactis non starent, sed quae sitis undique justitiae coloribus, quo hostibus in hostes, haereticis in Catholicos et Anglis in Iberos nunquam defuere, articulorum executionem, quo vellent, extenderent, praesertim nullo in Momonia futuro in exercitu Catholico nisi Ormonistis compacto, a quo illi tyrannidi nisi in suae factionis favorem non occurseretur, imo ad hanc haereticorum impune grassandi licentiam pro futuro induciarum articulo 7º, quo conventum ut nullus copiarum Catholicarum numerus vicenarium excedens, pendentibus induciis, nisi hoste permittente in illos tres Comitatus Insequinnio relictos intraret. Qui articulus licet fuerit reciprocus, ideoque hostes eodem intra praedictos fines pari limitatione se interea continere tenerentur, haec tum reciprocatio Catholicis erat superflua, illa vero conditio haereticis proficia, nec in hoc induciarum pacto semel factum ut concessi hostibus favores mutua verborum forma et obligatione pangerentur, cum tamen vicissitudo Faederatis Catholicis emolumenti pene nihil afferret. Quae erat Concilii sagacitas eo tendens ut rudis multitudo hac verborum alternatione sibi persuaderet partes fecisse paria.

(612) Itaque nec soli instructionum 27 Aprilis damnatarum articuli illi induciis intexti, nec soli induciarum articuli illi in deteriore pacti conditionem superadditi, sed hi et illi quatenus praefatis atque aliis multis, quas Nuncii et Cleri actis superius videris, circumstantiis induti et tanquam a fine Regionis et religionis securitati consulturo ad alterum utriusq; exitialem deflectentes Nuncio atque aliis Praelatis secum delegatis integrum ex pluribus (ut sustinebant) compactam fulminandarum censurarum causam subministrarunt. Nam licet jura Pontificia statuant ut excommunicationis sententiae causa inseratur, et excommunicationi, de qua nunc agitur, causa non alia in ipsa sententia assignetur quam quod inducuae

instructionum 27 Aprilis damnatarum articulos contineant, dubium tamen non est quin excommunicantium mens fuerit excommunicationi illi in causam assignare id omne quod inducias illas prohibendas suaderet. Praeterea causae insertio si omittatur, non tamen propterea censura est invalida. Quanto ergo magis hoc locum habet, ubi causa principalis ita exprimitur ut de mente prohibentis circa alias causae partes ex eodem fonte resultantes et annexas non dubitatur. Denique 27 Aprilis instructionum articulos Clerus examinavit, et non hunc vel illum articulum vel plures sed inducias ipsas damnavit, usque adeo ut ne unius quidem articuli mentio in condemnationis

decreto facta fuerit, *licet dubitandum non sit ideo Clerum ea*

^v *die armorum cessationem damnasse quod ex illis articulis, fineque et circumstantiis ejus iniquitatem mensus sit. "Discussis (inquit Clerus) enucleate rerum et temporum praesentium circumstantiis et rationibus ad id pertinentibus, invenimus praedictam cessationem omnino tendere ad ruinam Catholicae religionis, cultorumque ejus in hoc Regno. Ac propterea conscientia moti eandem cessationem periculosam sane et iniquam esse declaramus, ac nulli tutum esse in conscientia illam amplecti."* Haec ibi Clerus.

(613) Itaque ubi censuris, de quibus agimus, in causam assignatur quod induciae multos articulos a Praelatis 27 Aprilis damnatos contineant, id juxta superiorem explicationem intelligendum est. Cumque praefati articuli nunquam deinde (quantum ad controversiae cardinem attinet) correcti ita induciis inserti sint, ut et alii parti Catholicae haud mediocriter praejudicantes et haereticis utiles conventioni postea additi fuerint, illa censurarum causa ab articulis 27 Aprilis damnatis et armorum cessationi deinde insertis petita perinde censenda est ac si in censurarum causam allegatum fuisse *armorum cessationem discussis enucleate rerum ac temporum circumstantiis et rationibus eo pertinentibus a Clero fuisse 27 Aprilis damnatam, velut tendentem in Catholicae religionis cultorumque ejus ruinam, periculosam quoque et iniquam, eandemque rationem 27 Maii*, quo censurae latae sunt, in induciis jam contractis non solum non cessasse, sed etiam longe magis in eas militasse, juxta quam genuinam excommunicantium tunc mentem et sensum omne quod ex induciarum parte iniquum esse judicarunt, excommunicantes censuris in causam integrum assignarunt.

(614) Ex his quae dixi, colligere est nullius esse momenti quod

Ossoriensis et Concilii Supremi Theologi eorum libello Anglicano in induciantium favorem Kilkenniae anno 1648 typis mandato affirmarunt, censuras scilicet eo ad nihil recidisse quod ob instructionum articulos 27 Aprilis a Clero damnatos velut induciarum pactum intextos latae fuissent cum tamen (inquiunt) articuli illi non nisi postea correcti pactioni inserti fuerint. Haec (inquam) inania sunt; nam correctionem illam ex parte longe maxima et pene funditus fuisse ludicram et commentitiam, imo induciarum pactum articulis 27 Aprilis damnatis iniquius fuisse jam demonstravimus. Addunt etiam easdem censuras eo fuisse invalidas quod sententia contineat intolerabilem errorem patenter expressum. Qui re ipsa quoties inest, sententia est nulla, cap: solet et cap: venerabilis. §. Potest de sent. excom. in 6°. Verum intolerabilis ille error tunc tantum contingit, cum id quod ex natura sua malum est in sententia praecipitur vel bonum prohibetur. Quare illi petunt principium, et supponunt quod est falsissimum, affirmantes ex sua natura malum esse, quod in ea sententia praecipitur, nempe ne induciis insistatur. "Sententia (inquiunt) et censura contra legem Dei prohibent fidem servari in promissis legitimis, religionem in sacris juramentis, | et obedientiam Supremo civili regimini in materia pertinente ad regimen temporale, et quae sua natura ex omni jure a civili jurisdictione dependet, in qua nullum sit peccatum. Praeterea praecipiunt violari fidem et imperant perjurium, inobedientiam, seditionem, et rebellionem adversus Regnum et Confaederatos." Haec illi. Sed (sicut dixi) supponunt quod non admittitur. Cum pars adversa jure merito sustineat inducias ex natura sua fuisse iniquissimas.

(615) De harum censoriarum materia satis superque diximus. Restat ut de eorum, qui censuras illas fulminarunt, potestate non nihil dicamus. Nam haec etiam controversiae pars fuit. Duplicem autem nedum unam fuisse statuit Nuncius, nempe suam a Summo Pontifice sibi factam, deindeque sibi et quatuor Praelatis qui una subscrivserunt a Regni Clero 2 Maii 1648 delegatum. In utramque Concilii partes insurrexerunt.

(616) Decretum, quo 2 Maii 1648 Clerus suam Nuncio et quatuor Praelatis ibi nominatis, vel aliis totidem vel pluribus ab eo substituendis, modo ibi expresso, autoritatem ad hanc causam etiam censuris prosequendam delegaverat, dicit Philopater nunquam Concilio etiam instanter postulanti fuisse ostensum, nec ostendi potuisse. Horum ultimum esse falsum ex ipso decreto liquet, quod superius ex autographo collocavi.

1380
v
*Vindiciar.
Catholic.
Ibern. lib.
1. Cap. 9.*

Quo non obstante non video cur excommunicati censuris
 quatenus illa delegatione nixis morem gerere tenerentur, nisi
 1381 demonstrata prius excommunicantium velut | delegatorum
 autoritate. Fateor tamen mihi usque modo nullibi nisi in
 Philopatri libello occurrere quod delegati cum rogati essent, nec
 voluerint nec valuerint suam ostendere facultatem. Quare cum
 Philopatri libellus Romae damnatus fuerit, hoc ex ipso non tam
 inserui ut fidem obtineat, quam ut non obtineat nisi aliunde
 constet. Nullibi etiam nisi ibi reperio Concilium unquam
 rogasse ut illa facultas delegata sibi ostenderetur, et nusquam
 legi Nuncium aut alios delegatos illud delegationis decretum
 Concilio nunquam exhibuisse. Ex appellationis autem sententia
 liquet Concilium (ex ipsis forsitan Praelatis qui autoritatem illam
 2 Maii delegaverant) didicisse re ipsa factam fuisse ejusmodi
 delegationem, et de facto P. Cyrillo a S. Josepho, vel (ut alio
 saeculi nomine vocatur) P. Olivero Walshaeo, ad annum 1655
 postea in Urbem a quibusdam ex Concilii partibus ad
 obtainendam illarum censoriarum absolutionem generalem et
 conditionatam destinato, praedictae delegationis decreti exemplar
 eorundem nomine inter alia ibi praesentatum fuit, sicut suo loco
 videbimus.

(617) Jam ad ipsam delegationis 2 Maii 1648 factae
 substantiam transeo. Ex ipso autem delegationis decreto liquet
 factam fuisse ab Ardmachano, Cassiliensi, Tuamensi, Aladensi,
 Clonfertensi, Rossensi, Clonmacnosensi, Dunensi, Corcagiensi,
 1381 Imolacensi, et | Dromoriensi, proindeque a Regni Primate,
 v duobusque aliis Archiepiscopis, et octo Episcopis, cum praeterea
 in Regno tunc essent Archiepiscopus Dubliniensis cum diver-
 sarum Provinciarum Episcopis, nempe Ardachadensi, Cloghe-
 rensi, Kilmorensi, Midensi, Rapotensi, Ardfertensi, Finiborensi,
 Laonensi, Limericensi, Waterfordensi, Laghlenensi, Ossoriensi,
 et Elphinensi, praeter Fernensem tunc Romae et Duacensem in
 Hispania absentes. Neque enim tunc a Nuncio nec ab
 Archiepiscopis Regni synodus convocata fuerat, sed Concilium
 Supremum Momoniae Praelatos rogaverat ut Kilkenniam
 accederent, super armorum cessatione illam Provinciam
 specialiter tangente deliberaturi. Quorum Archiepiscopus
 Cassiliensis cum tribus ex suffraganeis, nempe Rossensi,
 Corcagiensi, et Imolacensi, delegationis decreto subscripserunt
 cum aliis non nullis Ultoniae et Conaciae Praelatis superiorius
 memoratis et tunc Kilkenniae se tenentibus. Nam ad Archie-
 piscopatum Dublinensem quod spectat, nemo in ea Provincia,

nec Archiepiscopus, nec Episcopus, illi decreto quo delegatio facta est, manum apposuit. Quinimo ex undecim praesulibus delegantibus tres, nempe Rossensis, Corcagiensis, et Dunensis, in trium ex delegatis, nempe Dubliniensis, Limericensis et Aladensis, qui die 27, quo censuras vibratae sunt, aberant, locum ad censuras fulminandas a Nuncio substituti fuere, et velut eodem decreto suo delegati cum Nuncio et Clogherensi nominatim delegatis censuras fulminarunt, adeo ut praeter ipsos tres non nisi octo Praelati delegationis decreto subscripterint, et praeter eosdem tres non nisi duo, nempe Nuncius et | Clogherensis, delegationis decreto suffulti ea die 27 Maii censuras jaculati sint. Delegati enim fuere nominatim Dubliniensis, Clogherensis, Aladensis et Limericensis, autoritate insuper Nuncio reicta *ascendi, prout ipsi videretur, unum aut plures in casu absentiae alicujus praedictorum Dominorum delegatorum.* Unde delegatorum tribus absentibus tres delegantium a Nuncio asciti cum duobus aliis nominatim delegatis, ipso scilicet Nuncio et Clogherensi censuras vibrarunt forsitan non jaculandas, si non cum tribus substitutis sed cum tribus aliis nominatim delegatis Nuncius et Clogherensis ea die 27 Maii deliberassent. Nam Limericensis, licet induciarum instructiones 20 Aprilis a Concilio formatas cum aliis Praelatis 27 Aprilis damnarit, postea tamen, imo post factam 2 Maii delegationem, earundem induciarum instructionibus a Concilio modo superius tacto secundum non nulla correctis 9 Maii subscriptis. Ex quo atque ex ejus litteris 27 Maii ad Nuncium datis colligo jam tum in eam ivisse sententiam ut inducias secundum illam castigationem tutu conscientia contrahendas, adeoque nec censuris prohibendas judicaret. Quem etiam sicut et Episcopum Aladensem, ex absentibus delegatis alterum, id ipsum sensisse ambo testantur, communi utriusque nec non Archiepiscopi Tuamensis acto 23 Januarii 1649 rem illam testificante. Quod ad Dubliniensem, qui et ipse nominatim delegatus tunc aberat, pertinet, mihi non certum est futurum fuisse ut praesens et vicem suam obiens in censoriarum fulminationem consentiret. Nam induciarum instructionibus 20 Aprilis ad Concilii instantiam ea lege subscriptis, ut si quid ipse cum Cassiliensi, Tuamensi, Aladensi, et Limericensi ante horam nonam die 26 ejusdem | mensis in illis 1382 instructionibus conscientiae dissonum esse ostendissent, corrigeretur. Et licet 27 Aprilis cum iisdem atque aliis Praelatis easdem instructiones damnaverit, delegationis tamen decreto 2 Maii condito ejus nomen appositum non est, quorsum nescio v

nisi malis dicere ideo non subscrisisse quod ipse ex eorum numero esset, quos reliquus Clerus eo decreto delegavit. Sed haec ratio mihi claudicat, nam subscribendo si non se, saltem alios quatuor secum delegatos, perinde atque alii, delegasset, et in sui delegationem se consensisse ostendisset, ac denique subscribendo ad id profecisset ut in sui vel aliorum delegatorum abfuturorum locum suo tempore substituendi majori autoritate niterentur. Quibus forsan rationibus ductus eidem delegationis decreto cum aliis Praelatis clanculum adjecit Aladensis, tametsi et agnatae cognataeque apud Lageniam nobilitatis maximopere intererat ut induciae illae aequis conditionibus pangerentur, quo Faederatorum vires ea aestate (sicut Concilium spem faciebat) Dubliniam aliaque illius Provinciae praesidia a saevissimo Parlamenti Anglicani jugo et saeviori haeresi certius et valentius liberarent, quod ille quia pius et probus Antistes longe magis animarum Deo lucrardarum studio desiderarit. Illum tamen in eam ivisse sententiam ut inducias iniquas, censuras solidis nixas fundamentis, et interpositam a Concilio appellationem frivolam fuisse et ab initio et in progressu crediderit, ipse deinde communi sua aliorumque Praelatorum epistola ad Innocentium Xum 13 Decembris 1649 data testatus est. Quo non obstante si Nuncio die illa 27 Maii 1648 atque 1383 aliis delegatis praesto fuisse, haud liquet consensurum | ut censurae fulminarentur. Nam prudentia saepissime suadet ut Ecclesiae fulminibus jaculandis etiam licitis et validis abstineatur, ne remedio morbus ingravescat, et correctio fraterna suapte natura salutaris prae delinquentium indocilitate non minuat sed augeat eorum iniquitatem, ipseque Nuncius (ut mihi traditum est) parum abfuit quin ob hanc rationem fulminandis censuris abstinuerit, suopteque nutu se in hanc sententiam propensum ostendit. Sed aliorum, qui interessent, instantiis diu fatigatus, ac demum fractus manus dedit, semper testatus se de induciarum iniquitate nunquam dubitasse, sed metuisse ne censurae quamlibet justae validaeque luctuosum exitum sortirentur. Ex quibus forsan colligendum est futurum fuisse ut censurae a Praelatis nominatim delegatis vel saltem a majore eorum numero non vibrarentur, proindeque nominatim delegatorum absentiam aliorumque trium Praelatorum substitutionem effecisse ut Regnum illo anathemate percussum fuerit.

(618) Hic ergo objici poterit Clerum ea die qua delegaverat actum et actionem fecisse extraordinariam communicando totam suam ad censuras si opus foret fulminandas authoritatem Nuncio

et quatuor Praelatis, ideoque cum metuendum esset ne censurarum medela si praepostere adhiberetur in venenum converteretur, atque in Regni ruinam desineret, Clerum nominatim elegisse Nuncium et ex quatuor Regni Provinciis Praelatos totidem, nempe ex Lagenia Dubliniensem, ex Ultonia Clogherensem, ex Conacia Aladensem, et ex Momonia Limericensem, et specialem in his praeter alios fidem posuisse, nec delegasse Nuncio alterius vel aliorum substituendorum autoritatem, nisi in *casu absentiae alicujus praedictorum Dominorum | delegatorum*, hos autem non Kilkennia abfuisse sed ipsum Nuncium 1383 v
4 Maii inde se illis inconsultis proripuisse digressum ad Eugenium O Nellum, ejusque exercitum, quibus et Concilio Supremo, ejusque fautoribus, jam ab anno integro inter se male convenerit, ideoque nominatim delegatos Kilkenniae relictos locum illum, quo Nuncius se receperat, et odiosum et minus aequum existimasse. His accedit Limericensem Supremi Concilii albo ascriptum Kilkennia ad Nuncium accedere non potuisse, quin interea se sua in Concilio suffragandi commitate privaret. Ex quibus omnibus induciantes variis actis inferre videntur processum fuisse contra delegationis (quam illi pene semper praesumptam vocitant) et delegantium mentem, praesertim substitutis in trium Praelatorum absentium, qui nominatim delegati essent, locum tribus aliis Episcopis, quibus praeter fidei atque Ecclesiae zelum esset cur ante alios ab induciis illis abhorrerent, cum Rossensis et Corcagiensis suas in Comitatu Corcagiensi ad Insequinnii et Insequinnianorum januam diaeses haberent, proindeque ipsorum singulariter interesset ut nullus non moveretur lapis, quo Insequinnius ejusque collectitia latronum haereticorum manus illo Regni angulo deturbarentur. Dunensis quoque substitutorum 3us esset, nedum Ultoniensis, sed etiam Eugenii O Nelli ex sorore nepos, adeoque talis qui non solum fide et causae Catholicae studio, sed etiam aliis a proprio commodo et provincialium suorum commiseratione petitis rationibus ductus plenam haereseos et haereticorum extirpationem ante alios in votis haberet, et inducias ac contrahendam mediis conditionibus pacem aversaretur, ut sui alias in acto ponendi avitas possessiones | triumpho plene confecto recuperarent. Qualis etiam 1384 ratio in Rossensi quibusdam suae Momoniae proceribus in consimili navi constitutis charissimo militabat. Denique cum in Regno essent et quatuor Provinciae et duplex Catholicorum genus, nempe aborigines et Iberni majoribus ex Anglia oriundis

prognati, harumque partium rationem in omni Faederatorum regimine habendam ipsa ratio suaderet, illi tamen tres in delegatorum locum ita substituti sunt ut fulminandis censuris illa die 27 Maii 1648 praeter Nuncium et Cancellarium pariter Italum subscriperint tres Praelati aborigines, nempe Clogherensis, Rossensis, et Dunensis, et unus tantum ex Anglia olim oriundus, nempe Corcagiensis, et ex Momoniae duo, Rossensis scilicet idemque Corcagiensis, totidemque Ultonienses, puta Clogherensis et Dunensis, sed Lageniensum et Conaciensium nemo.

(619) Ad haec non est quod melius respondeam quam Nuncium asseverare se propriae libertati consulturum, nec nisi a Concilio in induciarum causa jam ludibrio habitum Kilkennia discessisse, non cum Eugenio O Nello aut cum ejus exercitu moram contracturum, sed postridie ab eo Galviam urbem ambabus partibus aequam profecturum, nisi Concilii legati supervenissent, quorum tractatus id egerit ut in Conaciam progredi distulerit in spem reconciliationis, Concilium autem post decem cunctationis dies armorum cessationem promulgasse, deindeque fecisse responsum quod spei illi non consonaret scriptum Kilkenniae 23 Maii, seque tunc Praelatos nominatum delegatos accivisse, sed ipsos excepto Clogherensi sibi non accedendi excusationem obtendisse, *quod* (inquit Nuncius) *jam*

11 Nov.
1648.
Reg. p. 700.

1384

v

forsan essent subornati. Quorum | Limericensis quid responderit superius habes, ubi ejus litteras ad Nuncium Kilkennia 27 Maii datas posui, quae tamen vix ad Nuncii manus ante devenerint quam censuras eadem die Kilmensi fulminarit. Ad Aladensem ex delegatis absentibus alterum scripsit Nuncius 25 Maii, monens ut accederet, verum ille ita Kilkennia discessit ut Nuncii epistolam tardius quam par esset Galviae receperit. Ad quam quid responderit suo loco superius habes. Dublinensem autem, qui et ipse ex delegatis absentibus erat, a Nuncio accitum fuisse et se pariter excusasse credendum est, cum hoc Nuncius tradat, licet mihi nulla nec ad ipsum nec ab ipso epistola huc spectans occurrat. Verum cum juxta binas Tuamensis et Aladensis epistolas ad Nuncium datas et superius positas dies a Nuncio consultationi praestituta fuerit 30 Maii, et Limericensis Kilkennia die ejusdem mensis 27^o, Aladensis autem Galvia die 30 responderit, liquet Nuncium alios tres Praelatos, nempe Rossensem, Dunensem, et Corcagiensem, in trium delegatorum absentium locum ante substituisse quam has responsiones receperit, vel Fearbanum, locum conductum

pervenerit, cum excommunicatio, cui illi substituti subscripterant, Kilmensi die 27 Maii fulminata fuerit triduo ante diem Praelatis absentibus a Nuncio indictam. Unde Nuncius in monitis P. Josepho Arcamono, sibi a Confessionibus, ad suam Romae causam prosequendam ex Ibernia misso 11 Novembris an. 1648 traditis non nullum forsan memoriae lapsus passus videtur, ubi sua cum Concilio controversiae originem et progressum recensens, postquam inducias fuisse demum contractas et Concilium sibi id aliaque significasse tradit, subjungens: "tunc (inquit) Nuncius accivit ad se tres ex illis Episcopis pro Censura delegatis cum aliis, et quia omnes se excusarunt, et illi tres | jam forsan subornati erant, pronunciavit cum aliis quatuor qui secum erant excommunicationem tam sua quam praedictorum subdelegatorum autoritate." Haec de se Nuncius, qui non video quomodo alios tres ideo substituerit quod nominatim delegati accedere recusassen, cum citius tres alios substituerit et citius cum iisdem ac cum Clogherensi nominatim delegato censuras 27 Maii ante diem illis delegatis condicte fulminarit quam eorundem delegatorum absentium responsiones et excusationes acceperit, nisi forsan aliae literae priores (quod credendum est), quas non vidi, intercurrerint. Ipse autem alibi scriptis mandat ideo se tam cito excommunicationis fulminationem accelerasse, quod Prestonus in se atque exercitum Ultoniensem movisset mox triumphaturus, nisi censuris examinatus fuisset.

Reg. p. 700.

1385

(620) Praeterea hic quaeri posset numquid delegati non solum Praelatorum, a quibus delegati essent, diaeceses sed etiam totum Regnum vi suaे delegationis censuris implicare voluerint. Nam cum in Ibernia, praeter Fernensem Romae et Duacensem in Hispania tunc absentem, quatuor Archiepiscopi et 21 Episcopi se tenerent, non nisi Archiepiscoporum tres et Episcoporum octo superius nominati delegationis decreto subscripterant, sicut ex autographo mihi liquet, quinetiam cum Nuncio a delegantibus potestas relicta esset ut, si nominati delegati abessent, alios quos vellet substitueret, factum est ut nominatim delegatorum tribus ea die, qua censurae fulminatae sunt, absentibus, Nuncius praefata facultate usurpus alios tres ex praefatis undecim delegantibus substitueret, praeter quos octo tantum Praelati, nempe tres Archiepiscopi et Episcopi quinque delegarent. Sed quid si dicatur illos diversarum Provinciarum Praelatos fuisse instar Concilii Nationalis totius Regni? Atqui

1385 videtur obstare | quod plures nedum Iberniae sed etiam in
 v Ibernia tunc essent Antistites, nec a Nuncio nec ab Archiepiscopis indicta sit Regni Synodus, etsi per tempus liceret duos retro menses et quod excurrit, quibus ea controversia agitabatur. Sed quid rursus si dicamus Concilium fuisse Provinciale Praelatorum Momoniae, quorum causa specialiter agebatur? Quo casu si vi delegationis excommunicatio in Momonia valuisse, jure communi Pontificio omnes Regni nedum Praelati sed etiam Catholici excommunicantibus in excommunicatos adhaerere tenerentur. Verum nec a Nuncio nec ab Archiepiscopo Cassiliensi Provinciale Momoniae Synodum indictam, sed illius Provinciae antistites a Concilio Supremo Kilkenniam deliberandi causa tunc invitatos fuisse, nec eorundem Praelatorum ullum nisi Archiepiscopum Cassiliensem, nec non Imolensem, Corcagensem, et Rossensem, Episcopos, delegationis decretum suis calculis roborasse constat. Cum a Momonia praeterea quinque alii essent Episcopi, et ex quatuor praefatis duo ultimi ex delegantibus ea die, qua censurae latae sunt, in delegatos vel delegatis absentibus substitutos se induerint. Sed quid si dicatur Archiepiscopum in tota Provincia excommunicandi, proindeque ad excommunicandum delegandi potestatem habere, et illi delegationis decreto nedum Archiepiscopum Cassiliensem, totius Momoniae metropolitanum, sed etiam duos alios Archiepiscopos, nempe Ardmachanum et Tuamensem, subscrispsisse? Verum (ut silentio praeteream Tuamensem tunc neandum pallium accepisse) constat quomodo Archiepiscopus circa suffraganeorum greges excommunicandos manus habet ligatas 9, q. 3, c. Nullus. Porro si Praelati tunc delegati non totum Regnum nec alias Regni diaeceses quam quae delegantium essent delegationis vi excommunicare potuerint, non deerunt qui dixerint delegationem illam ad excommunicationem tunc latam eo nihil omnino contulisse quod Kilmensi extra omnium delegantium et delegatorum (nam Nuncium hic non ut Nuncium sed ut delegatum considero) districtum fulminata fuerit, et habens potestatem ferendi censuras non possit illas ferre dum est extra territorium. Delegatorum autem quatenus delegatorum non aliud est districtus quam delegantium, quae etiam ratio militare videtur ad contendendum nec Clogherensem, nec Dunensem, nec Rossensem, nec Corcagensem, qui cum Nuncio tamquam delegati excommunicationem illam vibrarunt, potuisse ex illo loco jaculari censuras in proprias diaeceses, non dico delegata,

sed ne sua quidem ipsorum authoritate ordinaria, nisi forsan obstet argumentum juris petitum ex Clementina de foro competenti c. unic. secundum quam Episcopi sedibus pulsi, quales illi quatuor tunc esse videbantur, possunt in alieno territorio jurisdictionem exercere in sui expulsores, horumque fautores, suos diaecesanos. Ob quam etiam rationem Kilmensi non modo suam in proprias diaeceses ordinariam sed et delegatam in delegantium greges authoritatem tunc excommunicando exercere forsan poterant, praesertim cum Nuncii, delegatorum primi, si non ut delegati, certe ut Nuncii tota Ibernia esset territorium, ipseque tunc Kilmensi jurisdictionem valuerit volueritque exercere, et illis quatuor Praelatis secum delegatis juxta praefatam Clementinam facere potestatem exercendi ibidem ipsorum excommunicandi authoritatem tam delegatam in delegantium diaeceses quam in suos ipsorum greges ordinariam. Quibus omnibus addo quod a non nullis audivi, nempe in more fuisse positum inter illud bellum apud Iberniae Praelatos ante natam eorum discordiam et diffidentiam | ut quidquid illa 1386
Praelatorum pars quae Kilkenniae, dum de negotiis ad fidem et Ecclesiam Ibernicam spectantibus disceptaretur, adesset, in Congregationibus praesertim Nuncio praesente et presidente diffiniisset, ab iis Praelatis etiam absentibus ratum gratumque haberetur, quod ob temporum injuriam eorum haud paucis decesset unde statum Episcopalem inter accedendum toties Kilkenniam, ibique diutius permanendum et recedendum cum splendore et munificentia sustinerent, aliundeque multorum antistitutum itinera hostes adeo insiderent ut illi non nisi magno vitae discrimine Kilkenniam itare valerent. Quae ratio eo proficere videtur ut demonstretur illam trium Archiepiscoporum et Episcoporum octo Congregationem a qua 2^o Maii delegatio facta erat, fuisse instar Concilii nedum Provincialis Momoniae sed etiam Nationalis totius Regni. Concilium autem Provinciale Provinciam et Nationale Nationem integrum excommunicare et ad excommunicandum delegare posse jura statuunt Pontificia.

(621) Praeter excommunicandi potestatem ab illa Congregatione 2 Maii Nuncio et quatuor Praelatis modo jam dicto delegatam ipse Nuncius in illis censuris ferendis usus est sua, quae quanta fuerit partim ex jure communi Pontificio, partim ex speciali atque amplissima ipsi ab Innocentio X^o 15 Martii 1645 concessa, et superius ad longum posita, facultate evidentius liquet quam ut hic ulterioris egeat probationis. Quare delegatione ab undecim Regni Praelatis 20 Maii facta et ipsorum

delegatorum astipulatione ac subscriptione usum fuisse crediderim, non quod alias excommunicandi facultatem sibi haud competere arbitraretur, sed alias ob causas, quas licet 1387 (quod sciam) nullibi | ipse memoriae prodiderit, conjecto tamen eo spectasse ut Cleri nativi decretis 27 Aprilis et 20 Maii latis, nec non delegatorum consultatione et cooperatione in fulminandis 27 Maii censuris utens majore circa facti et juris ad facta applicati quaestiones authoritate ac prudentia procederet, et causae, cuius exitus periculosus esset, odio atque invidia si non usquequaque certe magna ex parte se deonerasret, ac denique ut ipsum Regni Clerum unius efficeret labii et illis instrumentis publicis prius inter se colligaret quam censuras ferret, ne postea faciles in alteram abirent sententiam et populus ad Cleri discordiam mutuis se conflictationibus dilaniaret. Denique voluit Nuncius ut delegatio illa si ad percutiendum excommunicationis fulmine Regnum integrum minus sufficeret, certe valeret quantum valere posset, et sua ipsius jurisdictione defectum suppleret.

(622) Verum rogatus deinde saltem in Conacia ab Archiepiscopo Tuamensi ut suas facultates exhiberet prorsus renuit, de Reg. p. 701. qua re ipse: “ Dicunt (inquit) non constare de Nuncii facultate cum ea non exhibeat. Sed Nuncius, cui est privilegium ut suas facultates inserere non teneatur, eas tametsi posset ostendere tamen noluit; cum enim Congregatio Ecclesiastica quando pax rejecta fuit, hanc ejus facultatem nunquam in dubium revocaverit, quinimo cum integra Regni Comitia saepius rogarint ut eam adversus quosdam laicos exerceret, haud aequum judicavit, id quod ipsi pro certo tenuerant et toties confessi erant, in anticipi ponere.” Haec ipse 11 Novembris 1648 in monitis P. Josepho Arcamono Romam a se destinando datis.

(623) Sed Nuncius hic non videtur nodum tollere. Nam illi 1387 non rogarunt ut excommunicationis sententiae | suas facultates v insereret, sed ut eas ostenderet, quo de ejus excommunicandi potestate constaret. Praeterea re ipsa suae facultates nec inserendi nec exhibendi privilegium ipsi ab Innocentio X concessum eo specialiter spectabat, ut eas nec inserere nec exhibere opus esset, quoties aliquas gratias concederet non autem quoties censuras fulminaret. Magnaque est differentia et differentiae ratio. Nam ejus qui petitur, interest ut petenti se, punientique dicat, *in qua potestate haec facis?* Facultatum porro, quas ad 15m Martii 1645 superius in medium produximus, verba sunt haec: “ decernentes in concessionibus, dispensationibus,

aliisque gratiis per te authoritate praesentium tuique officii faciendis, soli narrativae tuae, ac etiam solis concessionibus et litteris tuis absque praesentium insertione seu exhibitione, aut notarii testiumve adhibitione stari, nec ad id alterius probationis adminiculum requiri." Haec ibi, §. Decernentes. Quibus non obstantibus eadem facultates ante illum locum semel atque iterum amplissimam Nuncio censuras vibrandi fecerunt potestatem. Verum Pontifex sicut per praedictam clausulam multasque alias praesertim ibi subsequentes in concedendis favoribus patrem egit benevolentissimum, ita iis, quorum interesseret ut Nuncii facultates perlegerent et ponderarent, non minus paterne prospexit ad earundem facultatum calcem his verbis: "Volumus autem ut praesentium transumptis etiam impressis manu Regentis Cancellariae tuae et sigillo tuo obsignatis, eadem prorsus fides in judicio et extra adhibeatur, quae praesentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae." Sic Pontifex. Quintam instructiones Nuncio in Urbe traditae | et superius Latine traductae, quibus postera 1388 dies Romae apposita fuit, praescriperant ut in Ibernam appulsus quatuor Regni Archiepiscopos suae Missionis occasione certiores faceret, et facultatis quam secum portabat notitiam daret. Quare mihi mirum est cur Archiepiscopo Tuamensi ejus excommunicandi autoritatem hoc anno 1648 examinare cupienti suas facultates ostendere recusarit, praesertim cum ejusdem Archiepiscopi decessori illas non ostenderit, eumque nunquam viderit, quia ab haereticis peremptum ad ipsos dies, quibus Nuncius in Ibernam appulit. Caeterum duas alias rationes, ob quas Nuncius textu superius posito se fulminatis censuris facultates ostendere noluisse dicit, ingenue fateor mihi non satisfacere. Nam ad primam quod attinet, Congregationis Ecclesiasticae inter pacem Ormonicam anno 1646 censuris eliminandam intererat non ut Nuncio tunc nulla sed potius omnis suppeteret excommunicandi facultas, qua ea pax efficacius proscriberetur. Unde mirum non est quod Nuncium non rogarint ut suam tunc excommunicandi facultatem prius adhiberet quam in ipsorum adversarios excommunicationem fulminaret, similisque ratio est Generalium Regni (nam hoc secundum Nuncii fundamentum fuit) Comitiorum, quoties postularunt ut Nuncius quosdam laicos excommunicaret. Quorsum enim Comitia ineptissent, Nuncium efflagitando ut suam excommunicandi facultatem ante exhiberet quam in ipsorum favorem et ad ipsorum instantiam alios excommuni-

1388

v

care? Nam hujusmodi facultatum discussio ex jure et decentia illorum est, qui censuris petuntur et percelluntur, non eorum in quorum favorem censurae vibrantur, talisque forsan a laicis | excommunicandis facta fuisset, si Nuncius ad Comitiorum instantiam ipsos excommunicasset, parique modo anno 1646 inter repudiandam censuris pacem Ormonicam credendum est futurum fuisse ut pars censuris petita, nempe Concilium Supremum praedictaeque pacis authores fautoresque, Nuncii tunc censuras ferendi potestatem examinarent nisi id sibi nihil profuturum judicassent, haud ignorantes si non Nuncium certe utriusque Cleri Iberniae Congregationem Ecclesiasticam tunc per se vel per delegatos una cum Nuncio semper decernentem et subscriptentem habuisse sufficientissimam easdem ipsissimas censuras fulminandi potestatem. Aliunde ergo et aliud Nuncio, quod censuris hoc anno 1648 fulminatis suas facultates ne rogatus quidem ostendendas duxerit, mutuandum est patrocinium, cum rationes ab ipso allegatae ad nihilum recidere videantur. Id autem suppeditare videtur Clemens IV., qui alteri Legato Apostolico, nempe Cardinali S. Ceciliae, respondens cap. Legatos de offic. Leg. in 6. "Legatos (inquit) quibus in certis Provinciis committitur Legationis officium ut ibidem evellant et dissipent, aedificant atque plantent, Provinciarum sibi commissarum, ad instar proconsulum, caeterorumque praesidum, quibus certae sunt decretae Provinciae moderandae, *Ordinarios* reputantes praesenti declaramus edicto, commissum tibi a praedecessore nostro Legationis officium nequaquam per ipsius obitum expirasse." Haec Pontifex. Ex quibus glossa ibidem infert Legatos non modo a Latere (qualis erat ille, cui ibi respondetur, qualisque est omnis Cardinalis in Legatum assumptus) sed etiam Legatos natos | et missos esse *Ordinarios*. Idemque dicit Panormitanus in cap. Nemini de offic. leg. in decretalibus. Quare Suares de Censuris disp. 2, sect. 2, concludit Legatum a Latere (quod de Legatis aliis non dicit) habere ordinariam excommunicandi potestatem ex dicto C. Legatos, et ex communi sententia Doctorum. Cum autem Legatus missus, non Cardinalis, (ut ostendimus) sit etiam *Ordinarius*, eadem ratione dicendus videtur habere ordinariam excommunicandi facultatem qua Legatus a Latere. Atqui Archiepiscopus Firmanus fuit Nuncius Apostolicus Innocentii X missus in Iberniae Regnum ad Confaederatos Catholicos et apud eosdem Nuncius constitutus, idque iisdem satis superque innotuit, saltem ex sex Pontificiis

diplomatibus, seu (ut loqui amant) Brevibus, 2 Martii 1645 Romae datis : 1^o ad Generalia Regni Comitia; 2^o ad Archiepiscopos, Episcopos, Clerum, nobiles et populum Catholicum Regni Iberniae. 3^o ad Supremum Concilium. 4^o ad Iberniae Primate. 5^o et 6^o ad duos Archiepiscopos Cassiliensem et Dubliniensem; quae omnia suis locis collocavimus cum annexis Cardinalis Pamphilii tunc Dominantis litteris et 7^o diplomate ad Archiepiscopum Tuamensem dato, omniaque excepto 7^o (nam Tuamensis eodem tempore ante receptionem occubuerat) a Nuncio in Ibernia post appulsum tradita fuisse ostendimus, productis in medium Concilii Supremi nedum quorundam Regni Praelatorum epistolis ad Pontificem datis gratitudine et ratihabitione plenis ac publica Nuncii receptione longe honorificentissima. Quibus addo Pontificem nedum Cardinalem Pamphilium iisdem litteris rogasse praeter alios Comitia Generalia et Concilium Supremum ut Nuncio fidem haberent.

“Haberi (inquit Pontifex ad Comitia) eidem aequa ac nobis | alloquentibus fidem a nobis vehementer cupimus, quem istic nec alium quemquam certius audietis ac tutius nostrae voluntatis interpretem.” Haec ibi. Ad Concilium vero: “cujus (inquit) verbis aequa ac nostris fidem a vobis habere peroptamus.” Sic ibi. Nuncium autem et publice et privatum suae Nunciaturae scopum aperuisse suo loco tradidimus, et eundem eam provinciam hactenus in Ibernia pene per triennium obiisse. Itaque cum fuerit totius Iberniae *Ordinarius* missus et admissus, et suapte natura huic officio ex jure communi annexa sit excommunicandi potestas, non videtur ipsi incubuisse onus exhibendi specialem qua nitebatur excommunicandi facultatem. Nec video quid hic objici posset praeter sequentia, nempe praefata diplomata et litteras satis quidem declarasse Ibernis Archiepiscopum Firmanum fuisse a Sua Sanctitate cooptatum in Nuncium sed extraordinarium, et hoc officium non habere sibi annexam ordinariam excommunicandi jurisdictionem, cum de facto Nuncius extraordinarius circa hanc potestatem et esse possit, et (ut credere par est) saepe sit quoties pro quibusdam negotiis expediendis a Sua Sanctitate ad Principem vel quemcumque Potentatum destinatur. Itaque Firmanum vel non fuisse Regni Ordinarium, vel certe id ex praefatis litteris et evidentiis non innotuisse Confaederatis, sed tantum constitisse quod fuerit delegatus in Nuncium extraordinarium. Extraordinarium autem cujuscumque generis judicem vel magistratum juxta jura et juris consultos non esse Ordinarium, sed potius ex diametro

1389

v

oppositum, nempe purum putumque delegatum, cuius, etiam a
 1390 Sede Apostolica et Summo Pontifice missi sit semper | secun-
 dum mandati nunc amplioris nunc strictioris limites procedere,
 ipsumque mandatum exhibere ita ut secus ipsi non debeatur
 obedientia, cap. cum. jure peritus extr. de offic. et potest jud.
 deleg. Verum his repugnare videtur quod Archiepiscopus
 Firmanus missus sit non ut praeter aliquem alium Nuncium
 Ordinarium in Ibernia simul residentem negotia aliqua gereret,
 sed ut solus in Ibernia resideret, et Sedis Apostolicae apud
 Iberos Confaederatos Nuncium ageret, Scarampo, qui antea
 Summi Pontificis vices obierat, abdicato etiam his diplomaticis
 generali Catholicorum Confaederatorum conventui ab Inno-
 centio X. 2 Martii 1645 missi atque a Nuncio traditi verbis:
 “ quem (inquit) nec alium quemquam certius audietis ac
 tutius nostrae voluntatis interpretem.” Sic ibi. Praeterea
 Firmanus forsan ab Innocentio X° scriptus fuit Nuncius Extra-
 ordinarius non eo sensu, quo in jure magistratus extraordinarius
 pro ordinario habendus non est, sed quod praeter ordinarias
 Nunciorum Apostolicorum facultates habuerit valde extra-
 ordinarias.

(624) 2°. Hic Firmano objici posset quod Pontifex ipsi in
 facultatum exordio dicit his verbis: “ Cum igitur nos te ob
 singularem fidem, doctrinam, prudentiam, Catholicae religionis
 zelum et in gravibus negotiis tractandis solertiam et dexter-
 itatem, Nostrum et Sedis praefatae in Regno Iberniae, cuius
 pars etiamnum haeresi (proh dolor) infecta est, Nuncium
 extraordinarium destinaverimus, ut mandatis et consiliis nostris
 instructus, ea quae ad Catholicam fidem ecclesiasticamque dis-
 ciplinam in illis partibus conservandam vel restituendam, ac
 debitum omnipotenti Deo cultum et honorem exhibendum per-
 tinent, sedulo provideas. Idcirco necessarium et peroppor-
 tunum esse duximus te non nullis facultatibus communire, et

1390 personam | tuam amplius honorantes tibi Nostram et dictae
 v Sedis autoritatem plenius impertiri, ut mandata Nostra com-
 modius et fructuosius exequi valeas.” Haec Pontifex. Ex
 quibus forsan inferre quis posset Firmanum in Nuncium fuisse
 cooptatum, non ut facultatibus, quae jure communi Nunciis
 ordinariis competunt, uteretur, sed in *Nuncium extraordinarium*
fuisse destinatum ut Innocentii X. *mandatis et consiliis* in-
 structus, ea quae ad Catholicam fidem ecclesiasticamque dis-
 ciplinam in illis partibus conservandam vel restituendam, ac
 debitum omnipotenti Deo cultum et honorem exhibendum per-

tinent, sedulo provideret. Itaque cum loco praefato semel et iterum dicat Pontifex Firmanum fuisse missum et facultatibus munitum ut sua mandata in Ibernia exequeretur, et in monitis seu instructionibus legamus ei praescriptum ut suae facultatis Archiepiscopis notitiam daret, dicendum videtur fuisse non ordinarium, sed purum delegatum extraordinarium, adeoque suas debuisse facultates exhibere. Verum credere par est Pontifices etiam in Legatorum, qui indubitanter ordinarii sunt, mandatis et facultatibus illa vel simili loquendi formula uti solere.

(625) 3°. Objici potest Cardinalem Panziolum Suae Sanctitatis nomine per schedam apicibus arcanis 1° Julii 1647 ex Urbe missis exaratum Nuncio praescripsisse ut circa inducias et pacem ita Nuncii vere Apostolici partibus satisfaceret ut ejusmodi negotiis ulterius se non immiseret, sed ea magistratus civilis dispositioni permitteret, proindeque Pontificis mentem non fuisse ut censuras ob inducias fulminaret, | et consequenter per schedulam illam suis facultatibus generalibus posteriorem Nuncio subtractam fuisse censoriarum circa inducias fulminandarum autoritatem, sive juri communi sive speciali mandato nixam consideremus. Id etiam confirmatur ex eo quod facultatum loco jam laudato habetur, mittendi Nuncii et concessarum ipsi facultatum scopum fuisse ut Pontificis mandata et consilia exequeretur, quae quid refert quomodo significata fuerint cum significata fuisse constet et Scarampo ab Urbano VIII° et Nuncio ab Innocentio alia mandata et monita per notas arcana transmissa fuisse partim antea docuerimus, partim imposterum ostensuri simus. Respondetur illam schedam 1° Julii 1647 missam videri intelligendam instar consilii non instar praecepti aut suspensionis authoritatis fulminandi ob inducias excommunicationem.

(626) His, quae dixi, non obstantibus, fateor me aliquatenus dubitare ne Nuncius ordinariam censuras fulminandi autoritatem se habere non crediderit. Nam secus adversariis eum censoriarum vibrandarum facultatem non exhibuisse objicientibus respondisset se hac ordinaria jurisdictione ex jure communi nixum non oportere ut ullam praeterea speciale facultatem exhiberet, idque ipsum inter rationes, quibus se loco superius citato de hoc controversiae capite excusare conatus est, allegasset. Quod tamen non allegavit sed alias rationes longe minus sufficientes. Caeterum cum ipsi amplissima privilegia ad suam legationem melius obeundam concessa fuerint etiam in

multis anteriorum Pontificum et Conciliorum ac juris communis decretis adversantia, adeoque ordinarias Nunciorum Apostolicorum facultates excedentia, non video quomodo in his exequendis ipsi ab iis, quorum interesset ne obtemperarent, obsequendum esset, nisi suas facultates extraordinarias ostendisset.

(627) Ad censurarum tunc a Nuncio et delegatis latarum 1391 formam | et modum nunc transeo. In ea ergo sententia v habetur multos in armorum cessatione tunc contracta esse articulos prius ab omnibus Archiepiscopis et pluribus Episcopis Iberniae die 27 Aprilis damnatos tanquam injustos ac iniquos, idque constare ex declaratione per supradictos Praelatos ea die 27 Aprilis Supremo Concilio praesentata. Verum declaratio illa (sicut ex ejus lectione liquet) ne unum quidem articulum, nedum plures, determinate, sed ipsam armorum cessationem verbis generalibus damnaverat. Haec autem duo toto caelo differunt. Nam ad damnandam generaliter cessationem non opus esset ut ullum censura dignum articulum contineret, sed sufficeret ut in uno vel pluribus articulis, qui ad causae communis securitatem juxta faederis juramentum inferendi essent, omittendis peccaret. Reque ipsa ob hujusmodi potius omissionem quam aliam ob causam die illa cessationem illam fuisse damnatam, satis superque jam vidimus. Unde inserto deinde articulo antea omissio, quo Cleri et laicorum Catholicorum possessionibus in tuto ponendis prospectum esse videretur, Nuncius postea (sicut ex propositionibus et litteris ejus 13 Maii ad Concilium missis constat) non rogavit ut articulorum ea die 27 Aprilis a Clero examinatorum ullus expungeretur, sed ut certae conditiones concederentur, quibus efficaciter caveretur ne induciae sinistros parerent effectus, et in finem Ecclesiae Ibernicae exitialem desinerent. Quomodo ergo verum erit multos articulos induciis 20 Maii contractis et 22 Maii promulgatis insertos fuisse, quos Clerus sua declaratione 27 Aprilis damnarit. Respondeatur sensum esse ea die 27 Aprilis Clerum instructionum 20 Aprilis a Concilio decretarum articulos, secundum quos idem Concilium mandaverat ut induciae pangerentur, examinasse, et armorum cessationem, quatenus juxta illos articulos contrahendam, damnasse, inducias vero postea 20 Maii contractas fuisse tales ut multi earum articuli fuerint ii ipsi, quos instructiones jam dictae continerent, quorumque intuitu Clerus armorum cessationem, si secundum eosdem contraheretur, nec via, qua

malis inde nascituris occurrentum esset, iniuretur, iniquam fore, 1392
eo die 27 Aprilis judicarit.

(628) In eadem censorum a Nuncio et delegatis 27 Maii 1648 latarum sententia insinuatur delegationem ab iisdem Praelatis fuisse factam, qui armorum cessationem 27 Aprilis damnaverint. Verum ex utroque acto mihi liquet hoc intelligendum esse cum limitatione. Nam ex quatuordecim Praelatis, qui decreto 27 Aprilis subscriperant, non nisi novem et praeter hos alii duo Episcopi, nempe Clonfertensis et Dromorensis, delegationis instrumento 2 Maii manus apposuerunt. Unde corrigendus est memoriae lapsus, quo ipse Nuncius alibi 11^o Novembris 1648 scripsit quindecim Praelatos delegationis decreto subscriptisse. Quod etiam quatuor antistites, qui per delegationem una cum Nuncio censuras fulminarunt, se in earum sententia delegatos et subdelegatos vocent, explicationis eget. Nam ex his Clogherensis nominatim delegatus erat. Alii vero tres trium cum Nuncio et Clogherensi nominatim delegatorum sed tunc absentium locum occuparunt juxta potestatem per ipsum delegationis decretum Nuncio factam. Verum illi tres non propterea subdelegati sed re ipsa delegati fuere, quibus utique non Nuncius velut a Congregatione delegatus censuras ferendi facultatem subdelegavit, sed ipsa Congregatio jam ipsis delegaverat. Neque enim subdelegandi facultatem a Congregatione accepit Nuncius, sed ascendi in abfuturorum delegatorum locum quos vellet, et a Nuncio ascendos Congregatio perinde ac nominatim delegatos delegaverat et Nuncius eos nunquam subdelegavit. Itaque eo solum nomine improprio subdelegati nuncupantur, quod nominatim delegatorum vices obierunt, licet re ipsa delegati in casu qui successit. Quae notanda duxi, quod notum sit non semper delegatum posse subdelegare, nec Nuncium in illis tribus praeter alios diligendis et substituendis Suae Sanctitatis, cuius delegatus subdelegare potest, sed praefatae Congregationis egisse delegatum, non ut subdelegaret, | sed ut in nominatim delegatorum locum alios cooptaret a Congregatione ad censuras vibrandas eo casu aequae delegatos.* | Porro tradit Philopater Nuncium litteris 28 Maii, postridie quam censuras latas fuisse vidimus, Kilmensi scriptis Concilio suum convocandae Atloniam Synodi propositum aperuisse. Concilium autem sicut 25 Maii ante ortam censorum et appellationis tempestatem ei suppliaverat ne in ejusmodi sententiam iret, ita biduo post inter-

*Reg. pag.
699.*

1392
v

1393

* (*Reliqua pars paginae hujus lineis transversis deleta est.*)

positam appellationem animis jam irritatis hanc ad eum epistolam, quam ex autographo subdo, eodem fine dedit:

“ Illustrissime ac Reverendissime Domine.

(629) “ Regni status adeo est distractus ut si Synodum Nationale pro praesenti indicere velit Illustrissima Dominatio vestra, protestamur nobis invitatis et nullo modo consentientibus hoc fieri, precamurque ut in proximam hyemem eam differat cum anni tempus et Commissariorum ex Urbe et Galliis reditus et pacatores et rerum nostrarum magis gnoscos reddere possint. Illustrissimae Dominationis Vestrae manus deosculamur.

Illustrissimae ac Reverendissimae Dominationis vestrae addictissimi servi.

Kilkenniae,

2^a die Junii 1648.

Athunry. Lucas Dillon. Rob. Lynch. R. Bellings.

Gerald Fennel. P. Brian. Rob. Devereux.”

(630) Ad hanc epistolam Nuncius respondit his verbis:

“ Miratus sum valde quod DD. Vestrae Illustrissimae protest-

I393 entur contra Synodum Nationale si ipsis invitatis | et nullo modo
v consentientibus cogatur, cum in hac re a Sanctissimi Domini nostri nutu omnino dependentem nec habeant nec habere possint ullam autoritatem. Quod vero spectat ad praesentem Regni statum et conditionem, id sine dubio tam Reverendissimis DD. meis Episcopis quam mihi non minus cordi erit quam Dominationibus vestris Illustrissimis, quibus Dei opem auguror et manus deosculor. 4 Junii 1648.”

(631) Nemo inficias iverit quin Concilium magnam Nuncio et Regni Clero violentiam intulerit impediendo Concilium Nationale, in quo Clerus ea, quae ad publicum Ecclesiae Ibernicae tunc periclitantis bonum conductura judicasset, diffiniret ut illius discordiae torrentem sisteret. Quid autem magis rationi et aequitati consonum quam ut Clerus in bello Catholico, et ad controversias religionis causa dirimendas liberrime in unum conveniret, quatenus unanimi voto et invocato Spiritus Sancti auxilio gregum saluti provideret. Sed (inquit Philopater) *Concilium non latebat plerosque e Clero omnibus Reverendissimi Nuncii molitionibus opera, consilio, ac industria affuturos.* Qua ille ratione Concilii causam pessime oravit, resque ipsa loquitur ideo Concilium Supremum Concilio Nationali convocando parum Catholice nedum violenter intercessisse, ne in se a Clero unanimiter decernente sententia feretur, et populus Cleri sententiam sequeretur. Quod sane argu-

mentum sicut ad pessimam Concilii Supremi fidem et causae iniquitatem in confesso ponendam haud mediocriter confert, ita Nuncium eique adhaerentem Clerum populumque sancte et juste processisse valde probat; quod quis magis sibi non persuadeat ex iis | quae mox posita Concilium gessit. Nam ita 1394 Concilii nationalis convocationem praepedivit ut strenuam Clero in suas partes illiciendo operam dederit, et omnibus ecclesiasticis in legitimos Praelatos sui causa tumultuandi januam aperuerit sacrilego edicto, quod postera die quam ultimam illam epistolam Nuncio scripserat, Anglice edidit, et hic Latine verto in aeternam eorum ignominiam inferius augendam ex pessima eorum revocandi Ormonii mente demum notoria:

"Per Supremum Concilium Confaederatorum Catholicorum Iberniae.

(632) " Seria nostra luctuosae conditionis, ad quam Regnum improviso quorundam hujus Insulae Praelatorum saecularium et Regularium ac non nullorum, qui in Religiosis Ordinibus praefecturam gerunt, procedendi modo jam redactum est, cogitatio, nec non, quo justa ex causa percellimur, metus ne universum Confaederatorum corpus irrecuperabili discrimini exponatur, nisi tempestiva ineatur via, qua harum nullo jure nixarum molitionum violentia sistatur, conscientia quoque efficiendi operis religiosissimi tuendo innocentiam (licet nulla periculi publici suspicione occuparemur) eo nos impellunt, ut quam Reipublicae debemus vigilantiam, et arctam obligationem qua ex faederis juramento in eam praeservandam incumbere tene-
mur, perpendamus. Itaque quo in his duobus muneri nostro satisfaciamus, et malorum, quae tristem in modum ex hoc fonte scaturientia perspicimus, cursum cohibeamus, tametsi extremam severitatem inter tanti momenti negotia, in quibus universae nationis tutela vitaeque nituntur, adhibendam tam divino quam naturali jure moneamur, nihilominus cum nullam rationem, quae vel ipsis transgressoribus acerba videatur, inire velimus, aequum duximus primo admonere et rogare | omnes ac singulos praefatos cujuscumque gradus Praelatos, 1394 Archiepiscopos, Episcopos, Abbates, Vicarios Generales, v Decanos, et Capitura, Provinciales, Priors, Guardianos, et alios superiores quoscumque, a quibus per sacrum juramenti faederis vinculum efflagitamus, et ex obsequio quod suae Majestati ejusque Coronae et Regno, nec non nobis velut

Supremo Confaederatorum Catholicorum Concilio debent, stricte injungimus, ut nemini ex suis respective subditis, praesbyteris, vel Religiosis in obsequio perseveraturis vel in eo prosequendo nuperam armorum cessationem, quam cum Inse-quinnae Barone contraximus, approbaturis, hoc nomine molestiam facessant, nec verbo, scripto, vel opere, publice vel privatim, ulli ex praefatis eorum subditis praecipient, sollicitent, rogent, vel inducant ut predictae treugae vel ulla aliis nostris in ea publicae incolumitatis studio prosequenda mandatis obsistant, vel populo suggesterent nostrae authoritati non esse obtemperandum, praetextu quocumque etiam declarationis factae vel censurarum quae jam emanarunt, vel imposterum eandem ob causam ab Illustrissimo Domino Nuncio et quatuor ejus Episcopis emanaverint, a quibus omnibus, velut nullo fundamento suffultis, injustisque, juxta sacrorum Canonum amussim ad Suam Sanctitatem legitime appellavimus, eaque ratione non solum anteriores sententias et censuras, sed etiam totam suae Illustrissimae Dominationis et eorundem (siquam habuerunt) quatuor Episcoporum jurisdictionem suspendimus, ne ulterius in ea causa progrediantur, donec Suae Sanctitatis beneplacitum innotuerit.

(633) "Quinetiam ab omnibus utriusque Cleri subditis, digni-
1395 tariis, | Curionibus, Concionatoribus, Confessariis, et aliis omnibus, cujuscumque sint conditionis, ex eodem juramento et cui obnoxii sunt, obsequio requirimus, ne quem Confaederatorum ullo, etiam praefatarum censurarum obtentu ab approbanda eadem cessatione, vel a praestanda mandatis et decretis nostris in ejusdem prosecutionem factis vel faciendis obedientia dehortentur, sed potius suis concionibus publicis, privatis colloquiis, et omni quae se obtulerit occasione connitentur, ut eos in suo erga suam Majestatem et nostras justas sanctiones jussaque obsequio reddant constantiores.

(634) "Praeterea maxime necessarium et aequum esse duximus recipere (sicut per praesentes et ex nunc facimus) in speciale et immediatam Coronae, suaque Majestatis (cujus jura etiam in hoc articulo, nostrum est in Confaederatos Catholicos administrare) protectionem omnes cujuscumque gradus ecclesiasticos, tam saeculares quam Regulares, qui hactenus suam erga Regni moderamen fidem et obedientiam demonstrarunt, quique eapropter et quod structis in nos atque in eos, qui Rempublicam tractant, sinistris et periculosis molitionibus obviassent, antehac a suis Praelatis male multati sunt, exagi-

tantur, vel imposterum fuerint durius tractati, vexati, impediti, officiis privati, vel ulla ratione molestati. Protestamur quoque et universo mundo palam facimus nos in id totis viribus incubituros, ut eorum hac ex parte innocentiam adversus Illustrissimum D. Nuncium et tales eorum Praelatos sustineamus ac defensemus usquequo Sua Sanctitas et generales institutorum moderatores, rebus mature discussis, | ulterius providerint 1395 rebus ecclesiasticis et debitae Religiosorum Ordinum disciplinae. v

(635) " Postremo iisdem Praelatis et superioribus nec non omnibus, qui ex utroque Clero his subsunt, declaramus, quod si imposterum deprehensi fuerint ulli ecclesiastici populum modo jam dicto seducentes, vel patrocinantes, sive seductoribus sive seductis, nos oportebit habita notitia in tales procedere, et velut in boni publici adversarios et regimini injurios mox procedemus, eo coacti praesentium fatalium periculorum subitatione et magnitudine.

(636) " Hinc fit ut nemini cogitandum sit, nobis propterea (utrumque enim est per viam facti et in naturalem ac necessariam nostri defensionem, assumendo ecclesiasticos injuste oppressos in nostram protectionem) esse decretum illicitam potestatem, jurisdictionem, vel nullo jure nixam usurpare praerogativam, aut invadere in ecclesiasticas immunitates, cum tam longe ab utroque absimus ut etiam non dubitamus, quin nostrum edictum in omnibus et singulis praedictis capitibus quadret ad Sacrorum Canonum normam, ad magnorum Theologorum et Canonistarum sententiam, et ad nationum summopere Catholicarum, interque alias ad Angliae proxim ante schisma citra Cleri renitentiam. Quinimo indubitanter persuasum habemus id jure naturali, quod omni jure Canonico potius est, probari et tanta severitate juberi ut secus fidei in nobis positae defuturi essemus, si per nostram hac in re negligentiam Confaederatorum Catholicorum vitae et fortunae maxime inevitabili et evidenti periculo exponerentur. Datum in Kilkenniae | Castello 3 Junii 1648 et anno regni Supremi Principis nostri Caroli, Dei gratia Regis Magnae Britanniae, Franciae, et Iberniae vigesimo quarto. 1396

Montgarettus. Arthunrius. Dunboynius. Lucas Dillon.
 Rob. Lynchaeus. Richardus Barnevallus. Richardus
 Everardus. Richardus Bellingus. Patricius Goughus.
 Joannes Walshaeus. Geraldus Fenellus. Patricius
 Brianus. Robertus Devereux. Georgius Cominus."

(637) Praeter hoc sacrilegum, schismaticum, et impium edictum, scripsit eodem tempore Concilium ad Regni Praelatos

Vindiciar.
Lib. 2. p.
122.

litteras binas, unas quidem 31 Maii datas, quibus monuerat, ne Nuncio adhaererent, quem etiam ex conjectura imprudenter affirmabat censuras vibrasse, quatenus Eugenium O Nellum adeo redderet potentem ut ambo deinde Regno leges dicere valerent. Secundis autem 4^o Junii directis rogavit Episcopos ut Kilkenniam in 20 ejusdem mensis accederent, de praesenti tunc Regni dissidio deliberaturi. Dedit etiam Concilium epistolam, qua Regni theologos Kilkenniam invitavit. Illam Philopater in medium produxit his verbis eandem impudentiam et calumnianti libidinem spirantibus:

"Ad universos per totum Regnum Theologos."

"Reverendi Patres.

(638) "Quoniam comperimus quod in magnum publicae quietis detrimentum communisque hostis incrementum D. Nuncius excommunicationem emiserit; eaque, quantum potuit, Regnum distraxerit, nationemque diviserit, non obstante appellatione 4^o hujus mensis ipsi a nobis exhibita, qua Dominationis suae ulteriores progressus de jure suspenduntur.

1396 v (639) "Nihilominus quia officium a nobis Regno debitum exigit | ut nihil praetermittamus quo vel minimus quisque faederato cuilibet Catholico eximatur scrupulus, ne in manifestam juramenti associationis violationem, autoritatem nobis commissam declinando incidat, expedire visum vobis significare nostram voluntatem esse, ac proinde nos praecipere ut in hanc civitatem Kilkenniensem ad 18m hujus mensis commigretis, cum magnum Concilium una cum spiritualibus ac temporalibus Regni paribus huc conventurum sit die 20a. Interim vero ita vos tam lectione quam aliorum, quos ad id idoneos judicabitis, Theologorum collationibus in controversa materia exercebitis, ut facilius inclusarum quaestionum solutiones ad nos referatis.

Amici vestri
Montgaret. Athunry. etc".

Kilkenniae,
4 Junii 1648.

(640) Hanc epistolam non 4 Junii (quod etiam ex ipsa colligere est cum appellationem 4 Junii, proindeque antea exhibitam fuisse recenseat) sed 14 ejusdem mensis scriptam fuisse alibi reperio. Quare quatridui tempus totius Regni Theologis ad conveniendum Kilkenniam praescriptum ostendit (quod etiam

aliunde conjecto) eam magnifico illo et generali titulo fuisse editam ut Concilium allegaret per se non stetisse quo minus omnes Regni Theologi tunc Kilkenniam convenerint, ut sibi velut solam veritatem atque aequitatem scire amplectique cupientibus de quaestionibus ad inducias, censuras, et appellationem spectantibus responderent. Idque ipsum de Praelatorum | convocatione censendum videtur. Concilium enim sibi 1397 persuaserit nec Praelatos nec Theologos nisi suos fautores ad ejus mandatum accessuros, nec hos ipsos invitasse videtur nisi ut Theologis Theologos et Praelatis Praelatos in sui defensionem et ad sollicitandum populum militiamque objiceret.

(641) Quis autem non rideat juxta ac stupeat Concilii Supremi molitiones convocantis Kilkenniam Regni Clerum, non ut libere quid sentirent aut dicerent, sed ut in unum corpus sub Nuncio non coalescerent, et Kilkenniae nolentes volentes | ei atque ejus censuris adversarentur. Qua maligna Concilii machina cognita Nuncius pro virili occurrit, parumque dubito quin ad Regni Praelatos saltem plerosque paribus vel forsan iisdem verbis tunc scripserit, quibus Episcopum Laghlinensem sui officii monuit, sicut hoc ejus epistolium testatur:

“ Ilustrissime ac Reverendissime Domine.

(642) “ Rumor est hic omnes vel aliquos Episcopos convocatos esse Kilkenniam ad diem 20m mensis currentis, et probabile supponitur id fieri a Dominis Consiliariis ut ibi tractetur de cessatione jam rejecta, aliisque ad eam spectantibus. Quapropter muneri nostro insistentes autoritate Apostolica praeципimus D. Vestrae Reverendissimae ut ad evitanda scandalum populorum, abstineat ab hoc congressu, ne iidem populi inducantur ad credendum quod Reverendissima Dominatio vestra faveat Cessationi, eo magis quo inutilis esset quaecumque sententia contra res a nobis declaratas, et Dominatio vestra Reverendissima non esset libera ab incursu excommunicationis contra faventes quoquo modo huic Cessationi, fulminatae. Spero in D. V. Reverendissimam eam fidelitatem atque constantiam, quam unctionis Episcopalis et praestita a se juramenta requirunt, et illi manus deosculori.

Dominationis vestrae Reverendissimae

Atloniae,

9 Junii 1648.

Addictissimus servus

Joannes Baptista Archiepiscopus Firmanus et

Nuncius Apostolicus.”

1397
v

1398 (643) Laghleniensis huic Nuncii, cui constantissime adhaesit, mandato morem gessit, et licet pauculos tunc Praelatos Kilkeniam ivisse reperiam, crediderim tamen | non alias ibi antistites pedem fixisse quam quinque, quorum communem Nuncio scriptam epistolam ex autographo subdo:

“ Illustrissime ac Reverendissime Domine.

(644) “ Serius aequo dolebunt posthumi fidei orthodoxae filii, eorumque pronepotes, hanc inhumanam Confaederatorum (post tot vota Deo facta, sacramenta suscepta, et praelia commissa pro unione firmiter stabienda tum pro cultu Divino tum pro Patriae bono) divisionem, nisi ei tempestivum adhibeatur remedium. Hinc est quod ultima feria 4a visum fuerit nobis ad Illustrissimos Dominos Supremi Concilii scribere sicut fecimus, rogantes quatenus nobis plane significant difficultatem illam sive nodum, in quo maxime nobiscum dissentunt, ut nullum lapidem non moveremus pro reducenda dicta unione et impedimentis in contra amovendis. Nostris litteris ut satisfaceret Concilium, miserunt hodie ad domum Reverendissimi Ossoriensis tres de dicto Concilio, quibuscum aliquot horas impendimus, et quos Concilii nomine eosque ad Confaederatorum unionem continuandam inclinatos comperimus ut palam profiteantur Concilium paratissimum omne illud, quod cum Dei gloria, religionis splendore, Majestatis Regiae dignitate, et patriae incolumitate stare possit, amplecti. Ostenderunt insuper eas, quae hactenus ab Illustrissima Dominatione Vestra et dicti Concilii Dominis transmissae sunt, litteras. Ex quibus omnibus non satis constat quid illud sit, quod revocare dictam unionem possit. Quare humiliter prostrati obnixe rogamus | ut

v Illustrissima sua Dominatio dignetur nobis significare quid in particulari illud sit super quod ultimate determinat insistere, et sine quo religionis splendor et patriae bonum conservari non potest, ut sic per nos toti mundo innotescere possit esse penes Concilium illud efficere quod neque Dei gloria, religionis splendor aut Regis amor ipsi commendare possit. Caeterum necesse est ut sua Illustrissima Dominatio pro solita et paterna sua cura aliquem moderatum modum inveniat, quo summum hoc patriae et religionis malum arceatur, ne maneant Confaederati propter confusionem, aeternum opprobrium omnibus nationibus et Deo Sanctisque odiosi. Haec ex nostro in religionem zelo et filiali in Illustrissimam D. Vestram observantia humiliter sugerenda duximus, cui precantur omnem felicitatem. Datum Kilkenniae die 3a Junii 1648.

Illustrissimae ac Reverendissimae Dominationis suae
Humiles servi.

F. Thomas Dubliniensis. David Ossoriensis. Thomas
Midensis. F. Patricius Ardaghadensis. Fr. Oliverus
Dromorensis."

(645) Ad hanc epistolam respondit Nuncius 6^o Junii his verbis:
 "Nunquam minus satisfecisset officio meo nisi nunc Domina-
 tiones vestras Illustrissimas dolenter simul et graviter arguerem
 quod in materia cessationis jam a pluribus Episcopis damnatae
 et modo ad fulmen censoriarum productae | Congregationes
 istic privatas habeant, et veluti judices rei jam transactae
 rationes partium ex se ipsis privatim examinare ac de nodo (ut
 aiunt) difficultatis prius dominos laicos quam Episcopos ipsos
 interrogari ausi sint. Certe quod plurimum decreta ad judicium
 paucorum referantur, adeo inauditum est in Ecclesia Dei, ut qui
 id praetendunt, nihil aliud praestent quam scandala inter
 populos serere, greges suos decipere, et ab Ecclesiae obedientia
 ac submissione eosdem avertere. Expectassem ac mecum tota
 Curia Romana ut DD. vestrae Illustrissimae pro suo pastorali
 munere tam Dominos Consiliarios quam alios cum iis sentientes
 ad Ecclesiae gremium per legitimas satisfactiones deducerent,
 atque ita per veram animorum unionem misero huic Regno
 salubriter mederentur. Quod si vestrum aliqui, qui praedicto
 Episcoporum consessui non interfuerant, fundamenta et rationes
 districtius scire desiderant, quibus iidem Praelati cessationem
 iniquam judicarunt, videant quaeso quantum deliquerint, dum
 meis monitis atque invitationibus evocati parere recusaverint,
 ac magno reipublicae Catholicae scandalio videri potius velint
 laico magistratui auscultare, quam Apostolicae Sedi, prout
 tenentur, obedire. In qua rationum communicatione cum
 omnino cupiam praedictis Illustrissimis Dominis satisfieri,
 eos qui nec senectute nec valetudine praepediuntur,
 per praesentes in virtute sanctae obedientiae iterum
 requirimus ut ad nos quamprimum se transferant, audituri praedictas
 rationes, easque inter viros ecclesiasticos prout decet
 ponderatur. Caeterum in iis, quae DD. VV. Illustrissimae
 veluti mediatores videntur adjicere, petentes ut aliqua moderatio
 a me suggeratur in communem reconciliationem, quid aliud
 respondeam non video quam | in iis, quae Dei offensam ac peri-
 culum religionis respiciunt, nihil aliud proponi posse quam revo-
 cationem actorum, novam applicationem exercituum contra hae-
 1399 v

reticos, ac debitam erga Ecclesiam reverentiam, quae fuit semper et erit gloriosior causa, quae haberi unquam possit emendationis gestorum. Haec sunt quae viri consecrati persuadere populis debent, ut eos instruant, censorum metum inculcent, et tunicam Ecclesiae indivisibilem non scindant. Quod ad Dominos Consiliarios Supremos attinet (prout in calce epistolae DD. vestrae Illustrissimae superaddunt) jam (ut puto) ex eorundem Dominorum dictis, factis, ac scripturis possunt colligere, quem animum circa hos ostendant, cum quicumque tandem ego sim, et quantumvis personales injurias remittam, Apostolicae tamen Sedis legationem sustineo, cuius autoritatem nullus sub caelo laicus aut minuere aut abrogare, vel de illius usu legitimum ferre judicium potest. Ego vero non obstante quod iidem Domini suis litteris me Kilkenniam invitaverint, spondentes in materia cessationis nihil sese acturos, me non consentiente, ac deinde ea, dum inter nos compositio tractabatur, conclusa quasi coegerint istinc pro honore Sanctitatis Suae discedere, paratus sum nihilominus semper protestari atque eos ad tribunal aeterni Judicis vocare, qui sanguinem tot animalium de manu ipsorum requiret, eo quod nec parere Ecclesiae judicio velint, et falsissimas suspiciones de Sanctitate Sua pro veris dispergere, et mihi in hac re aperte contrarium profitent ac juranti apud imperitum vulgus fidem derogare. Cujus veritatis cum debeant pro suo officio Dominationes vestrae Illustrissimae assertores esse, tunc partes | veri pastoris implebunt, et (quod ad ipsos maxime spectat) unionem inter caput et membra, de qua rationem Deo ac Sanctitati Suae reddere debent, procurabunt." Haec Nuncius 6 Junii 1648.

1400

(646) Iterato mandato hic significato non invenio hos Praelatos obtemperasse, quorum Dubliniensem partim senectute, partim nimia corporis pinguedine, Midensem et Ossoriensem crediderim senecta fuisse impeditos. Porro hos duos ultimos etiam lubentes Kilkenniae permansisse video, quos utique ab hujus controversiae exordio et hactenus in progressu non invenio in Nuncii sententiam ivisse, usque adeo ut nec Cleri decreto, quo 27 Aprilis inducias proscriptas fuisse diximus, nec alteri quo 2 Maii Nuncio et aliis quatuor Praelatis treugae censoris prohibendae protestatem a Congregatione factam esse tradidimus, eos subscrispsisse videam, quos etiam reperio Congregationi diebus illis non interfuisse, licet in eadem urbe Kilkennensi se tunc tenerent, quinimo post praefatam epistolam a Nuncio acceptam libellum illum Anglicanum, de quo superius haud semel mention-

em fecimus, in censuras typis mandatum ambo suis calculis et auctoritate munierunt. Neminem quoque ex praefatis quinque invenio se Nuncio post acceptam ejus epistolam litteris purgasse, praeter Dubliniensem, cuius responsonem pietatis et obedientiae plenissimam hic ex originali subjicio:

“ Illustrissime ac Reverendissime Domine mi observandissime.

(647) “ Ego nulli interfui Congregationi nisi tantum uni, quam instituimus non ad judicandum de validitate aut invaliditate censurae Illustrissimae Dominationis vestrae ac aliorum Praetorium a Clero hujus Regni subdelegatorum, non ignorantes nostrum potius esse obedire | quam temerario ausu quidquam in praejudicium censoriarum inflictarum tractare. Convenimus 1400 v igitur tantum ut rogaremus Illustrissimam ac Reverendissimam Dominationem vestram ut pro paterno suo affectu aliquem ex cogitaret modum quo effusio sanguinis Confaederatorum Catholicorum evitaretur. Sed quandoquidem videam illam nostram Congregationem fuisse sinistre ab aliis interpretatam et distortum in alium a nostro sensu, imposterum per Dei gratiam ab omni congregatione nisi a vestra Illustrissima Dominatione praecepta abstinebo. Quod ut melius fiat rogo ut a vestra Illustrissima Dominatione mihi in proximis litteris praecipiatur ad evitandam aliorum importunitatem. Deum Optimum Max. humilibus precibus continuo deprecans, ut piis vestris conatibus assistere dignetur, Illustrissimae ac Reverendissimae D. vestrae manus deosculor.

Kilkenniae,

10 Junii 1648.

Vestrae Illustrissimae Dominationis
Affectuosissimus servus.

Fr. Thomas Dublioniensis.”

(648) Quantam autem Nuncius Dublioniensi fidem et habuerit et in eo collocaverit, liquet ex ejusdem Nuncii epistolii apographo, quod mihi in ejus Scriniis occurrit his verbis:

“ Illustrissimi Domini.

(649) “ Optassem istic esse postquam audiverim DD. vestras Illustrissimas fuisse ibi congregatas, videlicet ut ostendere iis possem quicquid a me hucusque et a Reverendissimis Dominis meis in causa cessationis actum est, non nisi in bonum Regni et religionis, ac consequenter temporalium etiam rerum gestum fuisse. Quod igitur praestari a me non potest ob locorum distantiam supplebit Illustrissimus | Dominus Dublioniensis, cui in 1401 hac re plenam a DD. vestris Illustrissimis adhiberi fidem precor,

et Deus Opt. Max. illas servet incolumes dum iisdem manus officiose deoscular." Haec ibi. Caeterum Nuncius de Midensi, Ardaghadensi , et Dromorensi superius memoratis quid senserit, diebus illis Cardinali Panzirolo significavit duplii schedula notis arcanis exarata. Primam hic, deindeque 2am subjungam:

(650) "Episcopus Midensis annos natus octoginta mortuus est in maximum hujus Regni bonum. Erat enim homo opinionibus addictus paulo minus haereticis, in quem ego processi ut ipsi interminatus fuerim a me istuc mittendum etiam adeo senem. Dubito ne facienda sit instantia ut in ejus locum transferatur Ardaghadensis, D. Plunketti qui istic est frater; verum cum in praesenti revolutione non se bene gesserit, et extrema nobis suadeat necessitas ne promoveantur nisi personae fidissimae, Eminentiam Vestram rogo ut eum excludat; cumque O Ferallorum familia, quae desiderabat ut a se praesentati ad Episcopatum Ardaghadensem promoverentur, jam magnis meritis sibi Catholicos devinciat, et legatus Generalis O Ferallus, qui hujus Provinciae copiis preeest, Cleri partes palam amplexus sit, propono duos viros Regulares virtute et constantia praeditos, Fr. Franciscum O Ferallum, unum ex Religionis Franciscanae Diffinitoribus, et Fr. Gregorium O Ferallum, Dominicanorum hodie Provincialem, quorum hunc secundum pluris facio quam primum. Haec diaecesis est totius Regni maxima, eoque major habenda cura circa Praelatum in ea promovendum. Galviae 4 Julii 1648." Haec ibi Nuncius, qui paucis diebus interjectis ad eundem indidemque secundam illam schedulam scribens:

1401
v
Reg.
pag. 633. "Fertur (inquit) | hoc Concilium ad Episcopatum Midiensem promovendos commendasse Episcopum Dromorensem et Ardaghadensem. De hoc secundo jam octo diebus elapsis scripsi nullo modo dignum esse cui conferatur. De primo jam dicto potius dignum esse, qui deponatur, quod primus fuerit Prestoni adversus D. Eugenium instigator, et in calcanda mea autoritate apertissimus contradictor. Quo paucis ecclesiis, quae vacant, propiciatur, scribam intra paucos dies de omnibus promovendis, cum plus quam unquam necessarium sit diligere viros fidos in splendorum religionis." Haec ibidem 11 Julii 1648. Verum postea didicit Midiensem tunc non decessisse, sed rumorem falso percrebuisse. Quare eidem Cardinali et indidem 3^o Augusti scribens:

Reg.
pag. 636. "Episcopus (inquit) Middensis non obiit, sed superstes est in bonorum exercitium." Sic ibi.

(651) Multa Nuncius ab exordio et in Nunciature progressu egerat, quae postea expertus est redundasse in gravissimum suae

Reg.
pag. 630

1401

v

Reg.
pag. 633.

Reg.

pag. 636.

et Catholicae causae praejudicium. Ex iis, quae alibi tradidimus, notum est ipsi in mandatis datum fuisse ut difficilimis illis et dubiis Ecclesiae Ibernicae temporibus non segniter curaret ne quis in Regni praelaturas irreperet, nisi cuius studia sponderent eum futurum causae Catholicae constantissimum assertorem. Appulsus autem in Iberiam accepit instantissimos libellos supplices, litteras, et postulationes, hodieque in ejus Chartophylacio asservatas, quibus primas Ardmachanus, cui duae praefatae diaeceses, Dromorensis et Ardaghadensis subessent, et ejusdem Provinciae Ardmachanae Clerus ac nobilitas summis precibus et validissimis rationibus ibi insertis obsecraran ne praefatos duos Episcopos, illis diaecesisibus alienigenas, parum gratos, et Ormonismi merito suspectos et Ormonistis omni necessitudine adeoque affectione conjunctos, sed alias a diaecesisanis et Clero populoque praefato commendandos presentaret. | Ardaghadensis quoque diaecesis capitulum, Clerus, 1402 et nobilitas, praesertim antiquissima ibi fundatissimaque O Ferallorum tribus de causa Catholica optime merita urgentissimis rationum momentis et instrumentis publicis, quae deprecandae prolixitatis studio non produco, eandem suam in hoc articulo causam apud Nuncium egerunt. Et quoddam actum hunc in finem Nuncio porrectum ante oculos posuit O Ferallorum familiam magnam esse et perantiquam, a temporibus D. Patricii strenue et constanter nemine dempto in fide Catholica cum maxima bonorum jactura et spretis dignitatibus ac Regis Angliae favoribus perseverasse. In eo bello praeliis a primo die eousque fidelem et magno zelo flagrantem se praestitisse. Viginti amplius castra in eo Comitatu suis sumptibus et viribus expugnasse. Totam diaecesim haereticis expurgasse; exindeque ex eadem tribu et clientela ac sequacibus Ecclesiae semper militasse, nunc duas, nunc tres, et aliquando quatuor legiones pedestres cum aliquot turmis equestribus, atque in rejicienda pace Ormonica praeclararam operam collocasse. Rogatum ergo ut ex praefatis duobus Religiosis a Nuncio demum laudatis et praeclarare nobilibus unus vel alter, nempe P. Franciscus O Ferallus, Religionis Franciscanae Diffinitior, vel P. Gregorius O Ferallus, Ordinis Dominicani in Ibernia Provincialis, vel certe D. Cornelius Gafneus per plures annos ibidem Vicarius Generalis et Apostolicus, vel denique aliquis ex aliis diaecesis indigenis ad eandem dignitatem idoneis et optime affectis promoveretur. Verum tanta valuit apud Scarampum, deindeque apud Nuncium fide D. Nicolaus Plunkettus ut his omnibus post-

habitatis ejus frater, P. Patricius Plunkettus in Episcopum Ardaghadensem fuerit cooptatus. Parique modo P. Oliverus Darcius invita | Provincia Ardmachana in eadem ad Episcopatum Dromoreensem assumptus est Prestonii causa post multa magna ab eo edita animi in Nuncium, ejusque partes et causam Catholicam male affecti experimenta. Non ergo defuerint, quos hac aestate vix misertum esset Nuncii, ubi in hos duos Praelatos velut beneficiorum immemores excanduisset. Quinetiam Richardus O Ferallus, hoc anno ex virium Ultoniensium legato generali in copiarum Conaciensium Imperatorem ascitus, ita orta hac circa inducias et censuras procella ad Nuncii partes palam transiit, ut tamen aegerrime ferens suam diaecesim Ardaghadensem Episcopo inducias non respuenti et a censuris non stanti subesse, ad Nuncium scripserit his verbis: "Non (inquit) sine magno animi dolore referre possum quomodo evidenti Reipublicae et fidei praejudicio frequentes petitiones tam Cleri quam populi diaecesis Ardaghadensis (etiam a me exhibitae) postulantis e gremio et sanguine suo Episcopum fuerint frustratae. Hinc in illo populo utroque capite, spirituali et temporali, orbato (cujus antehac vires et conatus in promovendo bono communi sunt Regno satis noti) tot schismata et factiones ut pauci in eo inveniantur, qui in hac rerum extremitate pro Ecclesia aut natione se exponent." Haec ille, deindeque subjunxit rogans ut novus Ardaghadensis ad alium episcopatum transferretur, et in ea diaecesi aliquis ex iis, quos antea postulatos fuisse diximus, in Episcopum cooptaretur. Verum Nuncius his confusionibus occursurus aliam viam excogitavit. Viso enim quod Episcopus Kilkenniam se receperat, et de censuris in sua diaecesi sustinendis | parum sollicitus esset, P. Laurentio O Ferallo, Dominicano, postea martyri glorioso, amplam ibi censurarum promulgandarum fecit potestatem. Quo factum ut Clerus populusque Ardaghadensis, excepto Episcopo Kilkenniae haerente et paucis aliis, in inducias insurrexint, et censuris morem gesserint. Dromorensi autem magis quam Ardaghadensi succensuerit Nuncius, quod cum Congregationi 2 Maii interfuisset, et decreto, quo fulmindarum censurarum potestas delegata erat, manum apposuisset, censuras tamen latas non modo non propugnavit, sed et inter primos sprevit et prophanavit, et sacrilegam induciarum coniurationem sustinuit.

(652) Nuncius censuris 27 Maii Kilmensi fulminatis, inde Kilcolganiam progressus est; ubi apud D. Terentium Mac-

Cochlanum festum Corporis Christi, eo anno Kalendas Junias, transegit, nec nisi die Martis proxime sequenti inde discessit, apud Terentium nactus tutissimum refugium, et omnia zeli vere Catholici, humanitatis et munificae hospitalitatis argumenta. De quo ipse postea loquens Innocentio X^o: "Ea (inquit) erat hujus viri prudentia, et ita a muneribus publicis libenti animo se abstinebat, ut omnibus partibus charus esset. Ego quoque magnopere cupiebam cum ipso conversari ob multa, quae in eo observaverim specimina singularis studii in religionem Catholicam." Haec Nuncius, qui cum quinque Praelatis ipsi tunc assistentibus, nempe Clogherensi, Corcagiensi, Rossensi, Cluanmacnosiensi, et Dunensi, juxta potestatem a Congregatione 2 Maii factam inter alia acto 5 Junii Kilcolganiae condito praeceperunt totius Regni Clero sub censurarum ecclesiasticarum paena ut stipendia et vectigalia | publica Concilio Supremo per arbitriam Cleri devotionem in belli Catholici sumptus hactenus ex decimis et redditibus ecclesiasticis numerari solita sibi resumarent, et in futuros ejusdem belli usus penes se servarent, et publicos eorundem vectigalium exactores vel commissarios a Concilio institutos monerent ne quid in contrarium moliri auderent sub paena excommunicationis non minus a locatoribus et vendoribus quam a conductoribus et emporibus ipso facto incurrendae, qua omnes hac ex parte tunc debitores statuerunt involvendos, si illa debita Concilio vel ad ejus nutum numerarent. Verum ab his quoque censuris Concilium ad Summum Pontificem appellavit, et Nuncius Praelatique assistentes visa appellatione Apostolos tantum dederunt refutatorios, adeo ut et in hac causa et caeteris omnibus controversiis ex principalis contestationis fonte scatulentibus utraque partium alterius mandata spreverit, ut litem diremit viribus, in sententiae Romanae expectationem, Concilio semper de malo in pejus proficiente. Inter haec Terentius Mac-Cochlanus quadam dierum per exploratores rescivit Prestonum postridie in vicinia transitum, quo Vicecomitis Dillon copiis suas augeret, fortius deinde Concilio in Nuncium, Eugenium O Nellum, fautoresque militaturus. Quo auditio Nuncius, Terentio etiam authore, Kilcolgania discessit inter noctem, et ad alterum Terentii castellum munitissimum Sineno flumini continens se recepit, illo | nocturno itinere expertus quod antea ex Sphaerae contemplatione et astrologia hauserat, nempe aestivas in Ibernia noctes, praesertim ad solstodium, esse perquam breves lucidasque. Tradit enim se tametsi tanta curarum mole oppressum observasse, nunquam illa nocte tenebras fuisse den-

Rel. cap.
31.1403
v

1404

Rel. cap.
31.

siores quam posterum pridiano succedens crepusculo crepusculum et pene semper radiasse horizontem. Porro Prestonus haud secus ac exploratum fuisse diximus, Kilcolganiam accessit, auditoque Nuncium jam abscessisse, excanduit vociferans haud majorem a Nuncio in Eugenio O Nello quam in se spem fuisse collocandam, ideoque ipsi nec a se fugiendum nec ad Eugenium. Postridie quam Nuncius in secundum illud Terentii Mac-Cochlani castellum concesserat, Sineno, flumine, iter cymba prosecutus, Clonmacnosiam, venerandae antiquitatis sedem episcopalem, quam fluvius alluit, declinavit; rem ibi sacram fecit. Vetus-tissima ibi sanctitatis monumenta visitavit; et apud Reverendissimum D. Antonium Mageocheganum, illius diaecesis Episcopum recens salutatum pransus, vespere Atloniam pervenit, totus attonitus quod Eugenium O Nellum, quem a tergo reliquerat, ibi cum copiis reperiit. Eugenius enim litteris interceptis odoratus est Prestono decretum fuisse cum propriis et Vice-comitis Dillonis copiis vel suum exercitum ex improviso adoriri, vel armentis, quorum lacticiniis velut annona aestiva milites Ultonienses vicitarent, spoliare, vel certe Atloniam, cuius praefectus, Theobaldus | Magaulius, Nuncio et Eugenio studebat, antequam Eugenius propugnaculo suppetias veniret, repentina insultu et clandestina quorumdam ex praesidiariis conspiratione occupare, vel potius haec omnia (si posset) patrare. Verum detecta eorum, qui ad propugnaculum Vicecomiti Dillon pro-dendum conspirassent, conjuratione, et captis subito quinque complicibus, horum quatuor laqueo vitam finierunt, sed quintus e furcis ter pendulus totidem vicibus funem rupit, et saltem 10 Junii, quo haec Nuncius Atloniae in Diarium retulit, supervivebat. Eugenius etiam Prestoni consilium expiscatus, duodeviginti millibus passuum una nocte confectis ita Prestoni diligentiam elusit, ut ante ejus appulsum Atloniam pervenerit, et propugnaculum in tuto collocarit, ibi castrametatus, Ultoniensium suorum armentis ad triginta pecorum millia triduo trajectis Atloniae ponte in Conaciam, nec ita, quin Prestonus extrema agmina carpens ex pecuariis mille circiter vaccas abegerit, fixis deinde tentoriis haud longe ab Atlonia ad alteram fluvii ripam quae Midiae contermina. Caeterum Eugenius suam Regno mentem 11 Junii palam fecit acto Anglo, quod Illustrissimo D. Equiti Rinuccino, Nuncii fratri, Florentiam Latine transmissum est his verbis, quibus in ejus Scriniis mihi occurrit:

“Excellentissimi Domini D. Eugenii O Nelli Generalissimi Ultoniensium pro Confaederatis in Ibernia Catholicis

1404
v

Praefecti, nec non illustrissimorum, per illustrium, ac nobilium in iisdem exercilibus tribunorum, ducum, atque officialium protestatio.

(653) " Nos et proprii honoris prodigi et fidelitatis erga Regem | utique suspecti merito censeremur, nisi temerario calumni-
antium ore pressi nostram tandem defenderemus innocentiam et
integritatem contra quotquot posuerunt *in caelum os suum et*
lingua eorum transivit in terra. Plena igitur cum deliberatione,
unanimique omnium consensu (veluti universalis Catholicorum
voluntate fuit cautum) nemine prorsus contradicente in
conspicu mundi et *coram oculis solis hujus solemnia associationis*
juramenta praemisimus, quibus nostram et religionem et fidel-
itatem, hanc erga Principem, illam erga Deum, patefecimus.
Eadem insuper renovavimus, tam frequenter iteravimus,
tamque libere, ac nostrorum ullus Confaederatorum per uni-
versum Iberniae Regnum. Cleri praeterea votis annuentes,
quae *Caesaris Caesari, et quae Dei sunt Deo reddere* promisimus.
Unde quemadmodum protestationem hanc atque juramenta
violare nunquam excogitavimus, eadem animi firmitate spon-
demus nulli unquam adhaerere, qui vel uni vel alteri aut deroga-
ret aut contraveniret. Non nulli tamen de propria versus
Regem fidelitate p[re]caeteris supra modum gloriantes, etsi in
rei veritate suae infidelitatis maxime sint concisi, in facto nuper-
rime armistitio concesserunt jurato Regis hosti quatenus quos-
dam Momoniae Comitatus a Confaederatis alias Catholicis
possessos sibi usurparet, nulla omnino suae fidelitatis obligatione
praemissa, nec praehabita cautione de iisdem Comitatibus tan-
dem restituendi, statim ac predictae cessationis tempus ex-
piraret, sicque tanquam omnium absoluti forent in solido
Domini, de Catholicorum bonis, ipsis invitis, quoad temporalia
et spiritualia ad usum omnem et sustentationem inimicorum
Regis disposuerunt. Imo ipsam Kilkennensem civitatem,
unicam | Concilii residentiam, et alia plurima quarteria ad Con-
faederatos Catholicos hucusque spectantia, praefato jam tradi-
derunt hosti, quem non solum fidei contrarium, sed et Regi in-
fidelem, et ad prodendum Parliamentariis Regnum paratissimum
esse norunt. Huic hi semper adhaerent non obstantibus hor-
ridis quae patravit laesae Majestatis criminibus, tradendo
videlicet Parliamentariis fortalitia et civitates, Dublinensem,
Drohedaensem, Trimensem, Dundalkensem, cum reliquis ad sua
spectantibus quarteria vallis, villis, oppidis, oppidulis, prae-

1405

v

Ormonio
An. 1646.

An. 1647.

sidiis, arcibus, et propugnaculis. Omnes insuper moventur lapides, artes, inventiones, ac industriae excogitantur ad ingentes denariorum cumulos nunc mutuo, nunc pigneratione, nunc aliter habendos, ex Catholicorum etiam quarteriis coacer-vandos et huic unice procurandos hosti, quod abunde fieri debere ius et ius in justae cessationis articulus insinuat. His (dicimus) non obstantibus praedicti bonorum administratores invalidae cessationis authores, fideles omnino subditi volunt videri, reliquos vero suae praxi contrarios esto Confaederationi juratos, infideles praedicant. Verum si nos tam frequenter, tamque libere ac Confaederatorum ullus nosmetipsos fidelitatis vinculo jurejurantes adstrinximus, cur plus aliis sumus de infidelitate suspecti? Si in nullo infidelitatis delicto fuimus adhuc depraehensi, quemadmodum ipsi jam depraehenduntur, qui tamen omnium fidelissimi cupiunt videri, quare nos tanquam Regi Regnoque infideles, isti tanquam fideles excipiuntur. Mundum hodierna die obtestamur si minimam infidelitatis notam a principio hujus belli ad hoc usque momentum ullus potest nobis objicere, nisi praefati perfidi, quorum malitia mutavit intellectum, ad palliandam suae iniquitatis | turpitudinem, unicum hoc judicaverint infideliter factum, quod christiani animi resolutione defendamus nostrae religionis immunitatem, Regis praerogativas, et gentis libertatem, ad quod praeter alios obligationes virtute juramenti iterum atque iterum publice emissi strictissime tenemur, qualem obligationem ut constanter observaremus, Sedes Apostolica Apostolicis nos nuntiis frequenter est exhortata, et ad tam sancta promovenda vota, subsidia non parva nec pauca transmisit, et mittere liberalissime continuat. Inde autem inferre quod Sua Sanctitas aut nos praetendamus inter Regem et subditos zizanias serere ac discordias mera est calumnia; alii statum potius politicum quam religionem pro fine sibi statuentes in propositis haud diutius perseverant quam tempora favent, nec amplius quam eos necessitas urget Regi adhaerent. Sublata hac Regem cum Parliamentariis commutare non erubescunt. Iterum si contraria ipsis fata propinent, subito se Regios esse simulabunt. Talibus nos, nisi perjuraverimus (quod absit) sine fidelitatis assecratione et cautione de non praejudicando fidei in ullo adhaerere nequimus. De his autem duobus punctis et conditionibus omnino considerandis non nulli ex Supremo Concilio malignantis tamen naturae, contra reliquos ejusdem Concilii et universum Regni Clerum haud aequa lance ac speravimus,

providerunt, utpote qui, ob pravos et privatos fines, nostram calumniantes integritatem cessationem jam praetensam stabilire conantur, ut illo medio omnium, quotquot Regi vel vere vel apparener adhaerent, super nos inducerent indignationem. Nos nihilominus, quotquot vere Regii habentur, libentissime amplectimur, sine tamen ullo Catholicae fidei praejudicio. Caeterum duplicitibus corde, larvatis et reliquis, qui tantum fingunt se esse, quales | non sunt, Regi Regnoque fideles nec 1406 volumus nec valemus adhaerere. Ita igitur cum resolutione v non solum nos sed et reliqui Catholicae Confaederationis omnes insimul cum universis civitatibus et incolis, qui praestita jam juramenta firmiter observare Christiano determinarunt animo, omnino recusamus tam iniquae, injustae, et damnosae cessationi acquiescere vel obtemperare. Quapropter arma sumimus pro defensione tum nostratum reliquorum inde gravatorum Catholicorum aequa contra illos, qui nobis non provocantibus intolerabiles intulerunt injurias, ac contra alios omnes, quotquot sese de facto declaraverunt Regiae Majestati contrarios, aut talē machinationem continuaturi dignoscuntur. Interim Dominus exercituum, qui secreta nostra penetrat, quique corda et renes scrutatur, nec nobis nec nostris prosperet praetensionibus diutius quam sincero animo sine ullius privati finis respectu intendamus divinum illud Domini ac Salvatoris nostri Jesu Christi exequi mandatum: *Reddite quae sunt Caesaris Caesar, et quae sunt Dei Deo.* Quod ut perficiatur, universos Confaederatae Associationis Catholicos cum reliquis quibuscumque Regi fidelibus obsecramus, quatenus suas vires ac viros nostris adjungant contra omnes tum Parliamentariorum tum factionistarum impetus, qui privatorum finium intuitu in praejudicium Regis, Regni ruinam, juramenti violationem, et extinctionem fidei nobis adversantur. Publicatum in fronte Ultoniensis exercitus die 11^o Junii 1648.

Generalissimus Eugenius O Nellus. Colonellus Hugo O Nellus. Colonell. Connus O Nellus. Colonell. Rogerus Maguirius. Colonell. Philippus O Relli. Col. Jacobus MacDonel. Col. Arturus Fox. Col. Miles O Suinny. | Col. Henricus O Nellus. Col. Lisachus O 1407 Morra. Col. Daniel Magnesius. Col. Arturus Magnesius. Col. Felix O Nellus. Col. Eugenius O Doherty."

(654) Concilium, hac Eugenii O Nelli atque exercitus Ultoniensis protestatione dissimulata, Eugenium ut Kilkenniam ad

se fide publica veniret, litteris invitavit, et suasit ut sibi ipsis obsequium praestaret. Quas ille litteras jam lectas primum lacerat, deindeque flammis generose tradit. Porro post aliquot exinde velitationes, inter quas Eugenius ab initio, ne faedus Catholicum dissuere inciperet, non aggressorem sed defensorem egerat ad medium Junium mille circiter pedites ducentique equites, vel censuris obtemperaturi, vel annonae inopia pressi, nunc manipulatim nunc turmatim a Prestoni castris ad Eugenii exercitum transfugerunt. Quo etiam tempore data fuit opera ut utrinque ad concordiam rediretur, tribus ex utraque partium militiae officialibus in arbitros delegatis, qui demum re infecta ad castra quisque sua redierunt.

(655) Interea Concilium nullum non movebat lapidem ut inducias propugnaret et censuras exsibilaret. Eo omnes intendebant sagacitatis atque industriae nervos, additis viribus et violentia, et coactis pro virili copiis sub Clanricardiae Marchione (qui ante semper vel hostis vel neutralis fuerat) in Conacia, sub Taaffo in Momonia, sub Prestono in Lagenia, accitis etiam in adminiculum Insequinnii viribus haereticis juxta tertium induciarum articulum, quo induciantes mutuam sibi opem pacti erant in eos qui induciis adversarentur. Nec Eugenius O Nellus jam a Concilio per edictum publicum proscriptus et Nuncii fautores in cogenda

1407 militia, in armorum cessatione adorienda, | atque in censuris

v propugnandis erant segniores. Dicam inferius hujus belli civilis incendium et luctuosissimos progressus, ubi alia, quae priorem narrationis ordinem sibi vindicant, retulero. Ac primo quidem (sicut superius spopondi) Concilii edictum 27 Maii latum et ejusdem refutationem 12 Junii Atloniae contextam, et Praelatis Nuncio assistentibus attributam hic proferam. Ab edicto autem incipio, quod Philopater ita ex Anglico Latine reddit ut adulteret, et ego cum Anglico collatum, Philopatri adulterationibus refutandis morari haud operae pretium ducens, restituo.

Vindiciar.
Lib. I.
pag. 103.

" Per Supremum Concilium Confaederatorum Catholicorum Iberniae.

(656) " Nos dictorum Catholicorum Confaederatorum Supremum Concilium non sine intimo doloris sensu ob populi calamitates et vias ad hoc afflictum Regnum miseriis cumulandum initas inter curam, qua Confaederatorum Catholicorum saluti et prosperitati prospicere tenebamus, et observantiam, quae a nobis Illustrissimo Domino Archiepiscopo Firmando, Suae Sanc-

titatis extraordinario in Ibernia Nuncio, et debebatur, et abunde exhibita fuit, a longo tempore ex aequo animis pependimus. Verum cum nobis innotuerit suam Illustrissimam Dominationem paucorum hominum ita privatos fines studentium ut subjectionem adversentur, et ab omni via, qua tranquillitas etiam religioni Catholicae quantumlibet utilis introduci possit, abhorrentium suggestionibus occupatam iis insistere consiliis, ex quibus evidens hujus nationis excidium sequeretur, cumque nec rationum momentis nec seriis instantiis ejusmodi consilia avertere potuerimus, compulsi tandem sumus Confaederatos Catholicos, quorum vitae et fortunae nobis creditae sunt, admonere ut posthac nullis id genus inanibus praetextibus aut suggestionibus, nullisque super illa fundatis actis ab ea, quam nostris jussis debent, obedientia dimoveantur, ne se illi confusione et Regnum illi exponant divisioni, quae utriusque posset esse exitialis. Nuperae declarationis a paucis Episcopis coram Illustrissima sua Dominatione congregatis conditae et ab aliis ipsorum vitae probitate atque eminenti doctrina conspicuis (licet in illo consessu majori suffragiorum parti obtemperantes subscriperint) oppositionem passae apographum Illustrissimi D. Nuncii et Illustrissimorum DD. Episcoporum Clogherensis, Rossensis, et Corcagiensis mandato hodie affixum nos multum animis reluctantibus induxit ad vindicandum hac nostra publica declaratione Regni honorem, et ad Confaederatos Catholicos malorum, quae ipsis accidere possunt, tempestive monendos, cum nunc manifeste videamus nullam non tentari viam, qua contra pia Suae Sanctitatis vota in Catholicae religionis propagationem, in obsequio sua Majestati debiti continuationem, et in servandam inter Confaederatos Catholicos concordiam (in hoc enim Illustrissimi Domini Nuncii missio tanquam in scopum collineata fuit) tendentia discordiarum aerumnis involvamur. Secus enim fieri non posset ut nunc illa declaratio adhiberetur, cum in concludendis illarum induciarum articulis libero religionis nostrae exercitio et functioni, Clerique nostri possessionibus plene providerimus, et Illustrissimus Dominus Nuncius per Patricium Brianum et Zepherinum Barronum, Armigeros, ad nos miserit propositiones mere temporales, tanquam media ad illam cessationem tutam conscientia contrahendam idonea, quibus affatim satisfecimus, sicut ex dictis propositionibus et responsionibus nunc prelo mandatis liquet. Nunc ergo cum nullum afflictionum, quibus oppressus ingemiscit populus, videamus finem, protestamur non posse nos committere ut Regni moderamen nobis creditum

1408

dejiciatur aut conculcetur, nec permittere ut negotia omnia
cujuscumque demum sint conditionis, *in ordine ad spiritualia*,
ad ecclesiasticum tribunal devolvantur, quod sequatur, necesse
est, si nobis non nisi obtenta prius venia liceat inducias con-
cludere, aut exercitus moderari, aut duces nominare, aut Com-
missarios assignare, aut de publicis muniberibus probatae integ-
ritatis | praefectos postulantibus in Reipublicae albo statuere.

1408

v Cum ergo decreverimus nostram conditionem Suae Sanctitati
repraesentare, et humiliter supplicare (sicut ut per praesentes
facimus) ut his quibus implicamur distractionibus mederi dignetur
evocando decisionem casus conscientiae qui huic armorum ces-
sationi intercludendae praetenditur, ad se tanquam potentissi-
mum, aptissimum, et aequissimum Judicem, ad cuius sacrum
tribunal Faederatorum Catholicorum jam dictorum nomine circa
illam causam appellamus, omnes et singulos Confaederatos
Catholicos praemonemus obedientiam quam juramento et secus
nostris praescriptis praestare tenentur iis omnibus, quae Illus-
trissimus D. Nuncius super hoc vel simili negotio gesserit, non
diminuendam. Datum Kilkenniae 27 Maii 1648.

Montgarettus. Athunrius. Alexander Macdonell. Lucas
Dillon. Rob. Lynchaeus. Felix O Nellus. Richardus
Bellingus. Geraldus Fenellus. Patricius Brianus.
Robertus Devereux.'

(657) Antequam ulterius procedam, observo Concilium non
solum prolixo acto altero ultima die Maii dato et superius posito
post censuras latas et intimatas sed etiam appellasse hoc acto quod
certum est fuisse conditum censuris nondum intimatis. De quibus
utique Nuncius in suo Diario ad 3m Junii 1648 loquens tradit
29 Maii fuisse Kilkenniae affixas. Sed quaestio est ad multas
1409 hujus controversiae difficultates extricandas | digna, quae ad
trutinam revocetur, nunquid hoc actum ante latas censuras
traditum fuerit. Saepe enim (quod etiam in hac causa locum
habet) magni refert ut censuris innodati potius provocent quam
appellent, nempe ut ante quam post latas appellant. Atqui
censuris et huic acto eadem dies 27 Maii ita apponitur ut
censurae quidem Kilmensi et hoc actum Kilkenniae latum
fuerit. Quod si dies vera utrique acto apposita est, neutrum
altero nisi nescio qua ejusdem diei parte anterius esse potest.
Verum ego animam meam libero, ingenue quidem fatens huic
Concilii acto secundum ipsum exemplar Kilkenniae typis

mandatum, ex quo Latine verti, non alium apponi diem quam 27m Maii, sed aliunde dubitans ne lapsus sit calculi, et ne actum 25 Maii latum fuerit. Ex ipso enim colligimus ipsissima die latum fuisse, qua declarationis ab Episcopis coram Nuncio congregatis 27 Aprilis in armorum cessationem conditae apographum Nuncii et Episcoporum ibi nominatorum mandato Kilkenniae affixum fuit. Quam affixionem in diem 25 Maii incidisse appellationis in Concilio interpositae sententia superius posita, et duo acta a P. Joanne Roweo, ab appellantibus Romam in litis prosequendae Procuratorem misso, ad annum 1649 in Urbe porrecta testantur. Ipseque Nuncius Kilmensi die Sabbati 27 Maii, pridie Dominicæ Trinitatis, quo censuras fulminavit, in suum Diarium retulerat declarationis jam dictæ ectypum die Jovis proxime praecedenti nempe 25 Maii Kilkenniae affixum fuisse. “ Die (inquit) Jovis declarationis ab Episcopis super predicta treuga factæ exemplar Kilkenniae affixum fuit cum assertione ut populo notificaretur. Quod subito per vim ablatum est, idque (ut aiunt) a Fenello, Medico, uno ex Consiliariis.” Sic ibi Nuncius Italice. | Ex sententia 1409 quoque excommunicationis alterius Massario tanquam Nuncii delegato Kilkenniae 27 Maii fulminata (qua nequis in dictam Cleri declarationem opinaretur, prohibitum esse vidimus) v colligere est illam fuisse jam publicatam, et quosdam jam in publicatam opinari caepisse, quae omnia probare videntur jam illam Concilii appellationem factam non (sicut charta typis mandata temporis numerum continet) 27 sed 25 Maii. Nec video quid responderi possit, nisi forsan Concilium ipso quidem die 25 Maii, quo Cleri declaratio Kilkenniae affixa fuit, actum illud condidisse, proindeque in eo de declaratione tanquam illo ipso die affixa meminisse, sed id non promulgasse nec ei subscripsisse nisi die 27 Maii; idque ita ut acti formam 25 Maii conceptam non mutaverint, sed diem non quo formatum sed promulgatum esset, adjecisse. Quod forsan successit, sed successisse nusquam reperio. Etiam tempus est ut ejusdem acti sive 25 sive 27 Maii a Concilio conditi refutationem 12 Junii 1648 Atloniae Anglice contextam Latine subjungam, quae hic sequitur.

“ Illustrissimi Domini Nuncii et Episcoporum contra hoc Edictum et Appellationem eodem factam Vindicatio per Clogherensem, Rossensem, Cluanensem, et Dunensem, Athloniae, 12 Junii 1648.

(658) "Nobis innotuit edictum Supremi Concilii nomine publicatum a maligna et perversa ejusdem parte, nominatim Luca Dillonio, Equite, Richardo Bellingo, et Geraldo Fenello, nec non ab quibusdam aliis per eandem partem pellectis, 1410 nempe Athunrio, | Robucco Lynchaeo, Equite, Patricio Briano, et Roberto Devereux, vel ab officiose subscribentibus eidem edicto cum nullatenus essent illius Concilii membra, nec tales, quibus Faederati ullam voverint obedientiam, qui sunt Montgarettus, Alexander Mac-Donel, et Felix O Nellus, Eques. Hi laici usurpatam autoritatem secundare vellent ab eadem maligna parte laica arrogatam, quo caelo et terrae spiritualibus et temporalibus leges praescribant. In eo edicto nostros procedendi modos et nostram in sensis adversum sceleratas inducias per ipsos contractas aperiendis integritatem calumniantur, nosque eorundem delictorum, quorum ipsi omnium maxime rei sunt, accusant, quatenus Confaederatos ad morem suis jussis quamlibet inquis gerendum inducant, qua praxi pars illa saepe saepius usa est, suosque intendunt et in id semper intenderunt conatus ut haeresim promoverent, eamque Ormonium. postliminio restituerent, ac suum *Mecaenatem*, qui infamem in modum eorum Principem prodidit, praeservarent, potius quam religionem et fideles suae Majestatis subditos secum ipsis faedere conjunctos secundarent. Quo etiam edicto nedum a se seductorum corpora, sed etiam animas in excommunicatione a nobis in ipsos nuper edita persistendi periculo involvunt quasi a nobis appellassent, et sic nostrae excommunicationis vim suspendissent.

(659) "Malignis id genus influentiis antidotum objecturi cogimur hanc praesentem in lucem edere nostri vindicationem, 1410 v qua protestamur omnes nostros procedendi modos ex pura et sincera oriri voluntate defaecata et immuni ab omni fine privato et fidelis subjectionis aversione, quin imo tendere in religionis securitatem, Principis | obsequium, et hujus languentis Regni conservationem, quod eadem pars maligna calamitatum Iliade involverat abutens Cleri et Faederatorum clementia, qua concordiae studio capitalibus eorum criminibus conniverunt.

(660) "Affirmant Illustrissimum Dominum Nuncium paucorum hominum ita privatos fines studentium, etc. Hic taxant Illustrissimum D. Nuncium, nos, imo Suam Sanctitatem quod talem Nuncium misit qualem illi pro maligno ipsorum ingenio describunt mordentes innocentem Davidem instar

sclerati Semei et quae a nobis sincere gesta sunt, ad depravatum actionum suarum trutinam perpendentes. Icterici omnibus, qui suae ipsorum seditioni obviant, censuram inurunt: *iis (inquiunt) insistere consiliis ex quibus evidens hujus Nationis excidium sequeretur, etc.* Haec eadem pars maligna horum nuper ipsissimorum delictorum postulata et in carcerem conjecta fuit. Qui si capite luissent, jam Ibernia *ab excidio libera* esset. Quorsum eos Illustrissimum D. Nuncium quasi a piis Suae Sanctitatis votis deflexisset, incusasse arbitraris? Certe (sicut suo edicto profitentur) quod Praelatorum decretum, quo induciarum iniquitas palam fiebat, locis publicis affgendum curasset, ostendens Clerum in eas minime gentium consensisse, sicut illi innocentibus pro consuetis machinationibus fucum facturi falso in vulgus sparserant.

(661) "Dicunt Cleri decretum a paucis Episcopis ita fuisse conditum ut eorum, qui manus apposuerint, non nulli contradixerint. Quod insigne est mendacium, ut eorum qui id excogitarunt, genium spiret. Siquidem quatuordecim Praelati ibi praesentes libere et alacriter subscripserant, et iidem ipsi Praelati una cum Clonfertensi et Dromorensi nostrae delegationi ex animo manus apposuerunt, quibus etiam Elphinensis et Laghliniensis per procuratores opinione suffragati sunt, adeo ut de facto in nostri delegationem octodecim Episcopi libere consenserint, tametsi Cleri Congregatio proprie non fuerit nisi solius Provinciae Momoniae. Itaque hoc eorum edictum ex solis consarcinatum est mendaciis, imposturis, et calumniis, ad quarum confutationem ex jure naturali tenemur, licet ab ea alias pro nostra in concordiam atque inhaerentem nostrae professioni modestiam propensione libenter abstineremus.

(662) "Non permittent ut negotia omnia, cuiuscumque demum sint conditionis, in ordine ad spiritualia, ad ecclesiasticum tribunal devolvantur. O magnum zelum erga Regimen, qui licet sit zelus sine scientia, politicis tamen dogmatibus non caret. Non permittent ut negotia omnia, etc., imo nec ullum quidem si poterunt, cum hanc permissionem non faciant huic induciarum negotio, cuius praecipuus deberet esse scopus religionis praeservatio et propagatio, qui finis est spiritualis, vel ut quid ergo non permittunt ut saltem ad ipsorum tribunal, quod Regnum decreverat ut quandam ex spiritualibus et temporalibus, atque ex Catholicis Praelatis ac laicis mixtionem contineret, agitetur et concludatur. Sed non nulli hujus mixti tribunalis judices laici praecipuos Judices, nempe Dominos

1411

Vide actorum subscriptiones.

1411 spirituales, suos in eodem consessu collegas, | ab omni in his
 v induciis suffragio per fas vel nefas includendi viam excogitarunt, suaque ipsorum authoritate privata conjudicibus dominis spiritualibus manifeste reclamantibus eas concluserunt, quae tamen valide contrahi non poterant, nisi iisdem dominis spiritualibus consentientibus, quorum subscriptiones vel induciarum articulis vel edicto super iisdem lato nunquam obtinere valuerunt. Quod confirmat factam adversus inducias protestationem esse universalem et citra oppositionem, sed conclusionem induciarum esse factiosam et factam cum refragatione. Eadem pars maligna simillimam adhibuerat molitionem inter pacem, quae nuper rejecta fuit, contrahendam, quae omnibus ab eo tempore natis calamitatibus occasionem praebuit. Si hi abortivi statistae S. Petri aetate vixissent, dubio procul eum custodiae mancipassent, sicut Judaei, quod spretis ipsorum mandatis, nomen Jesu praedicasset, manciparunt, vel ipsi renunciassent, cum Ananiā et Saphiram ob sacrilegium puniisset, se non commissuros ut id genus negotia ad ecclesiasticum tribunal devolverentur. Imo si Machabaeorum diebus extitissent, temporalem gladium etsi familiae sacerdotali a Deo ipso concessum eorum manibus eripuissent, et sicut laicus Henrici Octavi Vicarius Generalis praestiterat, spiritualia ac temporalia promiscue tractassent, abjecto metu paenae sibi severe infligendae, instar Oziae, qui delicti longe minoris animadversionem dedit quod se functionibus sacerdotalibus immiscuisse.

(663) "Sicut hujus Reipublicae corpus politicum ex membris spiritualibus et temporalibus compactum est, ita ejus operationes ab ambobus emanare debent, et potissima, in quam collineant, meta est propagatio religionis. Nonne plus nimio

1412 exorbitantem in ullo paucō laicorum numero | arguit praesumptionem, quod hunc spiritualem finem assequi moliantur diverticulis potius impedientibus quam conducentibus ad ejusdem finis assecutionem, idque iisdem Dominis spiritualibus dissentientibus.

^{1 Cor. 12.} Non autem potest oculus dicere manui opera tua non indigeo, aut iterum caput pedibus non estis mihi necessarii. Sicut nos propriam laicis autoritatem nobis non arrogamus, sic optaremus ne laici se nostrae ingerent. Tunc (inquit Canones) bene ordinata est a Deo potestas, ubi spirituali subordinatur gladius temporalis.

(664) "Conquerunt declarationem fuisse affixam postquam

de libero religionis et functionum nostrarum exercitio et de Cleri possessionibus prospexit, et Illustrissimi Domini Nuncii propositionibus abunde satisfecissent, quo armorum cessatio a conscientiae regulis non aberraret. Verum quod non prospexerint, ex ipsis articulis liquet qui non minus, quam rejecta pax, iniqui sunt atque invalidi. Vide articulum 2m quo, cum nullibi nisi hic ea res tractanda esset, de libero religionis exercitio in Insequinnii tractibus neutquam prospicitur, imo ibi facta est exceptio in contrarium, qua etiam (si Insequinno libuerit) in iis duobus Waterfordensi et Kierriensi Comitatibus ipsi ab illis N.N. in haeretici sui exercitus sustentationem concessis libero religionis exercitio aeternum intercludimur. Ibidem etiam ex prima articuli parte pauperes Corcagiae, Yeoghelliae, Kinsaliae, et aliorum in Comitatu Corcagiensi locorum indigenae Catholici prioribus pressuris quoad religionem obnoxii relinquuntur, cum nullatenus ipsis prospectum fuerit. Sed nec Clero de possessionibus et ecclesiis, secus ac in rejecta pace provisum est. In 5^o et 9^o articulo animadverte omnia ab illis duobus Comitatibus in exercitus Catholici sumptus libenter | concessa subsidia esse ab illis sceleratis data vel conversa ad haereticos Insequinnii sustentandos, genuinis proprietariis positive refragantibus. Quae donatio iniquior est illa, quam daemon fecerat Christo cum ei praesentaret omnia regna mundi, quae tamen sua non erant, licet sua esse diceret.

(665) "Confaederati nec naturali, nec divino, nec humano jure ad ullum his N.N. obsequium praestandum tenentur. Quinimo illi, quibus a Regno propugnacula vel praesidia credita sunt, eadem ad eorum mandata tuta conscientia transferre nequeunt: 1^o. Quia illi fidem in se collocatam jam prodiderunt, tradendo Regis hosti partem possessionum, quae ad Catholicos spectant, omnesque tradidissent nisi praeventae fuissent eorum machinationes; qui enim semel malus est semper prae sumitur malus, praesertim relapsus in eadam mala. 2^o. Quia conclusa est haec armorum cessatio consentiente integro Concilio, cuius una cum Cleri consensu esset tractare tanti ponderis negotia. 3^o. Praecipui harum induciarum authores solemniter pronunciati erant in rebus, quae unquam ad religionem et patriam maxime spectarunt, perjuri, adeoque ad talem potestatem inhabiles, quae inabilitas augetur accidente excommunicatione. 4^o. Faederis juramentum obligat ad obsequendum non alicui particulari Concilii parti sed Concilio. 5^o. Sicut tutores de pupillorum bonis in solam eorum utilitatem

1412
v

disponere possunt, sic illis nec ulterius est obtemperandum.
 6°. Quia de facto nullum est nunc (si proprie loquamur) Supremum Concilium, sed adeo dissolutum ut nec opinione nec auctoritate uniantur, cum eorum pars nobiscum sint, et alii, quorum tres sunt infames perjuri cum Regis hoste contra nos consentiant. 7°. Quia cuilibet Faederatorum illi juramenti faederis articuli, qui ad religionis, Regis, et patriae securitatem pertinent, praefereendi sunt cuicunque inferioris ordinis clausulae obliganti ad obsequendum Concilio Supremo, praesertim cum Concilii mandata in eorum vergant ruinam, in quorum juraveramus defensionem. 8°. Ubi superior
 1413 potestas, nempe spiritualis, aliquid inferiori, nempe temporali, contrarium praecipit, tunc rejectis inferioris potestatis praescriptis superioris mandata sunt exequenda, quoties nullum est perjurii aut inobedientiae periculum, quia *accidente potestate superioris cessat potestas inferioris*, velut si Deus unum et homo praecipiet alterum, quisquis Divinum observaverit mandatum et humanum contempserit, non erit refractarius homini, cuius praeceptum hoc casu nullam vim habet. Hic verus est casus nostri Cleri, qui adeo est potestas spiritualis et laici temporalis ut Praelatorum ex corpore Concilii cum illis subscribat nemo. Quare si laici isti Confaederatos laesae Majestatis reos declarent, et eorum bona fisco addicant, spernendi sunt; imo si secus eorum crudelitas retundi nequeat, ipsis vi et armis obviandum est, quia vim vi repellere licet.

(666) “ Hi instrumento ultimo Maii dato, et Kilcolganiae 4 Junii nobis exhibito, a justa nostra sententia et excommunicatione 27 Maii in se et adhaerentes fulminata ad Suam Sanctitatem appellarunt, quasi sic ab excommunicationis affectibus se defensuri, quam appellationem ostentationis causa in non nullis Kilkenniae ecclesiis, quo Faederatis fucum facerent, promulgandam curarunt. Verum excommunicatione per dictam frivolam et ludicram appellationem nullatenus liberantur, ut ex nostris Apostolis perspicue patet, adeo ut appellatio ad effectum non suspensivum sed devolutivum tantum valeat.

(667) “ Maligna pars hosti opem fert, quo vires iterum cogat, et in Confaederatos tyrannidem exerceat. Ea est illarum induciarum malignitas ut Rex non meliores habere queat amicos quam suos hostes juratos, nec peiores hostes quam ejus amicos. Attamen vae illis qui dicunt bonum malum et malum bonum. Illorum exercitus in hostem non movebit, sed semper paupertatem et imbecillitatem causantur, cum tamen in suos viribus valeant,

et animi magnitudine | exercitus Ultoniensis anno superiore 1413
 Lageniam praeservavit ab iis qui de Prestoni, cum se totam
 illam Provinciam ab hoste vindicaturam pollicitus esset, viribus
 triumphaverant. Alexander Mac-Donell, Eques auratus, cum
 Taaffi copiis hostilem in Momonia exercitum media ex parte
 profligavit. Praefectus generalis O Nellus ad Kilkenniam
 coegit hostem insultantem receptui canere cum infamia.
 Eorum remuneratio est quod coalescatur hostibus in
 horum innocentium excidium. *Qui retribuebant mala pro
 bonis detrahebant mihi, quia sequebar bonitatem.*

Emerus Clogherensis. Fr. Boetius Rossensis.

Fr. Antonius Episcopus Clonmacnosiensis.

Fr. Arturus Dunensis."

Athloniae,

12 Junii 1648.

(668) Robertus Barrius, tunc dierum episcopus Corcagiensis et Cluanensis, ante hanc constitutionem se more consueto in actis et subscriptionibus publicis appellabat episcopum Corcagiensem et Cluanensem, exinde vero Cluanensem et Corcagiensem; quam mutationem observavi iis diebus introductam, quibus Clerus Kilkenniae in suis adversus armorum cessationem objectionibus expostulavit cum Concilio de sex ministris haereticis ab Insequinno post inchoatum induciarum tractatum in ecclesiae Cathedralis Cluanensis possessionem intrusis, quo Corcagiensem ejusque Clerum diaecesanum pendentibus induciis, deindeque, lauto illo patrimonio ecclesiastico excuteret titulo aliquo colorato, quem violentia liquidum faceret. Ex quo tempore Corcagiensem conjecto eo invertisse jam dictum subscriptionis ordinem per prudentiam, ut se titulum Cluanensem ejusque emolumenta pluris facere ostenderet, proindeque illatam sibi injuriam magis efferret, dum non accessorio sed principali privandus videretur. Quam ejus in subscribendo mutationem tollenda confusionis causa semel | hic insinuandum duxi. Porro in praefatae vindicationis, qua Concilii edictum refutatum vidimus, titulo habetur factam per Cluanensem et tres alios Praelatos ibi memoratos, cum tamen non Cluanensis, sed 4m ejus locum occupans Cluanmacnosiensis cum iisdem tribus subscriptabat, nec hunc sed illum sub Corcagiensis notione cum aliis Praelatis ibidem memoratis Concilium suo edicto jam dicto petierit. Sed forsan scriptoris erratum fuerit. Quinimo ex Ossoriensis et theologorum Kilkeniensium libello Anglicano in Concilii favorem hac aestate 1414

excuso colligendum videtur illam Cleri vindicationem tunc fuisse vulgi manibus tritam, nemine Praelatorum subscribente et nullo authorem profitente. Nam illi vindicationem illam refutantes eodem plane modo se gerunt ac si author esset anonymous. Quem proprio nomine non indigitant, sed seditiosum, passionatum, et obscurum appellant libellistam. Quae tamen ratio (fateor) non omnino premit, cum dici queat Episcoporum (sive tunc illis vindiciis subscriperint, sive secus) nomine vindicationem fuisse publicatam, sed Ossoriensem et jam dictos theologos non dubitasse quin ab alio (quod verum est) contexta fuerit, et eum tacito nomine quam Praelatos incessere maluisse. Et haec conjectura eo magis roboratur quod vindicatio perinde concepta sit ac si in ea Praelati se defendantes ac per se loquentes introducerentur.

(669) Haud ignoro Nuncium et Praelatos ei assistentes judicasse suae causae haud mediocriter profuturum ut D. Walterum Enos, S. Theologiae Doctorem, qui ad exeuntem annum 1646 duobus libris Anglicanis in lucem editis et demonstrata iisdem pacis Ormoniae tunc proscriptae iniquitate ejus contrahendae authores fautoresque vehementer exagitaverat, ad se hoc anno accirent, quia virum doctum, causae Catholicae studio flagrantem, adeoque imprimis idoneum | qui inter spinosissimam hanc induciarum et censurarum controversiam diutius protrahendam Congregationi esset a secretis, praesertim cum linguae Anglicae, qua complura acta publica condenda essent, foret callentissimus, quam illorum Praelatorum non nulli ita ignorabant ut ea nec verbo nec scripto sensa exponerent, et perinde atque ille omnium callebat nemo. Itaque litteris 15 et 19 Maii ab Episcopo Clogherensi Nuncii nomine et 26 ejusdem mensis a Massario ad eum Kilkennia exaratis, ac demum communi epistola 28 Maii a Nuncio cum Praelatis, qui censuris pridie subscriperant, ad ipsum data advocatus, *relictis omnibus secutus est eum*, adeo ut Praelatis et Eugenio O Nello ad praefatam vindicationem Anglice componendam, nec non ad Eugenii ejusque exercitus declarationem 11 Junii adeundam, ac denique ad alia acta Anglice componenda manum accommodasse legam. Quare parum dubito quin ipsum Ossoriensis et theologi Kilkennienses loco jam dicto velut praefatae vindicationis authorem praedictis epithetis aculeatis tacito nomine impetierint jam prope implacabili totius factionis Ormoniae odio obnoxium. Sed ad ipsam vindicationis substantiam transeo, qua edicta a Concilio editi atque per illam refu-

tati authores dicuntur fuisse Concilii Supremi *pars maligna, infamis et perjura*, nempe (ut ibidem habetur) Lucas Dillonus, Eques, Richardus Bellingus, et Geraldus Fenellus. Quorum aliorumque stigmatum illis hic inustorum fundamentum fuisse video lata in pacem Ormonicam ejusque autores fautoresque anno 1646 Cleri decreta, ac praesertim illud, quo 12 Augusti 1646 declarati erant perjuri, quotquot eandem pacem amplectentur. Praefatos ergo tres velut ejusdem pacis cum aliis authores atque eapropter magistratu abdicatos atque in carcerem conjectos ea vindicatio dictis maculis notat. Ossoriensis autem et theologi Kilkennienses suo libello respondent illam deinde controversiam anno 1647 a Comitiis Generalibus fuisse agitamat, et Comitia 2 Februarii declarasse ejusdem pacis authores, adeoque tres jam dictos juxta spem in se repositam in eo negotio fideliter et sincere se gessisse, et debitam atque acceptabilem Comitiis reddidisse provinciae administratae rationem. Denique praefatos tres postea in aliis Regni Comitiis fuisse cooptatos in Supremos Consiliarios tanquam illo crimine purgatos, et dignos qui eodem munere iterum fungerentur. Quod non ita verum est quin ipsissimo Comitiorum acto 2 Februarii anno 1647 condito pax illa Ormonica proscripta fuerit, tanquam quae conditionibus faederis juramento praescriptis non respondisset nec fecisset satis. Quomodo autem, vel an hoc stet cum authorum ejusdem pacis purgatione nodus est quem suo loco tractavimus? Ad id autem quod in vindicatione habetur, nempe ex duodecim Supremis Consiliariis partem excommunicationis metu percussam recessisse, et eapropter reliquis periisse ulterius decernendi potestatem, respondent loco jam dicto Ossoriensis et theologi Kilkennienses ultima Regni Comitia Generalia decrevisse ut aliquibus ex duodenario Consiliariorum numero obfuturis alii ex iis, qui tunc ipsum in eam metam designati essent, substituerentur, proindeque hac conditione post praefatorum secessionem impleta Concilium Supremum substituisse. De quo controversiae capite alibi dixi et hic non repeto. Et haec quidem eorum summa est, quae Concilii patroni jam dicti ad illam Praelatorum vindicationem responderunt. In quos atque in ipsum Concilium et induciantes omnes ut D. Walterus Enos calamo insiliret, atque induciarum iniquitatem opere in lucem edendo demonstraret, factam ipsi fuisse invenio potestatem his verbis: |

(670) " Nos, Joannes Baptista Rinuccini, Archiepiscopus et Princeps Firmanus, et Apostolicae Sedis Nuncius in Regno v Iberniae extraordinarius, et delegati Congregationis Ecclesias- (bis)

ticae circumspectioni, prudentiae, et doctrinae eximii D. Walteri Enos, S. Theologiae Doctoris, plurimum confidentes experimentoque comprobantes, eidem Waltero Enos per praesens nostrum decretum potestatem facimus pariterque mandamus ut quemadmodum de mandato nostro invaliditatem et injustitiam rejectae pacis luculenter olim ostenderit, ita modo invaliditatem et injustitiam cessationis initiae cum Barone de Insequin per malignam partem Supremi Concilii (reluctantibus saniore parte ejusdem Concilii totaque Congregatione Ecclesiastica) quoque ostendat, adeoque propositis Cleri fundamentis cur eandem cessationem periculosam plane et iniquam declaraverit, ejusdem Cleri rectitudo et justitia rejiciendo talem cessationem orbi innotescat, simulque ineptitudo appellationis ab excommunicationis sententia interpositae ab eadem maligna parte manifestetur.

Datum Atloniae 10 die Junii 1648.

Joannes Baptista Rinuccini Archiepiscopus Firmanus,
Nuncius Apostolicus. Emerus Clogherensis Episcopus.
Walterus Clonfertensis Episcopus. Fr. Arthurus
Dunensis et Conerensis Episcopus. Fr. Antonius Clon-
macnoisiensis Episcopus. Fr. Boetius Rossensis Episcopus.
Robertus Corcagiensis et Cluanensis Episcopus."

(671) Hoc actum inserendum duxi, ut ostenderem, Nuncio
1415 et Praelatis ipsi assistantibus ac juxta decretum | 2° Maii
latum ad prosequendam induciarum controversiam delegatis
statutum fuisse tunc libro typis mandando totam hujus con-
testationis seriem mundo palam facere. Verum occurrit
Concilium, a quo id peractum ut Nuncius et Congregatio charac-
teres typographicos Kilkenniae apud Patres Jesuitas depositos
obtinere nequierint, continuoque ne minimum quidem
actum publicum prelo supponere valuerint in maximum
eorum causae praejudicium. Hac Concilii malignitate D.
Walterus Enos manus habuit ligatas, qui secus in adversarios
calamum acuisset, eosque excoriasset vivos. Porro Nuncius
Reg: p. 617 non nisi Atloniae aliquot dies commoratus, prima Cardinali
Panzirolo circa censuras a se vibratas nuncia indidem notis
arcanis Italice Romam direxit, quae hic sequuntur:

(672) "Hoc Concilium traditum in reprobum sensum con-
clusit demum armorum cessationem cum Insequinniae Barone
conditionibus multo pejoribus illis quae subscriptae fuerant
quando eam Clerus reprobavit. Eodem etiam tempore movit
Prestonus cum tribus peditum millibus, sibique decretum esse

judicavit coalescere Insequinnio et Taaffo in D. Eugenii praejudicium. Quare publicavi ego severam excommunicationem, et prima opportunitate transmittam omnes scripturas necessarias ac particulariter rationes, ob quas demum apud me statui in hanc potius ire sententiam quam non occurere. Infernus totis viribus causam promovet suam. Non nulli Episcopi et multi Regulares palam adversus me in arenam prodierunt, et primi fuere Jesuitae, allegantes censuras, velut ob res temporales latas, esse nullas, et interposita a Concilio appellatione suspensas, quamvis a me non admissa quoad effectum suspensivum. Nec desunt qui dicant eas esse leges Anglicanas, ut mihi exercendae jurisdictionis authoritas non suppetat. Quod in me a Concilio patratum est, quatenus me indusio tenus denudarent, reque numaria et omnibus ad me directis atque autoritate spoliarent, separatam, quam ¹⁴¹⁵ faciam, postulat relationem. Eo redactus sum, ut nondum ^v sciam ubi pedem figam. Decanus Kilkenniae se tenet, nec ad me accedere potest; paeceperunt tamen ut abiret. In summa nihil ecclesiasticus pati potest quod non tolero. D. Eugenius florentem dicit exercitum, paratus defendere Ecclesiam. Si Deus ipsi bonum praebuerit successum, haec forsan occasio conduceat ad radicandam fidem et Romanam jurisdictionem, unaque ad perversa adversariorum germina evelienda, qui (sicut suo tempore Eminentiae Vestrae ex harum induciarum articulis constabit) Regnum Parlamento Praesbyteriano tradere volebant et huic fini Regis obsequium praetendebant. Faxit Deus benedictus ut (quod fore spero) confundantur. Athloniae 13 Junii 1648." Haec ibi.

(673) Secunda et tertia post scriptam hanc schedulam die Nuncius fidem hic datam liberavit, transmissis indidem ad eundem Cardinalem duabus scripturis, quas, unam post alteram, subdam; ac primo quidem primam hic legas:

*"Rationes, ob quas Nuncius aequum duxit procedere
ad Excommunicationem."*

(674) "1^o. Ob iniuriam articulorum treugae, quae (sicut in scriptura particulari et separata ostenditur) contracta fuit citra ullam necessitatem cum perfido haeretico in maximum et evidens Catholicae religionis discrimen, quo casu cum locum haberet peccatum mortale locum etiam habere debebat excom- Reg: p. 619.

municatio, cum nullum praeter hoc quo tanto damno obviaretur aliud appareret remedium.

(675) " 2°. Cum ea, quae a Clero ad proscribendam, etiam censuris, | pacem Ormonicam gesta essent, approbata sint, judicatum fuit pari modo probatum iri, quod jam idem medium adhiberetur, cum ex sequentibus cognitionibus liquidissime appareat has inducias ex illa pace nasci, et pactas esse, ut illa reviviscat. Cujus rei prima indicia P. Harteganus Burdegalia significavit anno superiori, affirmans se de eadem re monitum fuisse ex urbe Parisiensi, sicut scripsi Eminentiae Vestrae 11 Junii 1647. Fitz-Mauritius, Tribunus, quatuor mensibus jam elapsis ex Gallia reversus aperte dixit Ormonium et Insequinnum simulaturos se pro Rege facere, et sub hac larva cum Catholicis societatem coituros; Ormonium quoque non prius redditurum quam Barrium, Chiliarchum, huc praemitteret, quo hanc conventionem procuraret, sicut postea successit, conclusis ejus opera induciis cum saepius ivisset et rediisset inter Catholicos et Insequinnum. D. Nuncius Galliarum mihi scribit Ormonium sese in omnes facies vertere, ut huc in Proregem redeat. Denique cum Concilium hanc Clero suspicionem subisse non ignoraret, in ejus satisfactionem proposuit quandam declarationem, qua protestatur se id non studere, ut dictam pacem iterato stabiliat, nisi tamen proxima Comitia resumendam praeciperent, ex qua caudula manifeste colligitur ab ipsis esse iterato stabiendum. Cum enim Comitorum pro libitu convocandorum habeant potestatem, et omnes (sicut in ultimis Comitiis innotuit) Provinciarum deputatos ad suum ipsorum votum disposuerint, continuo sequitur penes ipsos esse ut pacem pro suo nutu resumant. Legenti etiam articulos perspicuum est omnes hanc sibi metam destinare, ut sileam infinita alia indicia, quae ter significavi. |

1416 v (676) " 3°. Ob sententiam in quam ivisse videbantur conjurati Ormonistae, ut Clerum, Ultonienses et forsan etiam Nuncium, opprimerent. Hujus rei valida se prodiderunt argumenta post ultima Comitia, quando factiosi ostendebant se una die occisuros omnes Ultonienses mox atque se in hibernacula recepissent, videbaturque Concilium ipsis data opera assignasse hiberna tantopere disjuncta, ut mutuam sibi opem ferre nequarent cum in ipsos hunc in modum irrueretur. Postea intercepta fuit Insequinnii epistola, quam ad Eminentiam Vestram misi, qua clare scribit totum Regnum unanimi consensu cupere pacem, adeoque esse necessarium viam eo sternere in oppri-

mendo Nuncio, ejus fautoribus, et D. Eugenio, qui soli eam recusabant. Denique id ipsum constat ex articulo induciis inserto, quo manifeste partes se obligant ad mutuum sibi ferendum auxilium in eorum omnium, qui armorum cessationi refragaturi essent, oppressionem. Qui articulus, cum quindecim diebus post conditum ab Episcopis et significatum decretum contrarium pactus fuerit, luculenter demonstrat Episcopos eodem fuisse compraehensos. Quare necessarium erat, ut vidente Nuncio persecutionem paterentur, deprimarentur, et forsan in exilium mandarentur ita coram se ut nullum remedii genus adhibere valeret.

(677) " 4°. Id ipsum de D. Eugenio ejusque exercitu dicitur, qui cum semper Ecclesiae faverit, non derelinquendus erat sub gladiis aemulorum, qui constantem suam in ipsum demonstraturi voluntatem, in induciarum acto adversus eum cuderunt processum rebellionis, et nisi saltem excommunicationis antidoto procuratum fuisse ut hic impetus cohiberetur, videtur futurum fuisse ut permitteretur perire innocentem nulla habita ratione | beneficiorum collatorum in Ecclesiam.

(678) " 5°. Ob probabilitatem quae suadebat id efficiendum ut multi audita excommunicationis fulminatione palam ad Ecclesiae partes transirent, sicut de facto usque in hanc qua scribo horam successit, cum venerint ab adversariorum exercitu diversis vicibus ad nostram mille amplius pedites cum ducentis equitibus, nobisque factae sint occultae pollicitationes ab aliis amplius quingentis qui exequendae mentis occasionem expectant praeter insurgentes in Momonia et Conacia, qui alia quinque millia conflant, et in unum corpus coalescere contendunt. Idque totum non obstante quod ex parte Ecclesiae usque ad hoc momentum nullum factum sit hostilitatis actum, imo haec pars se videat depressam sub calore persecutionum et Concilii despicationibus.

(679) " 6°. Prae quarundam nobilissimarum Momoniae familiarum commiseratione, quales sunt O Sullevani et Mac Cartii, qui nunquam ab Ecclesiae partibus non steterunt, et modo juxta induciarum articulos ex industria et vindicta in ipsis hostium faucibus positi sunt, destinatis eorum finibus ad Insequinnii militiam sustentandam. Hi autem omnes haud semel me rogaverant ne se derelinquerem.

(680) " 7°. Unus articulorum evidenter docet Regnum fuisse haereticis referciendum, iisque ita ubique dominaturis ut res in statum redigerentur primo deteriorem. Cum enim induciae,

1417

v

earumque conditiones, omnibus, qui (sicut Insequinnius egerat) se Regi et Parlamento adhaesuros declaraverint, emolumenta et commoda polliceantur, certum est quod | Jonius, Monkus, et forsan Ultoniae Scoti hoc beneficium participaturi mox hujusmodi declarationem ederent. Et ecce omnes sic Provincias sub haereticorum jugo ut amplius Religio Catholica nunquam caput extollere valeret. Quam ob rem utcunque fors tulerit, potius expedire judicavi ut in Regno memoriae prodatur, me ad sistendum hunc impetum omnia expertum fuisse consilia viresque, quam secessisse et egisse tantae miseriae spectatorem, ac demum necessitate compulsum discessisse cum vituperio.

(681) " 8°. Quia jam audiri caeperat, adversarios inter molitiones in meam authoritatem structas divulgasse nullam mihi suppetere excommunicandi jurisdictionem, quia potestatem huic Regno externam, idque nescio quarum vigore legum Anglicarum. Unde periculum erat ne censura non fulminata populus in hac fallacia confirmaretur, et leges Anglicanae, quibus Sedes Apostolica nunquam non intercessit, velut me tacite consentiente inolescerent.

(682) " Hae omnes rationes una consideratae me in hanc arduam animi sententiam impulerunt, speroque Deo Opt. Max. gratam fore qua possessus fui mentem, ejusque exitum ab eximia Suae Sanctitatis clementia pariter approbandum. 15 Junii 1648." Haec ibi.

(683) Altera binarum scripturarum, de quibus locutus sum, postridie hujus diei data hic sequitur:

"Gravamina Nuncio a Concilio Supremo illata tam in autoritate quam aliter."

(684) " Nuncius Concilio postulante curavit numeranda Reg. p. 623. Florentiae et Lutetiae Parisiorum Agentibus Romam missis et 1418 Marchioni Antrimiae quatuor millia et octingenta | scuta, totam pecuniam quam ipse in suum victimum ex Italia expectabat. Et licet habeat Concilii cautiones chirographarias, nihilominus, post factas contra armorum cessationem declarationes, tot dederunt verba et dilationes ut demum appareat eos nunquam ipsi soluturos.

(685) " Cum itum est ad expeditionem Dubliensem Nuncius Concilio et Congregatione, penes quos tunc summa rerum erat, instante cautionem subiit rependendi aliquot pecuniae summas mutuo datas a non nullis civitatibus, quae ad solam

Concilii cautionem eas dare recusabant. Harum summarum una est 3200 scutorum, quae civitati Kilkennensi et altera 1600 scutorum, quae Waterfordiae rependenda sunt. Concilium autem voluit ut hae duae summae a Nuncio exigerentur, licet antea civitatibus praescriptum esset ut suis publicis vectigalibus haec debita detraherent, sicut Episcopus Fernensis et Nicolaus Plunkettus istic fidem facient, qui omnium primi Nuncio persuaserant ut se obligaret, et semper usque in diem qua discesserunt eum reddiderant certum fore ut nihil solveret, quare secundum prudentissimam Suae Sanctitatis directionem dicti legati istic de hac re sunt efficaciter alloquendi.

(686) "Instigarunt Momoniae Provinciam ad postulanda a Nuncio duodecim scutorum millia exercitui Ultoniensi, cum in expeditionem Dublinensem moverat, concessa ex Concilii tunc et Congregationis cautione chirographaria, cui etiam Nuncius velut ejusdem Congregationis caput manum apposuit. Quod in confesso est, non ut ullenatus verum esse queat propterea unum ex subscriptentibus obligari (res enim inaudita est) se ut ex tam 1418 v injustis et absurdis experimentis dignoscatur | quo sint animo Consiliarii.

(687) "Cum Hispani Orator nullo nixus fundamento in prae-dam, quae apud Gallias relicta erat, jus praetenderet, Concilium ab initio ejus rejicit instantias; deinde vero viso quod Nuncius induciis obviaret, adeo hoc negotium fovit ut fregatas sistendas et nautas in fugam vertendos curaverit, multisque expensis occasionem dederit. Quinetiam adhuc causa in gravi versatur periculo, non obstantibus omnibus protestationibus et censurarum comminationibus a Decano factis, asserente etiam naves ad Suam Sanctitatem pertinere.

(688) "Creditur eos quemdam mercatorem Limericensem, qui eo progressus erat ut maximo pretio S. Ursulae fregatam licitatus sit, timore perculisse et minis deteruisse, ut haec etiam pecunia ad Nuncii manus non perveniret.

(689) "Promulgarunt quoddam edictum, quo divulgant Nuncium in jaculanda censura et in prima declaratione fuisse seductum a paucis Episcopis, et ad calcem omnibus suaे jurisdictionis subditis praecipiunt, ne ipsi nec ejus excommunicationibus obsequantur.

(690) "Formarunt quoddam juramentum, idque per totum Regnum mandant, neminem non cogentes jurare prosequi treugam, haud obstante quacumque excommunicatione fulminata vel fulminanda.

(691) " Nullam Religiosis, qui interdictum observant, paenam non comminantur.

(692) " Totum velant protestantes se omnia agere in Regis et Regni obsequium. Quod an verum sit ex mearum litterarum serie colligi poterit, et miserandus Rex in eum est redactus statum ut brevi id sit comperturus. 16 Junii 1648." Haec ibi. |

1419 (693) His adjunxit Nuncius scriptam eidem Cardinali Panzirolo notis arcanis sequentem schedulam:

Reg. p. 625. (694) " Statim ac finem partibus Ormonicis in his induciis propositum et pericula quibus religio exponebatur satis explorata habueram, haesi magnopere perplexus in deliberando utrum mihi Regno abscedendum esset, vel occurrentum modo quam possem optimo? In aliquam Regni partem secedere, et spectatorem me praebere, vel non occurrere, mihi videbatur nimis ignominiosum. Libenter autem primum executus fuisse, sed eam deliberationem postposui, ne Episcoporum bonos et alios ecclesiasticos lupis in praedam derelinquerem. Itaque deum ob rationes, quas seorsim in alia scriptura digessi, secundum praferendum duxi, sicque ad excommunicationem et interdictum processi, rejecta appellatione juxta formam quam Eminentia Vestra in adjunctis hic foliis videbit. Siquae deest formalitas excusatum me habeat, cum totum egerim itinerando sine libris et Doctoribus, et cum paucis Episcopis assistantibus, sed aliorum qui Treugam repudiarunt, auctoritate sufficienter munitis, sicut exemplar, quod mitto demonstrat. Fateor effectus usque modo esse multum varios ob Concilii comminationes et horribiles diligentias. Waterfordia, Duncanania, et Galvia huc usque inducias non acceptarunt. Non nulla loca eas per violentiam admiserunt. Jesuitae fuere primi et principales authores in seminando et defendendo magna cum arrogantia excommunicationem esse invalidam, qui etiam Episcopum Kilkennensem ad non exequendum interdictum induxerunt. Non nulli episcopi, etiam ex illis qui subscripserant, deterriti sunt, et quidam palam adversantur. Alii Regulares majore ex parte obediunt, sed unusquisque loquitur secundum factionem quam sustinet. Decanus bidui | a me distat, et Kilkenniae ipsi praecepit Concilium eorum secretarii opera ut inde discederet. Ille autem respondit se verum esse non crediturum, nisi id sibi scripto afferret. D. Eugenii copiae militares ita augentur, ut magnalia praestare queant, et modo Deus ipsi propitius fuerit, omnibus remedium adhibere. Quo successuro, Regnum in tali consistet

statu ut Sedi Apostolicae nihil agendum sit aliud, quam huic parti ad stabiliendam religionem auxilietur. Verum hac parte succubitura, vel caeptis destituta, et dominaturis factiosis, nullum vel pene nullum expectandum esse remedium. Certum est ad numerum denarium non pertingere rerum omnium perturbatores. Quare non desperandum quin eorum succedere possit extinctio. Si Concilium magnam istuc (sicut creditur) miserit scripturarum farraginem, precor ut altera nobis aurum servetur, cum habituri simus unde replicare valeamus. Interea ne ipse mihi desim, haec pauca significo scripturis principalibus, si tamen liberam his litteris transmittendis potestatem fecerint, cum ad omnes portus invigiletur, et ita sim in Insulae meditullio, ut nesciam quis mihi locus habitandi causa deligidus sit, omnibus partibus aliquo cinctis exercitu parum amico. Quantum patrarint, ut me pene denudarent, omnique artificio, nequid D. Eugenio suppeditare possem, re pecuniaria spoliarent, Eminentia Vestra colliget ex una adjunctarum relationum. Sum ad omnia praeparatus, ubi in memoriam revoco quam ago personam. Atloniae 16 Junii 1648." Haec Nuncius.

(695) Dicam breviter quid circa non nulla his scripturis a Nuncio inserta sentiam. Dicit induciantes Regnum Parlamento Praesbyteriano tradere voluisse. Hujus conjecturae causam fuisse reor, quod induciantes pacem Ormonicam jam proscrip-
 tam | resumere vel aliam sub Ormonio in Proregem revocando 1420 Ecclesiae iniquam cum Rege contrahere velle censerentur, Praesbyterianis in Anglia, Scotia, et Ibernia recens cum Rege, Walliae Principe, et Regina Angliae faedere conjunctis adversum Independentes in Anglia rerum potitos coalituri. Quo factum ut Nuncius prudenter metuerit ne Praesbyteriani antea Regi et Catholicis infensissimi re ipsa intus et coram cordium scrutatore ad bonam frugem in exhibendo Principi obsequio non redierint, sed potius ardentiore in Deum, Ecclesiam, et Principem insurgendi libidine licentiaque stimulati, hoc cum Rege et Regiis faedus percutserint ut Independentes deprimherent, postea ad genium reddituri, et suis ac Independentium viribus monarchiam ac religionem exacturi, quo Calvinismum et anarchiam substituerent. Quare existimabat Nuncius de facto (quo ad even-
 tum malum prudenter metuendum) perinde fuisse Concilio cum Praesbyterianis jam suo stratagemati politico Regium obsequium praetendentibus faedus percutere, ac viam praetoriam illis ad erigendam illam anarchiam et ad Iberniae Regnum occupandum aperire. Hanc autem ultimam Concilio mentem

Sup. chart.
13 Junii.

fuisse nec credo, nec Nuncium credidisse puto, sed judicasse id eventum praeter intentionem ex imprudenti induciantium voluntate pactisque secuturum. Quo sensu (ut semel dicam) video nostros in Ibernia Catholicos Ormonio addictos a quibusdam Nuncii fautoribus non nunquam appellari *Praesbyterianos*, non utique religione sed civili factione et partium studio cum *Praesbyterianis* in Regis obsequium | modo jam dicto consentientes.

1420
v

Chart.
16 Junii.

(696) Praeterea circa id quod superius habet Nuncius, pecuniam scilicet Concilio a se mutuo datam non fuisse repensam, sed etiam idem Concilium instigasse creditores sibi nominatos ad exigendas a se summas, de quibus ibi loquitur, et nullam non excogitasse viam, qua eum ad incitas redigerent, ne haberet unde Eugenio O Nello illius belli civilis fomitem suppeditaret. Ipsissimos testes a Nuncio ibi in suae causae fulcimentum laudatos, nempe Episcopum Fernensem et D. Nicolaum Plunkettum, invenio Romae hac aestate in reddendam subsidiorum cum Massario transmissorum rationem scripto tradidisse Nuncium ante Massarii redditum 30 scutorum millia in Ibernia mutuo accepisse, et mox illi: "E dictis (inquiunt) 30 scutorum millibus restituenda manet per Illustrissimum Rinuccini (prout supra insinuavimus) summa 11100 vel 12000 scutorum. Reliquas summás exonerarunt ipsi Confaederati." Sic illi. Porro Nuncius loco superius memorato non se pecuniam illam rependisse, sed Concilio instigante creditores illam a se postulasse dicit, nec mihi occurrit eum totam pecuniam illam, quam creditores chirographarii ab ipso postularant, numerasse. Quinimo antequam Kilkennia discederet, velut futurae hujus tempestatis praescius operam dedit ut pecunia Pontificia clanculum | in tuto collocaretur, sicut 3º Maii Cardinali Panzirolo indidem significaverat. Praeterea inter accusationum capita adversus Nuncium ab ejus adversariis postea contexta objicitur inter alia eum magnas pecuniae summas ab indigenis mutuo accepisse sed non rependisse, quod de solis summis (excepta pecunia a PP. Jesuitis mutuo accepta, de quo inferius agitur) ab ipso superius tactis, quas ob rationes ibi allegatas se debuisse negat, intelligendum esse vix dubito. Ex quo colligendum est fuisse quidem rogatum ut illas summas persolveret, sed non omnes solvisse. Caeterum in accepti et expensi tabulis notat summas, quas non tam numeravit quam adversarii titulis (credo) jam dictis sibi vel invito extorserant, nempe 4800 libras Turonenses, quas Serlocus, mercator; mille libras, quas Prestonus,

1421

Reg. p. 606.

Tribunus, Praefecti generalis filius; totidem, quas Robertus Walsaeus; mille ducentas et quadraginta, quas Jacobus Talbotius, Walterus Wals, et Jacobus Goughus; mille et quingentas, quas Richardus Bellingus, tunc supremus Consiliarius, ipsi debebant, praeter 5400 libras *ex majore summa Concilio Supremo ab ipso credita reliquas*, quam cum ibi Nuncius secus non explicet, crediderim fuisse pecunias, quas Concilio in Marchionis Antrimiae atque Oratorum Romam missorum viaticum se mutuo dedit superius dixerat. Alias enim et hanc summam inter gravamina a Concilio perpensa ibidem non reticuisset. Ex quo colligo Concilium ejusdem summae in Oratorum sumptus erogatae solum 5400 libras Turonenses non refudisse. Denique observandum est Nuncium inter praefatas fulminatarum a se censurarum rationes recentis tunc memoriae scriptas non allegare alias a se postea, praesertim in Relatione | Innocentio X^o post suum regressum Romae porrecta recensitas, nempe se etiam in sui defensionem, et quo personam suam et pecuniam Pontificiam in tuto poneret, fuisse compulsum ad censuras fulminandas, quod addendum duxi, sed monens ut modo alibi superius explicato intelligatur.

(697) Jam restat ut videamus quam Clerus populisque censuris morem gesserint, ac primo quidem a Momoniae Provincia, ad quam induciae peculiariter spectarent, exordiamur. Cujus Metropolitanum Archiepiscopum Cassiliensem die 29 Maii, quo censurae valvis Kilkenniensibus affixa sunt, Waterfordiae se tenuisse invenio delegatum ad expediendam controversiam, quam, ejusque exitum, ab oblivionis injuria vindicandum duxi hac ipsius epistola indidem ad Nuncium eodem die data:

“ Illustrissime ac Reverendissime Domine.

(698) “ Rationem redbo delegationis mihi factae, circa sigillum commune Cathedralis ecclesiae Waterfordiae nec non profanationem ecclesiae parochialis S. Petri et assignationem ejusdem Patribus Societatis Jesu. De sigillo statui illud in arca sub tribus clavibus custodiri, quarum una sit penes R.D. Episcopum, aut quem voluerit nominare de Capitulo, altera penes Decanum, tertia penes Cancellarium, a quo et non ab alio ullo sigillum est expediendis per Capitulum instrumentis affigendum. Negotium ecclesiae S. Petri peractum est invito Reverendissimo Episcopo et Clero, quos divisos et conjunctos allocutus fui, at incassum, quia nullis rationibus aut precibus potui ipsos attrahere, ut sponte concederent dictam ecclesiam aut situm

1422

Patribus. Ego ea, qua fultus fui, authoritate fretus, jussi ecclesiam profanari et profanatum situm Patribus consignavi, | ingenti populi laetitia, qui praemissis interfuerent. Restat modo Illustrissimam ac Reverendissimam D. Vestram transferre titulum Archidiaconatus in aliam ecclesiam seu potius in capellam aliquam ipsius Cathedralis ecclesiae. Deus Opt. Max. utilitati suae Ecclesiae Illustrissimam ac Reverendissimam Dominationem vestram diu servet in columem. Waterfordia 29 Maii 1648.

Illustrissimae ac Reverendissimae Dominationis Vestrae
Semper addictissimus
Thomas, Archiepiscopus Cassiliensis."

(699) Opportuna fuit PP. Jesuitis haec delegationis executio. Nam si vel in pauculos dies dilata fuisset, Nuncius a cuius nutreres penderet, eam dubio procul suspendisset, quod PP. Jesuitis plerumque a Concilio in se ipsum stantibus (ut vidimus) ad ineuntem Junium caepit succensere. Porro Cassiliensem censuras in sua diaecesi executioni mandasse non reperio, civitatem enim et ecclesiam metropolitanam Cassiliensem autumno superiore a crudelissimis Insequinnii copiis captam, direptam, dirutam, et sacro Cleri populique Catholico sanguine cruentam fuisse suo loco tradidimus. Concilium etiam ita in futurum circa totam Momonię providerat ut nobilissimos et veteranos duces hactenus bello Catholico assuetos, qui in ea Provincia Nuncio studerent, quique secus censuras libentissime propugnassent, hoc anno exautorarit, sicut etiam ex propositionibus 13 Maii a Nuncio ad Concilium missis et ex Concilii ad easdem responsis 23 Maii scriptis colligere est. Praeterea Concilio connivente, Insequinnius hoc anno ante contractas | inducias ita in multa Faederatorum Momoniensium, praesertim eorum, qui a Cleri partibus starent, castella invaserat, ut, jam inermes, et pene subacti, non nisi in vitae et superstitione bonorum jacaturam atque incassum censuras admittere recusarent, Taaffo etiam, tunc copiarum Momoniensium Ormonistis delectis refertarum Praefecto Generali, et Concilio Supremo, ejusque toto Regno fautoribus, nedum Insequinnianis, in id ipsum conspirantibus. Quibus etiam Prestoni exercitus Lageniensis operatus in Momonię processerat, ubi primis illis post fulminatas censuras diebus, quibus de induciis per censuras et censuris per inducias repudiandis agitari caepit, castrametatus est, nec

1422

v

inde post paucos dies in Eugenium O Nellum movit, nisi viso quod Concilium, Taaffus, et Insequinnius, eorumque bini exercitus ad inermes et tot Insequinnii praesidiis castellatim variegatos Cleri in Momonia fautores coercendos superfluerent. Huc spectat sequens Taaffi non tam epistola quam edictum Clonmelliae in Momonia ejusdem urbis Praetori Anglice missum.

" Per D. Vicecomitem Taaffum Momoniae Praefectum Generalem.

(700) " Cum ad me relatum sit diversos e Clero criminari eos ex ductis bona mente Clonmelliae communibus, qui nuperum juramentum a Supremo Concilio cusum suscepserant, quod ex seducendi populi desiderio atque expectatione potius quam ex ulla justa ratione | procedit, cum praefatum juramentum nihil contineat quod juramento faederis et subditorum obsequio fideique non consonet. Hinc est quod te rogo atque requiro, ut si quis laicorum hujus urbis praefatum juramentum suspicere noluerit, prehendatur, in carcerem conjiciatur, ejusque nomen ad Concilium, quo ad eum vel eos ulterius puniendos procedant, deferatur, parique modo ut eorum ex Clero, qui dictum juramentum iniquum esse affirmaverint, syllabum ad Concilium transmittas. Ut autem iis, qui tenerae conscientiae stimulis lancingantur, fiat satis, palam facio mihi a viro fide digno significatum esse procuratorem, qui cum appellatione ad Nuncium allegatus erat, rediisse, totius controversiae decisione ad Papam devoluta, idque semestri spatio in eum finem praestituto, quod antea civibus indicavi. Expectatur ut abjecta cunctatione haec mandata absolvias, et ad ea, quae circa negotium istud gesseris, haec tibi sufficiet authoritas. Datum Clonmelliae 11 Junii 1648.

Taaffus."

(701) Ex epistola, velut ex ungue leonem, ut et ex aliis mox producendis colligimus Taaffi Conciliique industriam ac diligentiam fuisse strenuam ad inducias in Momonia propugnandas, et censuras respuendas, quo utique juramentum illud Concilii jussu susceptum spectabat. Quare atque ob alias rationes superius tactas mirum non est quod Cassiliensis in ea Clonmelliae vicinia censuris exequendis supersederit. Eademque ratio in omnibus | prope aliis Momoniae Praelatis locum habet. Ex quibus Waterfordiensis bona civitate sua et meliore causae

1423
v

Catholicae zelo vallatus quid egerit, ex hac Concilii epistola ad eum Anglice scripta conjectes:

“ Optime Domine Noster.

(702) “ Hodie ad nos relato Dominationem vestram Illustrissimam (non obstante appellatione interposita adversus injustissimam et nullo fundamento nixam comminatoryam excommunicationem atque interdictum ab Illustrissimo D. Nuncio et quatuor Episcopis in eos, qui armorum cessationi cum D. Barone Insequinniae autoritate nostra conclusae adhaerent, fulminatum) ecclesiae janus occludendas curasse, et populo denegasse consolationem illius sacrificii, quod bello septenni et sanguinis ac substantiae profusione stabilierant in istis sacris locis, quae ipsorum majores aedificaverant et ipsi asseruerant ab illis prophanis manibus, penes quas a centum et viginti annis polluta remanserant. Admiramus Illustrissimam Dominationem vestram voluisse tam facile suum gregem spirituali intercludere alimento, vel tam cito oblivisci zelum, quo persecutionis temporibus tibi astiterant. Reverendum et doctum Episcopum Ossoriensem sui diaecesani haud magis sibi demeruerant, quam civitas Waterfordiensis Illustrissimam Dominationem vestram suo sibi merito devinxerat, cum tum venerabilis ille senex haud adeo charitate vacet, ut eos quibus praeest, adeundi ad ecclesias beneficio intercludat. Hoc autem

1424 in Illustrissimae | Dominationis vestrae casu admirationem parit eo majorem, quod una cum Illustrissimo D. Archiepiscopo Cassiliensi ad hunc consessum invitatus, ubi omnes hujus causae anfractus tibi patefacti essent, visus sis decessisse contentus, et respondisse, nostram appellationem devolvisse causam, et censuram atque interdictum suspendisse. Quorsum tibi non constas, nos latet nisi empta est tua voluntas ad secundandam Praefecti Generalis O Nelli ambitionem a Nuncio adjutam, persuadere Episcopo Clogherensi, ad nihil non tentandum quo Regnum distrahatur, et Faederatorum Catholicorum conscientias ac libertates inflammando, gubernium arbitrarium introducatur. Optamus ut Illustrissima Dominatio vestra tam violentis processibus desistat, et populo, sicut anterius, ad istas ecclesias, quae pollutae erant donec suo eos cruento abluisserent, accedere permittat. Sin autem, non possumus quin nostro juramento et in Regnum fidei satisfacturi, tua bona temporalia publicemus, et juxta leges in quas juraveramus, sicut temporibus maxime Catholicis observabantur, procedamus. Ad haec promptum

Illustrissimae D. Vestrae responsum expectamus, et sic finem facimus.

Ex Kilkenniae Castro

12 Junii 1648.

Illustrissimae Dominationis vestrae.

Amici benevolentissimi

Athunrius. Lucas Dillonus. Rob. Lynchaeus. Richardus Bellingus. Geraldus Fenellus. Joannes Walshaeus. Patricius Brianus."

(703) Ad hanc epistolam Episcopus Waterfordiensis Anglice dedit hoc responsum. |

" Illustrissimi Domini.

1424

v

" Litteras vestras 12 hujus mensis datas recepi, quibus quod in hac civitate interdictum et Cessationem a divinis observem, me coarguitis et rogatis ut desistam, affirmantes fore ut secus mea bona fisco addicatis. Illustrissimae Dominationes vestrae intelligere dignemini, me, receptis Illustrissimi Domini Nuncii Censuris et Apostolis, doctissimos e saeculari et Regulari hujus civitatis Clero congregasse, et post maturam ac seriam considerationem nos, nemine discrepante, judicasse teneri ex conscientiae legibus et sub paena incurrendi graves censuras ad observandum interdictum et Cessationem a divinis, et sic ex conscientiae teneritudine ac mera obedientia processimus, nec sane ex ulla animi propensione astipulandi cuiquam, qui Regnum distrahere vel regimen arbitrarium introducere vellet, quod a nostris cogitationibus longe alienum est. Cum autem ad Concilii concessum non nullus super appellatione sermo fieret, fateor me tunc per modum discursus et quantum mei memoria mihi non defuit, dixisse, quod censura suspenditur per interpositam legitimam appellationem. Quod autem ad Illustrissimi D. Episcopi Ossoriensis exemplum attinet, id pro suo momento sufficienter consideravimus, sicut etiam quanti facienda sint aliorum Praelatorum exempla, qui non inferiore pollent doctrina et charitate. Et licet credam me esse valde memorem nominum, quibus huic civitati, quantum ad ejusdem et pastorem et indigenam pertinet, devincior; nihilominus nullius alterius | obligationis extensio multum objiciatur. Quod autem ad confiscanda mea bona temporalia attinet, doleo hostem in occupanda parte eorum potissima vos praevenisse et reliqua in majorem partem a nobilibus detineri, sicut Illustrissimis DD. vestris in libro, quo diaecesis meae bona ecclesiastica censemur, declaraveram. Sed licet per fas vel nefas ob actum merae

1425

obedientiae erga sanctae Ecclesiae sanctiones, omnibus, quae mihi mundus suppeditare potest, spoliarer, nihilominus iuges fundam preces quatenus Confaederatos hujus Regni Catholicos faeliciter et prospere gubernetis, quae ardentissimo vovet desiderio

Waterfordiae, 14 Junii 1648.

Illustrissimarum DD. Vestrarum studiosissimus

Patricius Waterfordiensis et Lismorensis."

" Postquam haec scripseram, mihi relatum est Praetorem id effecisse ut vestra epistola communibus in aula forensi publice legeretur, qua mente et quorum jussu ipse melius noverit." Haec ibi.

(704) Hoc ipso die, quo Waterfordiensis generosam hanc ad Concilii litteras responcionem fecit, utriusque epistolae apographa Anglicana Nuncio transmisit eidemque una his verbis scripsit:

" Illustrissime et Reverendissime Domine.

(705) " Ut innotescat quot modis et minis deterreor ab obedientia quam decretis vestris exhibere teneor, dignum duxi copiam cuiusdam epistolae a me missae a Supremo Concilio et copiam responsi mei ad eandem epistolam hic includere. Vix dici potest quantum noceant causae religionis quorundam ecclesiasticorum adversae opiniones et irreligiosi conatus. Jam enim spiritus | contradictionis ex Erebo erupit et altare contra altare statuere conatur. Multum etiam minuit obedientiam debitam mandatis Congregationis quod censurae latae et Apostoli refutatorii publicentur tantum in aliquibus diaecesisibus, in aliis vero minime. Et licet hic simus in confiniis inimicorum, non distulimus tamen publicare censuras, interdictum et cessationem a divinis, eademque observare in omnibus ecclesiis hujus civitatis, licet aliqui Regulares fulti (ut asserunt) suis privilegiis interdictum et Cessationem a divinis in aliquibus casibus suspendere non dubitent. Vix credi potest, in quanto despectu et odio sint ecclesiastici, praesertim Episcopi. Maligni nihil minus quam egestatem et exterminium nobis minantur, cum videant nullum exercitum in hisce partibus, qui causam nostram tueatur. Rogo enixe ut dignetur Illustrissima et Reverendissima sua Dominatio mihi suggerere quomodo me gerere debeam, si forte Supremi Consiliarii vim aliquam mihi facere tentaverint. In meam consolationem humiliter supplico, ut durante hoc interdicto et cessatione a divinis mihi fas sit missas celebrare clam in meo privato oratorio, cum assistentia unius solius

ministri, nec non confiteri approbato confessario. Dum haec scriberem delatum est ad me a fide dignis quod Praetor hujus civitatis epistolam ad me missam a Supremo Concilio fecerit legi in conventu civium in meum quidem despectum, licet aliqui cives aegre tulerint eam sic publice lectam. Sed forte habuit Praetor in mandatis a Supremo Concilio ut publice legeret eam epistolam, et hinc est quod aliqui | maligni cives glorientur quod ego privabor temporalibus meae diaecesis. Sed cum tempora sint iniqua lacrimis nobis et praecibus flectenda est justa Dei ira. Interim tamen bonum est Evangelium cum lapide. In his rerum angustiis ego et Clerus meus quotidianas fundemus praeces ad D^eum Opt. Max. pro incolumentate Illustrissimae et Reverendissimae Dominationis vestrae et pro faelici progressu causae Catholicae. Datum Waterfordiae hac die 14 Junii 1648.

Illustrissimae et Reverendissimae Dominationis Vestrae
Servus addictissimus

Fr. Patricius Waterfordiensis et Lismorensis."

(706) Waterfordia Limericum, alteram celebrem Momoniae civitatem, transeamus. Cujus Episcopus Concilii Supremi albo ascriptus ineunte hac censurarum procella suam in Concilio Supremo sedem deseruit et Limericum se recepit, ubi quid circa censuras actum sit haec sua et saecularis Regularisque Cleri Limericensis epistola ad Nuncium exarata te melius docebit:

" Illustrissime ac Reverendissime Domine.

(707) " Monitorias vestras litteras 1^o Junii accepimus et sub sequente festo, quod in 4m ejusdem mensis incidit, promulgavimus; octava autem a promulgatione die huc appulit Reverendissimus Limericensis, a quo uterque Clerus paulo post convocatus est. Omnibus vero ac singulis visum est ad vestram Illustrissimam Dominationem confugere, ac praesentem rerum conditionem ac pericula, quibus involvimus, | proponere ac manifestare. Sed antequam eo descendimus visum est id praefari. Nos quotquot sumus, Apostolicae Sedi ac vestrae Illustrissimae Dominationi tanquam obedientiae filii nos subjicimus. Pericula autem quae nobis imminent, sunt hujusmodi:

(708) " 1^o. Duobus exercitibus nobis infensis circumcingimur sine ullo prorsus vel praesidio vel defensione.

(709) " 2^o. Vehemens est dissidium inter ipsos saeculares, unde si haec animorum alienatio palam erumpet, eventus erit dubius ac periculo plenus, praesertim in hac civitate, ac in nos culpa transferetur.

1426

v

(710) "3°. Milites ad occasiones anhelant hunc locum devastandi.

(711) "4°. Sunt non nulli qui ita sentiunt, ecclesias nostras hac ansa data in manus adversariorum posse revolvi. Quod si tempa occludantur, in ea tanquam in res derelictas insilient, et quod deterius est, forte non invenientur numero vel animo pares, qui sese opponant murum pro domo Dei. Nam occultae quaedam simultates ac schismata timentur, emergere parata, si occasio sese obtulerit.

(712) "5°. Omnia loca circumquaque adeo sunt ab hostium copiis exhausta et oppressa et praesidiis vacua ut ne in minima quidem re audeant sese opponere.

(713) "6°. Nulla est in hoc Regno civitas, quae talibus angustiis constringitur tum terra tum mari. Unde opponendo nos, locum potius destruimus quam quicquam commodi praestamus.

1427 (714) "7°. Spondemus nos semper fideles futuros. Id | solum deprecamur ut aliquantulum, donec tantorum periculorum aestus deferveat, supersedere ac desistere liceat.

Illustrissimae ac Reverendissimae Dominationis Vestrae Limerici, 15 Junii, 1648. Obsequentissimi filii:

Edmundus Limericensis. Joannes Warren Decanus Limericensis. Fr. Jacobus Woulfe Prior conventus Limericensis Ordinis Praedicatorum. Fr. Thaddaeus Gormanus, Guardianus Franciscanorum Limerici. Fr. Mauritius Lacy, Prior Fratrum Eremitarum. Guillelmus Hurlaeus Societatis Jesu. Fr. Chrisostomus, superior Capucinorum Limerici. Fr. Stephanus Thyraeus C. D. Superior. Def. Prov: "

(715) Praeter communem hanc epistolam Episcopus aliam, suo solius nomine, Nuncio scripsit his verbis:

" Illustrissime et Reverendissime Domine,

" Convocato Clero hujus civitatis deliberavimus unanimi consensu scribere ad Illustrissimam D. V. ut liceret ad aliquod tempus suspendere denunciationem excommunicationis contra acceptantes cessationem armorum cum Barone de Insequin, tum quia ipsemet hodie fuit in hac urbe, ejusque exercitus cum exercitu Domini Generalis Taaffe est ad tria et sex hinc milliaria. Unde certo certius fuit quod nullus obediret nostris ea in re mandatis ob periculum imminens, si non vitae, saltem perdendi |

omnia bona extra civitatem, prout iidem exercitus minantur 1427 v
 omnibus non acceptantibus dictam cessationem, tum quia nullibi
 in hac Provincia publicatae sunt censurae, multo minus denun-
 ciatae, praeter Waterfordiam et hanc civitatem, et videtur valde
 durum omnibus ut non simus conformes ecclesiae metropolitanae
 cum maius immineat nobis hostium periculum, nec subsidium
 expectare humanitus possimus, donec destruamur. Praeceptum
 autem Ecclesiae cum tam gravi damno ex communi Doctorum
 sententia obligare nequit. Deus det nobis concordiam et pacem,
 ac Illustrissimae Dominationi vestrae prosperitatem, ut optat
 Limerici, die 15 Junii, 1648.

Illustrissimae et Reverendissimae Dominationis vestrae
 Servus humillimus

Edmundus Limericensis."

(716) Ad has duas epistolas Limerico scriptas Nuncius respondit.
 Ad primam quidem: "Cum (inquit) principale motivum rejicienda
 cessationis ac censurae publicandae fuerit evidens periculum
 religionis Catholicae si cessatio iniretur, satis vident Domina-
 tiones VV. quem ordinem debeant in hoc negotio servare, nempe
 ut prius animabus consulatur, deinde vero fortunis. Certe
 notorium jam videtur populum Limericensem etiam deficientibus
 minis et periculis exercituum satis per se inclinari ad cessationem
 acceptandam. Quare nisi per Dominationes vestras eo modo,
 quo debent, medela huic ulceri | applicetur, *actum istic fortasse 1428*
erit de nostra sancta religione. Meminerint queso in praeterita
 pacis rejectione a Cleri constantia provenisse indemnitatem
 bonorum atque animarum salutem, et nunc aliquae civitates
 hujus Regni (prout Dominationes vestrae audierunt) ejusdem
 Cleri et pastorum cura Ecclesiae obediunt et facultates conser-
 vant, quemadmodum rogo Deum ut istam civitatem ab imminentibus
 hostibus tueatur ita quod spero Dominationes vestrae,
 procurata civium unione, id praestabunt, quod ecclesiasticos
 viros decet, et antecessorum exempla, qui vitam in similibus
 casibus posthabuerunt, persuadent." Haec ad primam epistolam.
 Ad 2am vero, quam ipse Episcopus solus destinavit: "Quod
 (inquit) status civitatis Limericensis eo redactus sit ut (quemad-
 modum scribit D. *Vesta Illustrissima*) sibi ab exercitibus et a
 discordia civium timeat, *utinam non posset culpa referri in eos*
quos maxime voluissem in hoc negotio cessationis ardentes in
asserenda securitate Catholicae religionis. Attamen quocumque
 tempore et conditione jam simus, spero Dominationem vestram
 Illustrissimam in publicatione censoriarum, quae ad medelam

populi infliguntur, non sibi et munere suo defuturam. Idem Dominis de Clero etiam scribo, quorum constantiam et aliorum locorum exemplo et praeteritae rejectionis pacis imitatione excitare conatus sum. Interim spero tali obedientia mediante civitatem istam declinaturam minas hostium et fortasse quantocuyus eorundem exercituum discessum. Quod meis precibus assidue a Deo impetrare curabo, quem Dominationi vestrae Illustrissimae propitium ex animo precor." Hactenus Nuncius. |

1428 (717) Cum Episcopus Limericensis postea saltem anno 1649 v actis publicis, quibus se ab initio et semper induciarum aequitatem et censorum invaliditatem persuasam habuisse declaraverat, subscripsit, et in eadem sententia usque ad mortem atque in (sicut videbimus) mortis articulo praestiterit, censendum videtur eum tunc a Concilio Limericum, suam civitatem Episcopalem, consulto, ut ibi censuris intercederet, fuisse destinatum, eumque viam illam fraudulenter suavem binis litteris Nuncio scriptis expressam potius quam aperte turbulentam iniisse ut se Censuris fortius objiceret. Quae conjectura eo validior est, quod Concilium deinde (ut ex suis instructionibus 25 Julii 1648 datis et inferius positis liquet) Limericensem ad eandem causam suam Limerici promovendam tanquam sibi fidelissimum et instrumentum valentissimum adhibuerit. Verum Nuncio ejus, Clerique Limericensis, quem censuras ante Limericensis appulsum magno zelo publicasse video, rationes dictis litteris insertas responde, civitas divisa fuit, aliis Concilio cum Episcopo, et aliis Nuncio adhaerentibus, Clero interea interdictum observante, majore ex parte, licet Concilium atque adhaerentes Marte et arte contenderint, ut omnes ab obsequium sibi praestandum allectarent et compellerent.

(718) Post Waterfordiam et Limericum haud ignobile Faederatorum in Momonia emporium fuit Clonmellia, quam licet incommodis superius tactis exposita fuerit, observasse tamen censuras colligendum videtur ex Cleri Clonmelliensis libello supplici 12 Novembris ad Nuncium scripto et inferius in medium producendo.

(719) Praeter tres Praelatos jam dictos, in Momonia tunc erant alii sex Episcopi. Quorum duo, nempe Corcagiensis et Rossensis, adeo a censuris stabant, ut eas cum Nuncio, velut 1429 a Congregatione delegati, fulminarint; eidemque Nuncio tota illa aestate se individuos pene comites praebuerint. Aliorum tres, nempe Joannes O Molonius, Episcopus Laonensis, Richardus O Conaldus, Episcopus Ardfertensis, et Terentius

O Brien, Episcopus Imolacensis, Nuncio et ejus partibus semper adhaerentes, diaecesisibus praerant induciantium violentiae valde expositis quod civitates et oppida bene vallata non continerent; quorum trium duo, nempe Laonensis et Imolacensis, nunquid censuras promulgarint, mihi nusquam occurrit? Ardfertensem autem etsi causae Catholicae et Nuncii fautorumque ejus studiosissimum eas executioni non mandasse probe scio, quod judicasset plus nocituras, cum diaecesim hoc anno Insequinnius praesidiis castellatum muniisset, nec presto esset exercitus, nisi Taaffi et Insequinnii copiae, quibus in votis esset ut ejusmodi censurarum ibi promulgatio tanquam occasio peropportuna se offerret, qua diaecesim illam antea ab ipsis magna ex parte direptam, perennem Catholicismi nidum, funditus diriperent. Superest Andreas Lynchaeus, in Momonia quidem Episcopus Finiborensis, non tamen Momoniensis sed ex Galvia in Conacia oriundus, qui paribus difficultatibus a censuris in sua diaecesi executioni mandandis praepeditus, et suapte etiam sponte adversam sententiam amplexus, in censuras aperte militavit, et praeter ipsum (quem Conaciensem fuisse dixi) et Limericensem ex Momoniae Praelatis nemo.

(720) In Archiepiscopatum Dubliensem transeo, cujus metropolitanus et unus ex suffraganeis, nempe Laghliniensis, atque hujus contributus D. Jacobus O Diomosa, Vicarius Apostolicus Kildariensis, a censuris steterunt, quorum Dubliniensis eas exequi nequiverit, cum Dubliniam aliaque ejusdem diaecesis praesidia ita possiderent Parliamentarii, ut in ea vicinia anno superiori exercitum Catholicum sub Prestoni vexillis 1429 bellantem profligarint. Laghlinensis autem et agnatus, praefatus Vicarius Apostolicus diaecesis Kildariensis, nullum non moverunt lapidem ut Nuncii causam adversus induciantes promoverent, amboque semper causae Catholicae tam studuerunt quam qui maxime, quorum Laghlinensis constantia et vexatio ab adversariis illata ampliore nobis scribendi segetem inferius suppeditabit. Quod ad Episcopum Fernensem, alterum ejusdem Archiepiscopi Dubliensis suffraganeum, pertinet, is ante ortam hanc tempestatem Romam perrexerat cum D. Nicolao Plunketto a Faederatis ad Suam Sanctitatem allegatus; qui ubi in Urbe per litteras Lutetia Parisiorum ad se scriptas induciantium conatus eo tendere recepisset, ut Ormonium in Proregem revocarent, Roma dedit ad Wexfordiae, quae frequentissimum suae diaecesis emporium esset, Praetorem litteras Anglicanas, quas hic Latine verto.

" Domine Praetor.

(721) " Bona ergo sum valididine, et prospero, quem de nostris istic civibus audio, successu laetor. Multo in hac aula cultu et honore excipimur. Jam dudum responsum expectamus. Novus ludus (is me metus invasit) in isto Regno moliendus est. A quo provide cave cum omnibus fratribus et civibus. Tibi cautum est, ut bonum et sincerum agas Catholicum. Futurum spero ut nullum in tuum annum incidat infortunium. Haud ignoro non nullos tibi facturos magnifica promissa, quo te in fatui collocent Paradiso. Verum laqueo suspensi contentus sum, si suis unquam pollicitationibus steterint. Honestae et Catholicae deliberationes a belli exordio 1430 isti municipio bene verterunt. In iisdem persiste et te felicem conservabunt. Me non latet objectas esse escas, quibus urbs ista decipiatur. Si praemonitus tuam permiseris ruinam, insons ego sum malorum, quae tibi evenerint. Sum, Romae,

Tuus in Christo pater et servus,

8 Junii, 1648.

Nicolaus Fernensis."

(722) Ante scriptam Romae, nedum receptam Wexfordiae, hanc epistolam, Wexfordienses circa hanc causam a Concilio et Concilii fautoribus graviter tentati partes egerant suas. Cum enim suae Provinciae Lageniensis Comitia litteris D. Thomae Fitz-Geraldi opera 16 Maii Kilkennia scriptis eorum sensa circa inducias propediem contrahendas explorassent, eosque ad sequenda induciantium vestigia invitassent, illi ipsissima die, qua induciae contractae sunt, Anglice responderunt hac epistola:

" Domine Fitz-Geralde.

(723) " Tuam secundam epistolam provincialium Lageniae Comitorum mandato ad nos 16° praesentis mensis scriptam, qua desideratur ut ulterius deliberemus, et ad inducias de quibus contrahendis agitur, concurramus, hujus mensis die undevicesimo recepimus. Sicut nullum est in Ibernia municipium, quod ad armorum cessationem cum D. Barone Insequinniae cupiendam majori ducatur ratione quam hoc, tum in pleniorum fregatarum nostrarum per mare securitatem, tum ob multas alias graves causas, quibus id ipsum nobis persuadetur, ita nullum est in Ibernia municipium quod citius quam hoc, ad inducias cum sua Illustrissima Dominatione pangendas cooperabitur, modo eae conducant ad religionis, Regis, et patriae

tutelam, quae sunt tria potissima capita, ad quae ex faederis juramento et facta a nobis protestatione obligamur. In duarum tuarum epistolarum neutra dignatus est nobis significare, quibus legibus aut conditionibus haec armorum cessatio contracta vel contrahenda sit, et utrum in religionis, Regis, et patriae profectum vel praejudicium? Aequo autem nos necessarium esse ducimus expectare, donec horum notitia imbuti fuerimus, ac vos oportere existimatis ut consensum nostrum expectetis. Ubi tali notitia imbuti fuerimus, ita concurremus et suffragabimur sicut flagrantes zelo Catholico ut fideles decet subditos, qui in praefatorum articulorum defensionem et jurarunt et de facto sanguinem effuderunt. Una cum prima epistola ad nos missa recepimus a quibusdam etiam istorum Comitiorum suffragatoribus, qui vobiscum etiamnum resident, alias litteras, quibus constanter nobis affirmant, non modo Clerum, sed etiam Supremi Concilii partem ab induciis dissensisse, et ex quo priorem tibi epistolam miseramus, id ipsum ab iis, qui istinc accesserunt, intelligimus. Sed speramus felicem a Deo producendam suo tempore concordiam, et omnes unanimiter consensuros in concludendum ejus modi cessationem quae ad religionis, Regis, et patriae securitatem conferat; ad quam etiam nos totis animae viribus concurremus, qui sumus

Tui benevolentissimi amici,

Guillelmus Keatingus, Wexfordiae Praetor, etc."

Wexfordiae,
20 Maii, 1648.

"D. Fitz-Geralde.

(724) "Secunda epistola missa est Comitiis Provincialibus jubentibus, ad clancularias quasdam litteras tibi scriptas ab hominibus privatis, qui nec conscientia | nec consentiente hoc municipio, et contra unanimentem ejusdem municipii et eorundem ipsorum privatorum hominum sententiam istis honorabilibus Comitiis significaverant nos ab ea, quam iisdem Comitiis per priores litteras nostras significaveramus, sententia discessuros, affirmaruntque quicquid per dictas litteras indicaveramus, gestum fuisse ad duorum venerabilium sacerdotum sollicitationem, quos illi debitam Christi Domini venerationem oblitii appellarent, sicut nobis innotuit, presbyteros seditiosos. Nos autem sicut ejusmodi officiosam in quovis privato homine minime gentium approbamus arrogantium, ita nobis decretum non est mutare consilium." Haec illi.

(725) Huic Wexfordiensium epistolae non solum emporii Praetor sed etiam duo *Ballivi*, et civium quadraginta duo subscripterunt. Duos autem venerabiles sacerdotes, de quibus hic mentio fit, fuisse video D. Nicolaum Redmondum ejusdem Diaecesis Vicarium Generalem, et D. Walterum Enos, S. Theologiae Doctorem, quorum ardens zelus domus Dei ad Wexfordienses, qui etiam suapte sponte rei Catholicae profectum anhelabant, in officio continendos haud mediocriter profecit. Itaque induciae eodem die, quo hanc epistolam scriptam fuisse videmus, contractae fuere, Wexfordiensibus semel atque iterum per litteras abnuentibus, licet eorum animos etiam suae Lageniae Comitia Provincialia totidem vicibus ad consentiendum sollicitarint. Armorum autem cessatione jam celebrata et toto Regno circa eam vel admittendam vel proscribendam, et circa quoddam juramentum, quod conceptis verbis inferius inseram, in Nuncii fautorumque perniciem a Concilio Supremo recens formatum et ab omnibus suscipiendum tumultuante, | Redmondus jam dictus, Vicarius Generalis, D. Waltero Enos ad Nuncium et Congregationem pluries accito profectoque, scripsit Anglice Vicecomiti Urbano Wexfordensi atque in ejus persona toti Wexfordiae hanc epistolam:

“ Eximie meritis Domine.

(726) “ Intelligo vos inducias hodie esse promulgaturos, quas Ecclesiae Praelati periculosas et perniciosas esse declararunt, et consequenter omnes, qui eas concluserant et eisdem adhaeserint, sunt excommunicati. Intelligo etiam in prosequenda earundem induciarum acceptatione quoddam esse juramentum ab acceptatulis suscipiendum, cuius non nulli sunt articuli in quos homo tuta conscientia jurare non potest. Meas partes (cum sim absente Illustrissimo Domino Episcopo Fernensi vester citra meritum Ordinarius et Pastor) esse duco, nihil eorum omittere, quae ad conscientiarum vestrarum integritatem conferant. Quare virtute authoritatis qua fungor exigo et quantum possum praecipio ut nec eandem armorum cessationem publicetis, nec idem juramentum suscipiatis, quoad amborum validitas et justitia sufficienter declarata fuerit. Si secus feceritis, meam ego conscientiam coram Deo et hominibus mundam esse pronuncio, et eos justo Dei judicio atque Ecclesiae censuris mancipo. Mitto vobis his inclusas in meliorem vestram satisfactionem quasdam paucas observationes. Deum oro ut ex infinita bonitate vestras

illuminet mentes sua gratia, et efficiat ut vester congressus faelicem sortiatur exitum. Sic avet et vovet

Dominationis Vestrae

Sincerus, obsequiosus et benevolus servus,

Nicolaus Redmondus, Vicarius Generalis Fernensis."

Wexfordiae,

25 Junii, 1648.]

(727) Observationes, de quibus haec epistola mentionem ¹⁴³² facit, praetereo, cum nihil contineant nisi multas in armorum cessationem et in novam inferius producendam juramenti formam objectiones, quarum vis et valor supponit inducias esse injustas, excommunicationem validam, et appellationem nugatoriam, quod controversiae fundamentum rationibus utrinque petitis ad nauseam superius cogitavimus. Quare ibi dicta hic non repetimus. Triduo autem post exaratum a Vicario Generali praefatam epistolam Wexfordienses in eam super induciis iverunt sententiam, quam sequens eorum epistola Concilio Supremo Anglice scripta te docebit:

" Illustrissimi Domini.

(728) " Magno nostro animi dolore intelleximus sinistrum rumorem hujus emporii municipibus apertum esse in ista urbe, non nullis deferentibus nos esse refractarios et seditiosos, et Regimini apud hoc Regnum stabilito nec subesse nec obtemperare velle, proindeque publicanda armorum cessatione, quae cum Domino Barone Insequinniae nuper contracta fuerat, supersedisse, nulla ductos alia ratione, quam ut proprio inhiaremus commodo et Regimini obsisteremus. Contra quam opinionem tam nostro quam hujus municipii nomine protestamur et hoc acto Illustrissimis Dominationibus vestris atque universo mundo patefacimus, firma nobis animi deliberatione decretum esse, in debita justaque erga Deum, sanctam ejus Ecclesiam, Supremum Principem nostrum, Regem Carolum, haeredes ejus ac legitimos successores, nec non Regimen a Faederatis hujus Regni Catholicis stabilitum obedientia | vivere ¹⁴³² et mori, et nostram in praefatis induciis hactenus non promulgandis reluctantiam a nulla alia procedere causa quam ex conscientiae stimulis ob multas rationes, et praecipue ob rationum momenta, quae in annexa remonstratione exprimimus, quam humiliter rogamus Illustrissimas Dominationes vestras serio ponderare, et nobis aperire viam, qua juxta justam authoritatem nodus noster solvatur. Quo semel facto, ad debitam obedientiam omnibus mandatis, quae ab Illustrissimis

Dominationibus Vestris emanaverint, praestandam aequa
parati erimus ac alii in hoc Regno quicumque. Interea per-
humiliter obsecramus ut omnes sinistrai cogitationes ex
eiusmodi falsis delationibus haustae facessant. Sumus

Illustrissimarum D.D. Vestrarum

Humillimi servi

Guillelmus Keatingus, Wexfordiae Praetor.

Jacobus Dillonus	} Ballivi."
et Philippus Rossterus	

etc.

Wexfordiae,

28 Junii, 1648.

(729) Remonstratio autem illa, cuius haec litterae memine-
runt, 1° sex propositiones continet, quibus docere conantur
appellationm fuisse nullam. Quam controversiam, cum ultro
citroqué citra finem agitetur, hic praetermitto. 2°. Proposi-
tionibus illis in medium productis Wexfordienses ibidem hunc
in modum Anglice prosequuntur:

(730) "Nos (inquit) Praetor, Decuriones, Municipes et
vulgus Wexfordiensis, cum re ipsa a nostris pastoribus moniti
simus praefatae propositiones esse veras juxta sanctae
Ecclesiae | Canones, visa Cleri ea declaratione, Excommuni-
catione insuper emanata, Concilii appellatione, et Apostolis
concessis, invenimus Illustrissimum D. Nuncium et Praelatos
praetendere dictae declarationis fundamentum esse aliquam
religionis materiam, cuius meliorem agnoscere non possumus
judicem quam eos, qui ex jure Divino religionis judices sunt,
proindeque quorum est determinare, quod actum particulariter
eidem consonat vel adversatur. Invenimus etiam Concilium in
opponenda appellatione non observasse secundam proposi-
tionem, ideoque obtinuisse tantum Apostolos refutatorios,
quibus praefatae appellationis effectus non suspensivus sed
devolutivus locum habet. Denique non reperimus ea appella-
tione comprehendi nosmetipsos, velut qui tunc sententiam
nostram nec pro nec contra cessationem declaravimus. Itaque
post seriam totius controversiae considerationem et maturam
deliberationem, Dei etiam, quatenus nos juxta suas leges
dirigeret, auxilio invocato, Nos praefatus Wexfordiae Praetor,
Decuriones, Municipes et vulgus decrevimus et decernimus
vivere et mori genuini Catholici et filii obedientes nostrae matri,
sanctae, Catholicae, Apostolicae, et Romanae Ecclesiae, atque
ejus legibus obtemperantes subjectique, pro cuius justis
privilegiis et juribus, nationisque ac Regni libertatibus primitus

ad hujus belli initium arma sumpseramus, nulla proprii emolumenti habita ratione. Quinetiam decretum nobis est ¹⁴³³ vita et possessiones in ea professione atque in eos fines profundere. Quamobrem sicut protestamur nulla nos mundana consideratione a nostro in Supremum Faederatorum Catholicorum Concilium obsequio unquam defecturos, sic eam humiliter imploramus libertatem in rebus ad religionem spectantibus, ut nihil adversus illam cogamur moliri publicando armorum cessationem in praesenti rerum statu, donec haec aliaque rationi consona dubia nostra soluta fuerint a competentibus | judicibus in conscientiae securitatem, quam libenter favebimus, idque eo magis quod nihil unquam in ejus detrimentum egimus, nec moliri cupimus, modo reluctantantes eo non compellamur, nec interea nostri in faedere socii animentur vel jurejurando cogantur ad infestandos, abnuendos, vel opprimendos homines, quibus tantopere cordi est vivere in bona et perfecta conformitate atque obsequio erga stabilitum Regimen, sicut Catholicos subditos decet. Quod si hac legitima postulatione Dei et libertatis Christianae legibus tantopere consona frustrati fuerimus (speramus autem futurum ut non frustremur) protestamur coram Deo et universo mundo nostram hanc tolerantiam fore mere et pure ob defensam Catholicam religionem, Sanctae Ecclesiae immunitates, nostri supremi Principis jura, titulos, et justas praerogativas, et nostras libertates ac vindicias nulli Catholicos subdito denegandas. Super his Illustrissimarum DD. vestrarum responsionem vestrae religioni atque authoritati conformem expectamus, humiliter obsecrantes ut haec nostra declaratio in lucem edatur, quo orbis terrarum testetur nostrorum desideriorum integritatem respondere nostro obsequio in Deum, Regem, patriam, et gubernium in hoc Regni statutum. Datum Wexfordiae Kalendis Quintilibus 1648." |

(731) Huic acto Praetor et octoginta duo alii Wexfordienses ¹⁴³⁴ magnam partem municipii primores nomina apposuerunt. Verum qui Concilii partes sustinerent, ad *Collem fratrum* quinta a Wexfordia lapide distantem altera manu gladium, altera impium juramentum omnibus ministrandum et induciarum capita tenebant, haec amplectenda et illud praestandum, nisi mallent Wexfordienses ut his conditionibus denegatis immitterentur in detrectantium terras et domicilia campestria equitum turmae atque omnia incareratis patribus familias et famulis expilarentur. Quibus minis contemptis inducias tamen et juramentum promovent Consiliarii. Nam ipsum Wexfordiae

municipium per Walterum Donganum et Jacobum Prestonum Equites auratos obsidione cingunt.

(732) In Wexfordiensium opem magnis itineribus ab Eugenio O Nello destinati Rogerus Maguirius et Ludovicus O Morris cum aliquot militum millibus ad alteram fluminis ripam accesserunt. Verum rebellante contra municipium Castri Gubernatore Wexfordenses coguntur inducias admittere, ita tamen ut ante admissas ad Nuncium appellariint, ipsi exponentes se non nisi metu in constantem virum cadente compulsos in eam ivisse sententiam, et rogantes humillime ut culpam sine culpa contractam dimitteret, sicut inferius suo loco fusius recensebo. Itaque (ut Archiepiscopatui Dublinensi finem imponam) cum de ipso metropolitano et duobus ejus suffraganeis, nempe Laghleniensi et Fernensi, nec non de Vicario Apostolico Kildariensi dixerim, jam superest solus Episcopus Ossoriensis, David Rothus, de quo Doctor Walterus Enos: "Reverendissimus (inquit) Ossoriensis adeo exacte ad tempus observavit, approbat, et publicavit censuras, ut eas imprimis in ipsa ecclesia | S. Canici in civitate Kilkenniensi, in conspectu laicorum Consiliariorum, ad summum altare ejusdem ecclesiae, legi et publicari curaverit, earundemque exemplaria propria manu authenticata ad alios Praelatos transmiserit, eo consilio ut ab ipsis etiam observarentur. Quinimo verbo et scripto ad Illustrissimum D. Secretarium de Propaganda Fide, tunc Nunciaturae Ibernicae auditorem generalem, protestatus est velle se, si necesse foret, pro harum censurarum justitia in medium prodire forum, suamque vitam pro iisdem ponere. At demulcentes Venerabilem senem non nulli Sinones, arietibus adhibitis quamplurimis, ejusdem constantiam fraude et dolo malo concusserunt. Appellationem enim ei ostenderunt, Apostolos autem refutatorios, per quos rejiciebatur, ejus cognitioni subduxerunt. Ad eundem Reverendissimum accedens quidam Religiosus strictissimae paupertatis, qui annonae, quam ei ejusque Conventui subtraxerunt laici Consiliarii, fame coactus, ejus super ea re de censorum observatione opinionem et consilium postulavit. Respondit Reverendissimus: Sat habeo quod pro me ipso, in eo quod fecerim, respondeam. Tu vero, quo caepisti gressu, perge." Sic ille, ex cuius verbis collendum est Ossoriensem ab initio a censoris stetisse, licet postea usque adeo sententiam mutaverit ut libellus Anglicanus Kilkenniae hoc anno postea in censoras sub ejus nomine in lucem prodierit, cum tamen adeo

Justitiae.
Cap. 5.
Num. 7.

1434

v

tunc decrepita aetate pene repuerasceret Ossoriensis ut librum illum veritate nudum adeoque errores fraudulentissimis et stabilissimis veritatis coloribus, ad quos excogitandos tam caduca senecta par non erat, velantem componere non valeret. Subscriptis tamen tanquam suo, et in hoc peccavit.

(733) In Provinciam Ardmachanam jam digrediamur, in qua | Regni Primas Hugo O Relliūs, et ex suffraganeis Emerus Mac-Mahonius, Episcopus Clogherensis, Antonius Mageogheganus, Episcopus Clonmacnoisiensis, Arthurus Magnesius, Episcopus Dunensis, et Joannes O Cuillenanus, Episcopus Rapotensis, ab induciis abhorrebant et ad Nuncii nutum ambulabant. Eugenius etiam Mac-Guinnaeus, alter ejusdem Ardmachani suffraganeus, Episcopus Kilmorensis, eodem desiderio flagrabat, licet nulli hujus controversiae acto eum hoc anno subscriptisse videam, quod apud suos in Ultonia delitescendo resederit et residendo delituerit. Aliorum trium ejusdem Ardmachani suffraganeorum duo, Anglo-Iberni, nempe Thomas Dessaeus, Episcopus Midiensis et Oliverus Darcius, Episcopus Dromorensis, ab induciantibus stabant. Tertius autem Anglo-Ibernus, Patricius Plunkettus, ita a Nuncio non stabat ut sui eum a Concilio in Nuncium stetisse postea (sicut videbimus) Romae pernegaverint, quam controversiam suo loco tractabimus.

(734) Superest in Conaciam gressum faciamus, in qua Provincia Archiepiscopus Tuamensis necdum pallio donatus sed electus, Joannes de Burgo, ex Episcopatu Clonfertensi translatus, ad finem Maii scripsit Nuncio fore ut intra pauculos dies domicilium mutaret. Galviae autem in ea diaecesi Tuamensi positae Praetor, aliique ex civibus haud pauci 2^o Junii ad fori rerum vaenalium crucem ex Concilii mandato inducias promulgaturi erant. Verum D. Patricius Lynchaeus, Collegii S. Nicolai tunc in Galvia Praepositus, vel (ut ibi loquuntur) Wardianus, et D. Gregorius Joicaeus, unus ex ejusdem Collegii Vicariis, obviarunt, ibidem, eodemque tempore, iis ardentи zelo Dei maledictionem et aeternam comminantes damnationem, qui inducias admitterent. Quo factum ut incensa furore legis | juventute Galviensi, armata quoque, et ad insurgendum parata, 1435 Praetor atque adhaerentes promulgatione supersederint, ne in ipsorum ruinam et sanguinis effusionem cederet. Postera tamen die ad horam decimam matutinam Praetor, suique, velut pridianaе ignaviae paenitentia ducti ibidem hora decima armorum cessationem publicandam duxerunt. Verum praefati

duo ecclesiastici et magnis gregibus civica juventus adeo occurrerunt ut induciarum fautores timore perculsi re infecta domum redierint. 8° tamen Junii decretum scribendum curarunt, quo protestati sunt se inducias admisisse, Concilio in Appellatione adhaesisse, nec induciarum promulgatione super sedisse nisi ad declinandam sui cognatiique sanguinis effusionem, jam semel atque iterum expertos illatam sibi in foro publico violentiam. Huic decreto manum apposuit Walterus Brounus, Galviae tunc Praetor, et ex civibus triginta septem, quod (sicut mihi tradidit qui tum Galviae commorabatur) non in communione eorum, quorum praecipue esset interesset caetu et in foro judiciario latum est, sed modo clanculario, Richardo Blako Equite suffragia ostiatim et furtim extorquentे, Praetore quoque nec non Valentino Brouno Equite, cum P. Valentino Brouno, strictioris Observantiae Franciscano, persuadentibus, sed Joanne Blako tunc Galviae *Recordatore* pietate eximio (cujus constantiam impius frater suus, praefatus Richardus Blakus, census Equestris, tot tantisque insultibus nunquam expugnare potuit) nec non vicecomitibus Urbanis, majorique Concilii civici parte dissentiente, adeo ut mutato post paucas (sicut videbimus) hebdomadas Praetore, novus Praetor nec non praefatus Recordator, | et vicecomites Urbani, aliquie paulo minus centum et quinquaginta Galvienses, quorum multi essent ex Galviae primoribus, acto publico declaraverint se nunquam censuris sed semper induciis restitisse. Porro praefatum decretum 8° Junii latum in induciarum favorem nunquam fuit loco rituque consueto promulgatum, ne tertio in edicti authores impetus fieret. Audito autem emanasse, D. Patricius Linchaeus, Collegii S. Nicolai jam dicti Praepositus, eodem die Galviae hoc decretum Anglice edidit:

(735) "Cum nobis significatum et evidenter verum sit, non nullos in hoc municipio Galviensi male affectos, qui contra D. Nuncii jussa, et unanimem Reverendorum Praelatorum ac docti Cleri hujus loci sententiam vilipendentes, ecclesiasticam autoritatem et vocantes suos pastores (quo pacto Pharisaei Jesum Christum appellabant) *seductores et sacerdotes sedentes*, protestari se semper libentissime voluisse, et velle illicitam cessationem cum Insequinniae Barone celebratam acceptare et promulgare, nec non Supremo Concilio adhaerere in praetensa eorum a Nuncii processibus appellatione, quae nihil aliud pariet quam perpetuum ipsis atque eorum nationi dedecus, et omnium quae Illustrissimus D. Nuncius gesserat

aut gesserit confirmationem. Hinc nos in nihil aliud, quam in Dei gloriam et in sanctae ac Catholicae religionis exaltationem animum intendentes concedimus cum eodem Illustrissimo D. Nuncio iisdem personis, quo ab ejusmodi processibus resipiscant, novendii intercapedinem, videlicet triduum in primam, tres dies in 2am, et totidem dies in ultimam admonitionem, incipientes praecise et peremptorie ab hoc praesente die Jovis, 8^o Junii, usque ad ejusdem mensis decimum septimum, quo die peremptorio nisi eandem protestationem retractaverint, omnes et singulae ejusmodi personae autoritate | Apostolica 1436 Anathemate percutientur, nominatim excommunicabuntur, et separabuntur a mystico Christi corpore, atque ab omni spirituali temporalique cum Christianis et Catholicis quibuscumque communicatione. Quod totum rogamus ut populo Christiano significant omnes sacerdotes et Religiosi hodie ad Missae sacrificium, sicut et Dominica proxime futura et una praeterea die antequam praefatum tempus expiraverit. Datum in Collegio Galviensi 8 Junii, 1648.

Patricius Linchaeus, Sancti Nicolai Praepositus."

(736) Invenio Nuncii censuras fuisse Galviae promulgatas, et induciarum ibi fautores appellasse a Nuncio male informato ad ipsum (nam tunc Galvia aberat) bene informandum, et ab ipso nisi remedium adhibituro ad Summum Pontificem. Addunt autem haec verba Nuncio loquentes: "Si (inquiunt) appellationem hanc aliqua facultate, privilegio, aut praetextu recusare velit aut possit, saltem justissimam querelam nostram audiat benigne, et remedium opportune ponat, ne talibus censuris teneamur immerito. Quod si nec querelam audire velit, aut remedium ponere, cogemur reluctantibus recurrere ad *antiqua horum regnorum privilegia et alia divini, naturalis, et humani juris remedia opportuna pro nostra et reipublicae necessaria defensione*, cum periculum sit in mora, et recursus ad Papam ad obviandum tempestive tantis malis sit impossibilis." Haec illi, qui licet toto appellationis instrumento summam animi demissionem ac Nuncii observantiam praesetulerint, sub illa tamen suavi verborum formula propinabant appellationem quaesitis undique rationibus, quam possent validissimis, munitam et mentem propriae sententiae tenacissimam. | Rogarunt 1437 etiam Galviae Clerum ut de his propositionibus Anglice praesentatis responderent genuinum Ormonistarum spiritum et fucum populo factum spirantibus.

"Quaestiones Galviae Theologis proponendae.

(737) " 1°. Utrum Supremum Faederatorum Concilium concludere potest armorum cessationem cum illa ex Protestantium partibus, et cum ea amicam coire societatem et faetus defensivum ac offensivum ad praeservanda Regis jura et ad pacificandum Regnum, modo non appareat vergere in Catholicae religionis excidium.

(738) " 2°. Nunquid Supremum Concilium atque adhaerentes excommunicari possunt ob contractas ejusmodi inducias, obtento per suos articulos libero Catholicae religionis exercitio cum omni splendore et fulgore requisito intra suos ipsorum limites et impetrata non nulla intra Protestantium fines libertate tametsi non adeo splendeat fulgeatque.

(739) " 3°. An Supremo Concilio liceat a Nuncio, modo talem excommunicationem ob ejusmodi actionem in se ipsos jacularetur, ad Suam Sanctitatem appellare?

(740) " 4°. Utrum eadem excommunicatio sit suspensa, necne, interposita debito tempore appellatione? Et nunquid animarum pastores teneantur obsequi Illustrissimo D. Nuncio publicando tales censuras, cum tot pericula ex earum promulgatione in publicum et privatum deriventur, et an eorum greges ad obediendum teneantur modo illi eas denunciaverint.

(741) " 5°. Utrum ii, quibus authoribus excommunicatio publicata fuit, teneantur ad restitutionem, si quam exinde publica vel privata res jacturam passa fuerit, et an haec damni compensatio ex bonis ecclesiasticis ac decimis | exigi queat. Nonne ordinariis etiam incumbit obligatio curandi ut haec satisfactio praestetur? eamque si denegaverint quid supererit remedii?

(742) " 6°. Nonne ecclesiastici et laici qui in praedicti Concilii Supremi mandata ad Regni gubernationem spectantia solemniter jurarunt mortaliter peccant, et consequenter jure merito insimulentur perjurii ob violatum sacramentum, si Illustrissimo D. Nuncio in rejiciendis induciis obtemperaverint?

(743) " 7°. An quispiam Treugae articulus (praesenti Regni statu bene considerato) conscientiae aduersetur, vel religioni detrimentum pariat?

(744) " 8°. Quodnam in Regno gubernium stare potest si omnis jurisdictio temporalis Concilii manibus extorqueatur,

fulminando excommunicationes, quoties aliquid gestum fuerit quod Cleri genio non arrideat?

(745) "9^o. Utrum Clerus magistratui et Concilio injuriam irrogarunt publicando excommunicationem antequam scripto omnium qui quaestionem diffinire vellent calculis signando (sicut rogatum fuerat) deciderent, an esset peccatum mortale publicare vel acceptare cessationem, vel qua potestate freti ei primitus promulgandae intercesserant? Aut si quis ad Reipublicae vel suae privatae jura, bona vel meliorationes adversus hominem ecclesiasticum defendendas violentiam adhibere vellet, an incurreret Excommunicationem fulminatam cap: *si quis suadente diabolo?*

(746) "10^o. Si homo ecclesiasticus concitando seditionem et tumultum, nec non comminando caedem et sanguinis effusionem, a praestanda Supremi Concilii decretis obedientia cuiusvis urbis Magistratum impedierit, qua via vel remedio magistratus sibi providebit, vel an ille ecclesiasticus officio et beneficio multari poterit?

(747) "11^o. Num hujus municipii Clerus publice declarare potest | excommunicationis effectum suspendi cum Supremum 1438 Concilium totius Regni nomine ad Suam Sanctitatem appellaverit, et hujus oppidi magistratus particularem ex parte sua appellationem priori conformem interposuerint? Circa quae omnia capita cupimus doceri a nostris pastoribus et spiritualibus directoribus. Obsecramus etiam D. Wardianum, eosque ex saeculari et Regulari hujus municipii Clero, de quibus per suorum Praelatorum attestationem constiterit studuisse S. Theologiae, ut in conscientiarum nostrarum tranquillitatem has omnes quaestiones diffinant, idque instrumento omnium manibus muniendo. Nulla enim nobis datur responsio satisfactoria nunquid laetheferum fuerit piaculum inducias promulgare. Quinetiam illi, qui responderunt, haud manus apposuerunt." Haec illi.

(748) Archiepiscopus Tuamensis, in cuius diaecesi Galvia sita est, inter hanc controversiam quomodo se gesserit ipse Nuncio tunc apud Atloniam cunctanti indicavit per sequentem epistolam, rebellionis ejus primordia continentem, ex qua praeter alia conjecto praefatas propositiones ipsi fuisse porrectas:

"Illustrissime ac Reverendissime Domine.

1438

v

(749) "Quamquam Supremum Concilium, cui solemni sacramento obstrictum me fateor, me nuperis litteris Kilkenniam accivit, cum tamen acceperim Illustrissimam Dominationem vestram huc Galviam perventuram, iter illud tantisper distuli, ac paulo post omnino rejici, recepta scilicet epistola vestra 9 Junii perscripta. Praeterquam enim quod cupiam Illustrissimae Dominationi vestrae, quantum in me erit, facere satis, illud etiam vehementer me angit, ac sollicitum dies noctesque habet, quod nempe videam gregem meum ingentibus turbis excitari, a quo proinde hoc tempore abesse non potui. Itaque conor hic gliscentem flammat sopire ac gelidam infundere, ne seditionibus omnia consumantur. Vix enim huc veni, cum audivi querimonias multorum non laicorum duntaxat sed variorum Religiosorum spectatae vitae ac doctrinae, ingementium censuras in hoc oppido fuisse latas contra omnem Canonum ordinem, sine justa causa, sine nominatione, cum zelo quidem fortasse sed sine scientia ut ipsi clamitant. Et hoc (inquam) querelam ad non paucos spectat. At imprimis non negligenda visa est Praetoris et primorum senatorum exclamatio, temporalem gladium ex manibus eorum per Clerum eripi, confundi tribunalia, non esse cur ipsi diutius ad civitatis clavum sedeant, cum Clerici censuras intentent, nullam aliam ob causam, quam quod ipsi suo muneri satisfaciant. Quaestiones quasdam mihi proposuerunt, quae et multarum horarum vigilias requirunt, nec faciles dein habent explicatus. Haec omnia non procul absunt a gravissima opinionum dissensione, ac horrenda mala in republica (nisi praeveniat Deus) evidenter minitantur; unde maxime seriam requirunt haec omnia discussionem. Discussi ego quidem (quantum potui) excommunicationis sententiam, itemque appellationem, nec non Apostolos. Processum vero in eo toto negotio (ut ingenue dicam) sum demiratus. Longe alia erat rerum facies quando Kilkennia discessi. Nubecula quidem tunc aliqua comparebat, sed non quae tantas pluvias vel potius turbines et fulgura concitaret. Nec in hunc diem clare possum fundamenta percipere, ob quae omnia ista fiunt, quae cum dolore possumus commemorare. Ego pro munericis mei ratione in tanta mortalium calamitate, turbatione, et fere dixi, seditione ac tumultu, ad tranquillandas conscientias et sedandos illos inchoatos turbulentos motus denunciationem censoriarum istarum tantisper, quoad cum Dominatione vestra Illustrissima conferrem, suspendi, idque non tantum utile atque mansuetudini magis congruum, verum et justitiae consentiens et

absolute necessarium judicavi. | Medicinis enim, quando constat 1439
in venenum converti, omnino est abstinentum. Haec coram,
aliaque Dominationi vestrae Illustrissimae pluribus, Deo aus-
pice, proponam, citiusque vel scripsissem vel vos adiissem, nisi
communi omnium sermone percrebusset, Dominationem Vest-
ram Illustrissimam huc perventuram. Deus Dominationem
vestram Illustrissimam diu conservet in columem, cuius manus
deosculor.

Galviae,

18 Junii 1648.

Illustrissimae Dominationis vestrae

Servus addictissimus

Joannes Tuamensis electus."

(750) Ex iis, quae tunc et postea Tuamensis patravit, colli-
gendum videtur eum magna ex parte ideo Kilkenniam non
rediisse, sed in sua diaecesi et Provincia pedem fixisse, ut Con-
cilii causam ibi propugnaret, et forsan (quod parum dubitandum
est) ex ipsis Concilii suggestione in eam sententiam ivisse, licet
hic Nuncium suam mentem celaverit, vel eam suavius propinarit.
Etiam (ut alia multa alibi partim dicta partim dicenda huc non
congeram) hac ipsa die sequens decretum Anglice tulit:

(751) "Cum censuras in Atheniae emporio intra diaecesim
nostram vel districtum, nobis nec consultis, nec consentientibus,
nec consciis, a quodam promulgatas fuisse intellexerimus,
rogamus omnes in eo Atheniae oppido atque alibi existentes
saeculares et Regulares ne quas intra nostram diaecesim et
districtum, nisi nobis ea de re praemonitis, ejusmodi censuras
publicent. In quo negotio si nobis factum fuerit satis ex matura
deliberatione et pro causae justitia meritisque, in ulterioribus
mandatis faciendis progrediemur. Postulamus etiam ab iisdem
saecularibus et Regularibus, ne illas ejusmodi censuras licet ab
id genus hominibus promulgatas admittant nec eis fidem habeant,
donec | earum fundamenta et rationes discusserimus easque 1439
approbaverimus." v

18 Junii 1648.

Joannes Tuamensis electus."

(752) "Per praesentes rogamus ut quis ex nostro diaecesis
Tuamensis Clero ad hanc provinciam obeundam nostro nomine
assumendus publice legat edictum nostrum in populi nostri
satisfactionem.

Joannes Tuamensis electus."

(753) Atheniae tunc Rectorem agebat D. Cornelius O Hurlaeus S. Theologiae Doctor, mihi ante in universitate Burdegalensi notus, vir doctus, liberalis, et causae Catholicae faventissimus, quem hoc jaculo ita petitum fuisse crediderim, ut eadem occasione Tuamensis omnibus in sua diaecesi ecclesiasticis censurarum a Nuncio latarum promulgationem interclusam voluerit, licet ipse praefata sua epistola ad Nuncium eodem die scripta se excommunicationis sententiam discussisse fateatur, qua a Nuncio et delegatis sub paena excommunicationis latae sententiae et aliis ipsorum arbitrio injungendis mandatum fuerat inter alios omnibus vicariis sive curatis et quacumque ratione curam animarum habentibus ut prima die festiva inter missarum solemnia praefatas censuras populo publicarent et foribus Ecclesiae affigerent. Quare mirum non est, quod Archiepiscopo a 27 Maii, quo censuras illas latas fuisse vidimus, hactenus cunctante, inferioris gradus sacerdotes et Galviae atque Atheniae et alibi forsan in illa diaecesi censuras ad Nuncii et delegatorum mandatum palam fecerint, cum justas esse et validas persuasum habuerint, licet Tuamensis in contrarium animi sententiam abierit. |

1440 (754) Ante has discordias Ullicus Boorkus, vel de Burgo, Clanricardiae Marchio, nobilissimae fundatissimaeque suae in Ibernia familiae Princeps, primo hostem et postea neutralem egerat, Concilio Supremo et Generalibus Regni Comitiis, ob causas, quas rationi consentaneas judicarent, permittentibus ut sua ibidem bona possideret. Hac autem aestate in arenam prodiit Concilio Supremo militans adversus Nuncium fautoresque. Ille anno 1646 licet faederis juramentum non suscepit, a Concilio tamen Supremo tunc in id incumbente ut cum Ormonio pacem contraheret, in copiarum Catholicarum apud Conaci stipendia facientium Praefectum Generalem cooptatus erat, ut ejus, quia Ormonio addictissimi, opera sterneretur via ad illam pacem, Clero vel invito, intrudendam. Quam Concilii mentem odoratus demum Nuncius et Iberniae Clerus ad ineuntem Augustum eodem anno 1646 obviare statuerunt. Cumque illi exercitui in Conacia militanti Prestonus velut Clanricardii Legatus praeesset, auditumque esset pacem illam ab eo in castris fuisse magno jubilo promulgatam, D. Jacobus Talbottus sacerdos missus est, qui Prestono, ne Cleri partes aggredieretur, persuaderet, qui quo pacto in rei gerenda procuratorem assumptus sit, et partes egerit suas, sequens instrumentum con-

troversia illa pacis Ormoniae variante contextum, sed ea cum Ormonio explosa a Nuncio probatum te docebit.

(755) "Ego infrascriptus virtute potestatis mihi datae ab Illustrissimo Domino Joanne Baptista, Archiepiscopo Firmano et Nuncio Apostolico, obligandi fidem meam nomine praedicti Illustrissimi Domini pro pecuniis et aliis id generis pro | sustentatione exercitus Lagenensis sustentati sumptibus Pontificiis in Conacia, fateor me recepisse mutuo a D. Guillelmo Donellan receptore. Excellentissimi Domini Marchionis de Clanricard mille ducentas libras Anglicanas monetae pro sustentatione praedicti exercitus, quam summam mille et ducentarum librarum promitto et obligo per praesentes nomine Illustrissimi D. Nuncii me soluturum infra duos menses a data harum eidem D. Guillelmo Donnellan vel cuicunque voluerit praedictus Excellentissimus Dominus Marchio de Clanricard. In quorum omnium fidem manum apposui in Castris ad Abbatiam Boyle 13 Augusti 1646.

Jacobus Talbottus."

"Ego infrascriptus accepto nomine quod supra. 3 Octobris 1646.

Joannes Baptista Archiepiscopus Firmanus et Nuncius."

(756) Circa hoc instrumentum non nulla mihi alia supersunt dicenda. Nuncius enim illo anno de Prestono loquens: "Acceptit (inquit) paulo ante ab eodem Clanricardio in expeditionis Reg. p. 365. Conaciensis auxilium sex scutorum millia, quae erant pars summae hoc modo a Digbaeo in multos distributae, non tam ad expeditiones promovendas, quam ad emendas voluntates in pacis, quae promulganda erat, favorem. Quam etiam promulgatam idem Prestonus postea in suis castris magno jubili strepitu proclamavit. Et licet Clero de hoc se mox excusaverit, praetexens, sibi tempori non innotuisse Cleri sententiam, nihilominus postea exploratum fuit eum etiam suorum intimorum consiliis ductum sibi persuasisse pacem illam fuisse religioni utilem. Quinimo exploratum fuit eum iniisse secretum cum Marchione Clanricardiae pactum de ea, quantum salvo honore posset promovenda." | Haec Nuncius Cardinali 1441 Pamphilio 29 Novembris 1646 postquam ipse Prestonus tota sua arcana ipsi aperuisset, reque ipsa tantos adhibuisset conatus et machinationes, quo fidem suam Clanricardio clanculum datam liberaret, sicut suo loco fusius retulimus. Porro si quis quaerat nunquid Prestonus tunc duas summas, nempe sex illa

scutorum millia a Clanricardio, et mille ducentas illas libras sterlingas, quas Clanricardius per suum receptorem Guillelmum Donellan mutuo dederat, a Nuncio receperit, an vero una eandemque summa fuerit, sed ita Prestono ab Ormonio, Digbaeo, et Clanricardio data ut tamen stupenda sagacitate Nuncium eo adegerint ut praefata cautione chirographaria se ad eam Clanricardio rependendam obligaverit, fateor nodum esse, cuius nusquam mihi in Nuncii Scriniis occurrit solutio? Sed sive una eademque (quod crediderim) sive duae summae fuerint, omnino una eademque circa summarum alteram vel utramque intervenisse videtur sagacitas, qua factum ut illi Nuncii impensis Prestonum sibi etiam contra Nuncium demeruerint. Novus autem magistratus illo autumno 1646 a Clero erectus et ex Concilio novo Clerique Congregatione compactus, 8 Januarii 1647 statuit, ut summa jam dicta Clanricardio non solveretur, sed eam Nuncius velut sequester sibi servaret, donec Concilium vel Regni Comitia secus decrevissent. Interea Clanricardius in illo ludo politico Dubliniae et ad Dubliniam absolvendo adeo distentus ut suam a Nuncio pecuniam citius non postularit, ei 26^o Januarii 1647 ex ea civitate Kilkenniam scripsit, rogans ut illas pecunias Tribuno, Joanni Barrio, velut suo Procuratori, numeraret; sed magistratus suam interposuit autoritatem duas ob causas inferius recensendas. Nuncius tamen, ut lavaret inter innocentes manus suas, 28 Julii 1647 Concilio Supremo Galvia scripsit his verbis: |

1441

v " Illustrissimi ac Reverendissimi Domini.

(757) " Cum anno praeterito in supplementum pecuniarum a me promissarum D. Generali Prestono pro expeditione Conciensi R. D. Jacobus Talbottus, Procurator a me constitutus, receperit mille et ducentas libras a D. Marchione de Clanricard, ac deinde visum fuerit Concilio Supremo et Congregationi sub die 8^o Januarii praeteriti easdem pecunias in mea manu sequestrare pluribus forte de causis, sed praecipue quod Castrum de Roscoman cum aliis quibusdam, mediante eadem pecunia, expugnatum non venisset in manus Confaederatorum, sed consignatum fuisset eidem D. Marchioni nunquam jurato et partibus Confaederatorum non stanti. Hinc est quod licet ego praedictam rationem maxime probaverim, cum intentio Summi Pontificis sit quaecumque ipsius auxiliis acquiruntur, ea non nisi Concilio Supremo et Confaederationi acquiri, nihilominus ne videar velle ex parte mea debitam solutionem ob alios fines

differre, statui juxta ordinarium remedium in sequestris adhiberi solitum syngrapham solutionis pecuniarum in Gallia facienda (ubi jam certus sum pecunias adesse, et ubi etiam ipse Dominus Marchio contentus est eas recipere) conficere, eamque apud virum fide idoneum una cum sequestro deponere, non consignandam nisi de consensu et mandato DD. Vestrarum Illustrissimarum, quarum erit prudenter (ut solent) circa hoc negotium statuere. Rogo ergo DD. vestras Illustrissimas ut velint mihi significare quo loco et apud quam personam contenti sint hoc depositum fieri, ut omnia rite ac de earum consensu procedent, et si quid aliud existimant mihi in hac re sugerendum opportune admoneant, dum ego pro illarum faelicitate Deum rogans, iisdem manus officiose deosculor." Haec Nuncius, 28 Julii anno 1647. |

(728) Ex hac etiam epistola nobis liquet aliam illius anni 1646 ¹⁴⁴² molitionem plane stupendam, cui nec tunc re cognita nec hactenus, Concilium Supremum obviasse video. Nempe Roscomaniam atque alia Conaciae loca illo anno 1646 subsidiis Pontificiis et Catholicorum Faederatorum viribus expugnata atque haereticis erpta non Confaederati sed Clanricardius semper hostis vel neutralis, et tunc aperte ad Ormonii neandum Dublinia exuti nutum ambulans, praesidiariis sibi addictis munivit, quae ille loca exinde tenuit dum spes esset fore ut iis in Ormonii favorem uteretur. Cujus voti demum impos ea Confaederatis transcripsit ut illud pecuniae jam dictae sibi solvendae obstaculum tolleret. Quo jam ablato Nuncium litteris 17 et 27 Septembbris 1647 domo sua Tirellana scriptis pressit ut debitum rependeret. Concilium autem, a quo et illa ratio antea Clanricardio objiciebatur, tunc et alias objecit, quas Nuncio in sua ad praefatam ejus epistolam 28 Julii datam et ad aliam posteriorem responsione significavit his verbis: "Illustrissimae Dominationis vestrae literas 20 instantis datas de depositione pecuniarum, quas poscit D. Marchio de Clanricard, accepimus. Quod Roscoman et alia illa castra sint in possessione personarum Confaederatis adhaerentium, non solvit objectiones super illa materia factas; pecuniae enim quas detulit D. Digbaeus ex Gallia, partim seu potius totaliter consignatae fuerunt ad usum Confaederatorum Catholicorum, atque summa a D. Marchione jam petita illarum pecuniarum pars fuit. Posito vero quod non fuerint in usum Confaederatorum consignatae, sed vel ad ipsum D. Digbaeum spectaverint, vel in ipsius dis-

1442

v

positione fuerint, nullo negotio manifestabitur Confaederatos | ex itinere in Sillam Insulam a D. Digbaeo suscepto plus damni sustinuisse quam ex retentione istarum possent lucrari. Illas itaque pecunias D. Digbaeo debitas pro Confaederatorum hac in parte contra Digbaeum postulatu detinendas duximus, ratione cujus depositarium istarum pecuniarum constituere aequum non judicamus. Si hae rationes D. Marchioni non satisfecerint, ipsius Procuratorem ad nos destinandum audiemus, et D. Marchioni (prout super illius negotii discussione aequum videbitur) justitiam exhibebimus sine Illustrissimae D. Vestrae ulteriori molestia." Sic Concilium 29 Septembris 1647.

(759) His cognitis Clanricardius in Concilium excanduit, et Nuncium vehementer ursit ut suam fidem liberaret, affirmans pecunias illas undecumque venerint, illi a se fuisse mutuo datas. Verum Nuncii manus anno 1646 et 1647 Concilii mandatum ligavit allegantis pecunias illas ad se pertinere, partim quod Digbaeus in Sillinas Insulas anno 1646 ad Walliae Principem profecturus pecunias et milites a Confaederatis acceperit, quibus ille postea non in fines a Confaederatis praefixos, sed in suos usus est, partim quod idem Digbaeus, postea in Iberniam ex Gallia eodem anno reversus, haud alias Clanricardio ad emendam Prestoni voluntatem, nec alias Clanricardius Prestono, proindeque Nuncio pecunias dederit, quam quas Digbaeus in Gallia, non in suos, nec in Ormonii sui, nec in Clanricardii, sed in pios Confaederatorum usus destinatas acceperit, Regina Angliae procurante.

(760) Hoc autem anno 1648 Concilio ad Regni clavum sedente longe altero, et longe alia demum studente, Clanricardius manu propria hoc eodem anno 1648 Nuncio Latine scripsit his verbis: |

"Illustrissime et Reverendissime Domine.

1443

Vigorniae.

(761) "Ad paucas usque dies ante discessum abhinc Illustrissimi Domini Marchionis *Worcestriae* confidenter credebam (juxta propositionem mihi factam et assignationem, quam tunc temporis dederam dum Illustrissimae Dominationis vestrae praesentia has nostras partes faelices redderet) quod ipsa D. Marchioni satisfactionem fieri curaverit per schedulas in Franciam, seu alio aliquo modo, pro 1200 libris sterlinis, quae mihi ab ipsa sua Illustrissima Dominatione diu debentur, quandoquidem tunc consenserim ut penes D. Marchionem depositarentur, non quod unquam de justitia aut favore Illustrissimae D. Vestrae dubitaverim, aut predictas pecunias in alia securiori vel meliori custodia optaverim esse, sed quod certo

existimaverim pergratum esse Illustrissimae Dominationi vestrae uno eodemque actu utrumque nostrum arcta sibi devincire obligatione, illum in praesenti ex commodo, quod ipsi supravenire possit in Gallia ex solutione sibi ibidem facienda de ordine Illustrissimae Dominationis vestrae, mediante qua et suaे reputationi consuleret atque suis in hoc Regno creditoribus satisfaceret, me vero in futuro, ex securitate mihi ab ipso D. Marchione praestita de solvendis ejusdem pecuniis juxta occasionum mearum exigentiam. Precor itaque humillime Illustrissimam Dominationem vestram quatenus pro sua solita humanitate dignetur curare ut jam nobis satisfiat, prout etiam insinuat Dominus Worcestriae in suis litteris, quas Illustrissimae Dominationi vestrae exhibebit praesentium lator, famulus suus. Utriusque etenim nostrum multum et aequaliter interest, ex quo Dominus Marchio suum mihi honorem et fidem obligaverit, non minus pro solvendo mihi debito principali quam pro resarciendo quovis praejudicio, quod mihi eveniat ex adhibito consensu depositandi penes ipsum. Totum | attamen discretioni et justo arbitrio Illustrissimae 1443 Dominationis vestrae subjicio, cui summas etiam ago gratias pro multis ac magnis in me collatis favoribus dum hic ageret, quorum firmiter et perpetuo menti meae adhaerebit memoria, cunctaque mea obsequia cum sacrarum osculo manuum offerens, suam humiliter peto mihi meisque impendi benedictionem, et remaneo

Illustrissimae et Reverendissimae

Humillimus et addictissimus servus

Clanricard."

Apud Terellam

14 Martii 1648.

(762) Ad has litteras respondens Nuncius: "Miratus (inquit) sum valde de discessu improviso D. Marchionis de Worcester, qui praeteritis mensibus rescripserat mihi se non iturum in Gallias. Existimare tamen debo prudenter et utiliter illum egisse, prout illi semper felicia omnia precatus sum. Per adventum D. Decani Firmani, qui appulit praeterita hebdomada, omnes pecuniae allatae sunt mihi in Iberniam, nec remanet locus faciendi ullam solutionem in Gallia, quam praeterito Autumno offerebam ad majorem commoditatem creditorum et celeriorem numerationem. Quare poterit Dominatione vestra Illustrissima perpendere quid fieri poterit, quandoquidem pecuniae sunt in manibus meis paratae, et cui solutio facienda sit, ablato impedimento DD. Consiliariorum, circa quod idem Dominus de Worcester curavit aliquid obtinere sed frustra.

Proinde crastina die eundem dominum Decanum mittere Kilkenniam decrevi, ut super hoc ultimam voluntatem Concilii exquirat, ac deinde statim expediam me ex hoc negotio ea ratione, quae debitum meum et rei justitiam spectabit." Haec Nuncius Waterfordia 20 Martii 1648, ad quas Nuncii litteras | Clanricardius manu propria respondit his verbis:

" Illustrissime et Reverendissime Domine.

(763) " Ex Illustrissimae Dominationis Vestrae epistola 20 Martii data non aliud colligere valeo quam quod ipsi placeat adhuc referre solutionem pecuniae mihi ab Illustrissima Dominatione vestra debitae ad consensum Concilii Supremi per me procurandum. Ut autem vestro hac in parte desiderio pro meo modulo morem geram, enixe rogavi Reverendum Patrem, Fr. Dominicum de Burgo, utpote qui statum hujus negotii ab ipso initio apprime noverit, ut ad Illustrissimam Dominationem Vestram, ipsumque Concilium accedat ac ultimum periculum faciat, num velint etiam nunc praetensem suum impedimentum e medio auferre, licet (uti antehac Vestrae Illustrissimae Dominationi saepius significavi) constanter asseverare non desinam, me non posse concipere, quo titulo Concilium hujus rei judicium in se assumat. Unde si ex displicentia aliqua in meam personam, aut propter suum interesse aut utilitatem, quo minus mihi satisfiat, egerint, Illustrissimae Dominationis vestrae honoris et justitiae tutum asylum incunctanter appello, ut ipsa pro aequitate rei ac merito suaे obligationis mihi factae absque ulla relatione ad Concilium juste judicet inter nos. Pro clariori suaे Illustrissimae Dominationis informatione P. Dominico aperui totum hujus negotii seriem, ipsam humiliter et enixe rogans quatenus illi favorablem accessum plenamque fidem praebere dignetur in his quae ex mea parte proposuerit circa hoc negotium, aliaque ipsi commissas ab

Illustrissimae Dominationis Vestrae
Humillimo ac addictissimo servo

Loghreagh,

20 Aprilis, 1648.

Clanricard."

1444
v

(764) Itaque P. Dominico Kilkenniam profecto et Nuncio Waterfordia in eandem urbem appulso, ortaque magna illa circa inducias inter Nuncium et Concilium controversia, et Cleri declaratione, qua armorum cessationem damnatam fuisse vidi mus, 27 Aprilis juxta condita ac Concilio praesentata, factaque 2^o Maii Nuncio et aliis Praelatis per Congregationem Ecclesias-

ticam ejusdem causae censuris etiam prosequendae potestate, Concilium sententia circa pecunias illas mutata, postridie Nuncio scripsit his verbis:

“ Illustrissime ac Reverendissime Domine.

(765) “ Discussis omnibus quae Supremum Concilium inducere poterant ad suspendendam hactenus solutionem illarum pecuniarum, quas a Marchione Clanricard mutuo habuit Illustrissima Dominatio vestra, videmus nullum jam extare impedimentum quominus illae solvantur, neque impeditus. Illustrissimae Dominationis vestrae manus deosculamur.

Illustrissime ac Reverendissime Domine.

Addictissimi servi:

Ed. Limericensis. Athunry. Rob. Lynch. Henricus O Neill.

R. Bellingus. Geraldus Fenell. P. Bryan. G. Barron.”

Kilkenniae, 3 Maii, 1648.

(766) Soluta ergo Clanricardio a Nuncio illa pecunia, et censuris 27° ejusdem mensis fulminatis, postridie, nempe 28 Maii, Clanricardius arcano Concilii diplomate in virium Conaciensium Praefectum Generalem cooptatus est, abdicato Richardo O Ferallo ante illam contestationem ad illud munus assumpto, bellatore praeclarissimo, de causa Catholica optime merito, sed Concilii partibus tunc ingrato, quia non Ormonista, qualis esset Clanricardius. Cui interea Eugenius O Nellus et praecipui copiarum Ultoniensium officiales transmiserunt Anglice hanc epistolam: |

“ Excellentissime Domine.

(767) “ Sicut viri conspicui nihil magis quam suum honorem in pretio collocant, sic nihil est, circa quod eorum cura ac sollicitudo plus versari debet, quam ejusdem honoris conservatio et vindicatio praesertim inter viros non obscuros, apud quos male affectorum obloquii et sinistris interpretationibus traducuntur. Hinc fit ut hanc nostram Excellentiae vestrae apologiam mittamus, Deum, qui abstrusissima quaque cordium nostrorum arcana scrutatur, attestantes, praesenti bello nos nomen dedisse, et citra intermissionem pure et sincere, nullaque privatorum finium aut commodorum ratione habita, perseverare quo fides Catholica in hac afflita nostra natione reperetur, conservetur, et exaltetur. Quibus addimus esse nobis insuper propositum ut sua Majestas in integrum restituatur, et haec natio justae libertatis praerogativas assequatur. Qui sane tres sunt articuli principales nostri juramenti Associationis. Vergat illa die magna in

nostram damnationem, si quid hic Excellentiae vestrae aperimus nisi cum veritate et secretissimarum intentionum nostrarum integritate. In cuius rei testimonium per praesentes fore protestamur ut quocumque tempore Sedi Apostolicae (quae hac natione serio instante praesentem Illustrissimum Dominum Nuncium ad nos allegavit) et Clero, qui eidem Sedi adhaerentes adversus initam cum D. Barone Insequinniae cessationem unanimiter protestati sunt, satisfactum fuerit, nos etiam plene contenti simus et futurum ut haec arma, ad quae in nostri defensionem adversus inhumanas ac violentas nostrorum pacto et juramento Confaederatorum aggressiones suscipienda cogimur, mox omni quo pollemus vigore et industria in communem nostrum hostem exerceantur. Excellentia vestra observavit non nostram modo sed etiam Regni promptitudinem in amplectenda citra ullam

1445 reluctantem | pace nobiscum ex Principis nostri mandato inita

v a Marchione Vigorniae, quod notum esset eam conducere ad religionis, Regis, et patriae securitatem, et ex altera parte qualiter pacem cum Marchione Ormoniae celebratam totum Regnum etiam ejusdem authores in publicis Comitiis proscripteran quod ad nullius ex praefatis securitatem conferret. Constatit autem praesentes inducias cum D. Barone Insequinniae contractas pace cum Marchione Ormoniae celebrata saltem non esse validiores aequioresque. Quis ergo credit quin id genus infausta armorum cessatione a toto Regno, ubi hoc intellexerit, sit rejicienda. Marchionis Ormoniae pax contracta fuit universo tunc Supremo Concilio (ut videbatur) et Instructionum Commissarii consentientibus. Et nihilominus postea fuit repudiata. Quanto magis hanc treugam ab universo Regno respuendam arbitrare, quam utique machinata est sola pars factiosa moderni Supremi Concilii, cuius agillima membra sunt illi ipsissimi, qui antea miserandam hanc nationem in calamitatum oceanum immerserant. Sicut polliciti sunt pacem a se nunquam cum Ormoniae Marchione concludendam, nisi quae Illustrissimo Domino Nuncio arrideret, sic promiserunt se nunquam cum Barone Insequinniae armorum Cessationem pacturos, nisi Illustrissimi D. Nuncii votis pariter responsuram; utramque pollicitationem turpiter violarunt, quod huic calamitosae nationi aequre discrimen ac dedecus pariat. Impresentiarum pro nobis facit Illustrissimi D. Nuncii et (de facto) octodecim Praelatorum sententia, una cum hujus Supremi Concilii parte illa, quae proprio commodo non ducitur, affirmantque praefatas inducias esse iniquas | et fidei Catholicae perniciosas. Cui opinioni subscripturos confidimus omnes hujus

1446

Regni theologos partium studiis non occupatos. Qua ergo conscientia admittamus ejusmodi treugam, qua omnes Regis hostes vires et divitias acquirunt, qui antea quoad utramque commoditatem eo mersi fuere profundi ut suis specialibus litteris ad Parliamentum Anglicanum ineunte ultimo Aprili multiplicatis constanter protestati sunt sibi non suppeteret unde diutius quam per sex hebdomadas subsisterent, nisi magna citra moram ex Anglia subsidia transmitterentur. Excellentia vestra, cui supra modum Regis prosperitas cordi est, sententiam ferat de ejusmodi induciis, quibus nulla ex eo praestatur securitas quod Insequinnius suae Majestati fideliter adhaereat, cum tamen celebrandae istius Treugae haec fuisse dicatur ratio principalis. Multo plura super hac re habemus Excellentiae vestrae communicanda, quae variis protestationibus per nos atque alias editis et ejusdem Cessationis articulorum discussione, suo tempore toti mundo manifestabuntur. Interim obsecramus Excellentiam vestram ut nunquam habeat fidem falsis rumoribus sibi relatis vel referendis ab iis, qui maxime omnium ostentant, sed omnium minime habent religionem et fidelitatem, quique actiones nostras tibi fucatis coloribus pingunt. Excellentia vestra nunquam se implicet causae ullius partis, quae postea comperiatur fatalis nostrae religioni, perniciosa Principi, et patriae exitialis, quorum omnium conservatio esse debet scopus, in quem omnis | Catholicus fidelisque patriota collinearet nobiscum, qui sumus

1446
v

Excellentissime Domine,

Excellentiae Vestrae sincere studiosi amici et servi

Eugenius O Nellus.

Henricus O Nellus.

Hugo O Nellus."

(763) Hujus epistolae apographo mihi tradito dies apposita non est, quam propterea nec appono. Clanricardius autem tantum abest ut sententiam hic suggestam amplexus sit, ut etiam 10 Junii sequentem declarationem Anglice sed clanculum absolverit.

" *Excellentissimi Domini Marchionis Clanricardiae declaratio.*

(769) " Saepius antehac ab horum motuum initio nulla fortunae, laborum, aut sanitatis habita ratione, omnibus viis, quas idoneas judicaveram (quoad integritatem in ea re et mentis can-

1447

dorem unicum cordium scrutatorem Deum appello) meam operam diligentissime interposui, quo ingemiscentes et semper crescentes hujus Regni nativi soli mei discordias componerem, et id nec non quae religionem, fidelitatem, justasque immunitates iisdem | praetensas concernunt, in statum, quam possem, optimum faelicissimumque reducerem, ea constanter ductus opinione quod longa belli continuatio demum non minus indigenis (sicut per praesentem et deplorandam mortalitatis, famis, atque intestinorum dissidiorum experientiam nemini non liquet) excidium et ruinam quam frustrationem pareret praefatorum finium, quos praetendunt, protestantur, et in quos jurarunt. Licet autem p[re]a meis ipsius et nationis peccatis, vel aliquo secreto Dei judicio, praefati mei conatus non alios nec meliores produxerint effectus, quam suspicionum et sinistrarum interpretationum incrementum, quod demum me impulit in sententiam vel patro solo atque omnibus mihi in eo charis exulandi, potius quam ingruentium ejus aerumnarum spectatorem me p[re]aberem, vel certe non immiscendi me publicis ejus negotiis, donec ipsorum consiliis atque animi impotentia eo redacti essent, ut suam plangerent omissionem et dilapsas opportunitates, nihilominus acri pungor sensu ruinarum quae tunc intentantur, vel potius irremediabilis destructionis generaliter omnibus Regni partibus verisimiliter impendentis tam per potentiam et invasionem praesentium sua Majestatis et Regni juratorum hostium, virium scilicet Parlamenti Anglicani et adhaerentium, sicut legitima adhuc sua Majestatis jura atque autoritatem impugnant, quam per tristes effectus civilis discordiae inter ipsos indigenas pullulantis, cuius impetu (nisi prompta reconciliatione vel suppressione mature p[re]avertatur) cito | extirpabitur religio, debitus intercludetur obsequii cursus, et tantum abest ut justae procurandae immunitates, ut etiam subditi in servitutem redigendi sint praeter omne genus incidentium dannorum et miseriarum.

1447

v

(770) " Post profundam et seriam considerationem ac meditationem praefatorum et specialiter desperatae ac deplorabilis conditionis, in qua haec Conaciae Provincia nunc citra dubium bello et civili dissensioni in sedem destinata versatur; hisce declaro meam fixam et inconcussam animi sententiam assumendi praefecturam principem virium hujus Provinciae tum ex anterioribus mandatis immediate a sua Majestate derivatis, tum ex hujus Regni Confaederatorum Supremi Concilii potestate atque authoritate suis litteris die 28 ultimi Maii

datis in eorum partes apud hanc provinciam mihi credita, nec non suscipiendi (quantum meae vires tulerint) ejusdem defensionem adversum omnes suae Majestatis indubitatos hostes et quoscumque alios nulla autoritate fultos invasores et intrusores, donec ulterius suae Majestatis beneplacitum innotuerit super faelici hujus Regni pacificatione et progressu obsequii suae Majestatis.

(771) " Similiter satrapae et verbo et honore protestor et declaro (modo Deus meas actiones et intentiones benedicere dignetur) quod sicut per Dei gratiam instar majorum meorum in Romano Catholicae religionis veritate educatus et instructus fui, sic usque ad mortem in eadem | perseverabo, eandemque totis 1448 viribus atque omnibus justis, honorabilibus, et idoneis viis propagabo, ejus splendorem et legitima jura praeservabo, suae Majestatis et Coronae Anglicanae titulos, imperium, et praerogativas in hoc Regno sustentabo et conservabo, et subditorum ibidem emolumenta ac consonas aequitati libertates praeservabo.

(772) " Ulterius etiam palam facio me opinione cum Supremo Concilio et majori Regni parte concurrere ac consentire opinando nuperam ab ipsis conclusam cum D. Barone Insequinniae treugam Regno impraesentiarum magno esse emolumento, et in assequendos illos fines superius expressos tendere, cum praefatum Concilium conscientiis scrupulosis sedandis providerit per appellationem ab Illustrissimi Domini Nuncii processibus in ecclesiasticarum censurarum controversia ex Confaederatorum Catholicorum parte interpositam et ab ipso admissam. In id ergo incumbam ut praefata armorum Cessatio per omnes hujus Provinciae partes acceptetur, eique obtemperetur juxta praedicti Concilii praescripta et mandata ad illos, qui eorum partibus in eadem praesunt, dirigenda. Totis etiam viribus occurram quibuscumque copiis conaturis intrare in hanc Provinciam, omnesque, qui in ea vires absque authoritate publica cogere ausi fuerint, supprimam.

Datum Portumnae, 10 Junii, 1648.

Clanricardius." |

(773) Hanc suam mentem et declarationem Clanricardius non 1448 nisi post aliquot deinde dies (sicut videbimus) promulgavit. v Porro timebat ne Richardus O Ferallus antea in virium Conciensium imperatorem ascitus, Nuncio semper et Clero eorumque partibus studens, ob hanc causam solito vehementius sibi et Concilio succenseret, adeoque cum suis copiis ad partes adversas

1449

transiret. Huic ergo incommodo obviaturus non ipse modo, sed etiam Provinciae Conaciae Commissarii et quidam ibi Praelati eidem Clanricardio et Concilio astipulantes Richardum rogarunt ut Portumnam, Clanricardii Augustale, accederet, de rebus gravissimis deliberaturus. Ille tunc Guillelmi Moloy munimentum obsidens, Eugenium O Nellum, misso suo Amanuensi consuluit, eoque consentiente Portumnam perrexit, ibi a Clanricardio instantissime rogatus, ut in eadem praefectura *sub se* persisteret. Respondit autem Richardus se deliberaturum et facturum quicquid conscientiae, honori, et Cleri menti consonaret. Quo facto responso in castra se recepit. Cum autem Clanricardius non dubitaret, quin Nuncius et Praelati Nuncio obtemperantes Richardum suopte nutu propensum ad suas ipsorum partes attrahere conarentur, et secus eum pro Ecclesiae hoste habendum declaraturi essent, 17 Junii decrevit procurare actum publicum, quo viciniae et Galviae Clerus, in suaे Praefecturae militaris favorem, sententiam ferrent, quo non modo Richardus, sed etiam omnes alii | in Conacia, abjectis conscientiae scrupulis, suo imperio ponerent. In hunc finem praecipuis Galviae ecclesiasticis hora secunda pomeridiana ad congressum coram Archiepiscopo Tuamensi nec non Aladensi et Finiborensi Episcopis, ipsoque Clanricardio, apud Observantinos celebrandum condicta P. Richardus O Ferallus, Capucinus, et Capucinorum in hospitio Galviensi tunc superior, eo a P. Georgio Dillon, Franciscanorum Observantium ibidem Guardiano, importune invitatus, ita renuit ut, Georgio ingresso, mox et ipse aggressus D. Patricium Lynchaeum, Collegii Galviensis S. Nicolai praepositum, aliasque ex utroque Clero ecclesiasticos, quos a Nuncio stare novit, illius molitionis monuerit, ut obviarent. Quare praefatus praepositus, strenuus causae Catholicae palaestrita, re audita: Ego (inquit) cuniculum illum subterraneum contrario cuniculo frustrabo. Itaque mox schedula citatoria Clero Galviensi eandem circiter horam pomeridianam et certum locum, tanquam adversae machinationis nescius, indixit, de rebus ad Ecclesiae bonum conducentibus consulturus. Scopus autem erat ut die illa ad Clanricardii congressum non convenirent, intereaque Nuncius Athlonia Galviam accederet, sua praesentia machinam dissipaturus. Verum Clanricardius veritus ne Nuncius adveniret, eadem die curavit, ut sui fautores ritu privato in sui favorem instrumento subscriberent. Cum autem praeter tres Praelatos jam dictos non nisi alii pauculi, omnes vel pene omnes duo Carmelitae, P. Georgius Dillonus,

P. Valentinus Brounus, ejusdem instituti Franciscanus et Dominus Joannes Linchaeus cognomento *Juvenis*, sacerdos saecularis, | acto subscripturi essent, judicavit non adjicienda 1449 illorum, qui inferioris gradus essent, nomina, ne nudus ille ac v tenuis calculus tacite significaret, e tanto sacerdotum ac Religiosorum grege, quorum non pauci scientia virtuteque pollerent, nisi pauculos eosque corrogatos consensisse neminem. Actum ergo Anglice scriptum et solis trium Praelatorum calculis munitum praeter alios Richardo O Ferallo copiarum Conaciensium antea praefecto Generali transmisit. Id hic Latine verto:

(774) "Cum viderimus et legerimus declarationem, cui dies Junii praesentis anni Domini 1648 decima apposita est, a D. Marchione Clanricardiae factam, qua sua Excellentia universo mundo suum manifestat et zelum in Catholicam religionem et fidelitatem in Regem nostrum, Carolum, ejusque legitimos successores, et ardens desiderium servandi hoc Regnum, specialiter hanc Provinciam Conaciae, cujus praefectura princeps ipsi anterius commissa fuerat per sua Majestatis litteras patentes, cumque nuper Supremum Faederatorum Catholicorum Concilium suae pariter Excellentiae praefatam praefecturam commiserit, tanquam viro non solum magna autoritate conspicuo, sed etiam qui ad causam communem haud mediocriter conduceat. Nos infra nominati omnibus Provinciae Conaciae veris Catholicis Confaederatis certificamus, ab ipsis dicto D. Marchioni praestandam esse omni cum alacritate debitam obedientiam absque ulla conscientiae scrupulo vel titubatione in tanti momenti negotio, a quo nihil hujus Provinciae | prosperitate minus 1450 dependet. Datum Galviae 17 Junii 1648.

Joannes Tuamensis electus.

Franciscus Aladensis.

Andreas Finiborensis."

(775) Huic acto ad Richardum O Ferallum militiae Conaciensis imperatorem misso Tuamensis assuit epistolam eidem a se scriptam, constanter affirmans non esse cur prae conscientiae legibus Clanricardio cohaerere dubitaret. Quam autem Richardus demum amplexus sit sententiam, suo loco non tacebimus.

(776) Interea silentio praetereundum non est Nuncium tunc Athloniae commorantem dedisse 14 Junii ad Tuamensem et Aladensem litteras huc spectantes, quarum scopum, sicut et modum quo Tuamensis atque Aladensis Nuncii votis usqueadeo

non responderunt, ut potius in Nuncii praejudicium colluserint, ex amborum Praelatorum epistolis quas postridie quam praefato testimonio subscripsissent Atloniam ad Nuncium direxerunt, melius intelligas. Illas unam post alteram ex autographis Latinis hic subdo:

“ Illustrissime ac Reverendissime Domine.

(777) “ Quas Illustrissima Dominatio vestra ad me quarta decima hujus perscripsit litteras non legi duntaxat, sed quae in iis erant statim exequi sum conatus. Itaque Illustrissimum D. Marchionem Clanricardium conveni una cum Illustrissimo Aladensi et Marchioni exposui dolorem et zelotypiam Illustrissimae Dominationis vestrae, qui quidem vester dolor illi omnino inopinatus inexpectatusque advenit. Ex adverso potius rem pergratam | Dominationi vestrae Illustrissimae se facturum existimavit (uti asserit) si se ad Confaederatorum partes adjungeret, idque ex sensu Illustrissimae Dominationis vestrae a Reverendissimo Aladensi intellexit.

(778) “ Quod vero jam se velit Clero ulla in re fidei opponere constanter negat, ut ipse latius suis in litteris Illustrissimae Dominationi vestrae exponit. Atque haec sunt quae ad praecipua epistolae vestrae capita videntur exaranda. Cumque alia iis de rebus modo non occurrant, manus Illustrissimae Dominationis Vestrae deosculor.

Illustrissimae Dominationis Vestrae

Galviae,

Servus addictissimus

18 Junii, 1648.

Joannes Tuamensis electus.”

“ Illustrissime ac Reverendissime Domine.

(779) “ Duas uno tempore a Dominatione vestra Illustrissima recepi epistolas. In prima ex his binis vult Illustrissima D. vestra ut Kilkenniam non adeam, itaque illud iter Kilkenniense rejici. In altera de Illustrissimo Marchione Clanricardio agitis, quem ego saepius et nuperime post vestras receptas litteras conveni, ac eum semper comperi in omni congressu virum bonum ac rectum et timentem Deum, in religionem Catholicam Romanam promovendam bene animatum, et etiam erga patriae commoda et jura conservanda propensissimum, quos animi sensus cum in eo essem expertus, studia ac favores Illustrissimae Dominationis vestrae non dubitavi illi identidem polliceri. Utinam Illustrissima D. vestra colloquiis nostris interfuisset. | Non ambigo quin optima Marchionis studia collaudaret. Interea cum hoc datum non fuerit, si judicaret Illustrissima Dominatio

vestra expedire ut vos adirem, iter sane illud lubens susciperem, loco et tempore ab Illustrissima Dominatione vestra praestituto. Quod idem facturum Illustrissimum Dominum Archiepiscopum Tuamensem plane confido, atque hisce manus Illustrissimae Dominationis vestrae deosculor.

Illustrissimae Dominationis vestrae

Galviae,

Servus addictissimus

18 Junii, 1648.

Franciscus Aladensis."

(780) Hoc ipso die ipse Clanricardius ad Nuncium ex sua domo Tirellanensi ad Galviam posita Atloniam litteras direxit his verbis.

" Illustrissime et Reverendissime Domine.

(781) " Rumor frequenter sparsus de certa Illustrissimae ac Reverendissimae Dominationis vestrae resolutione hasce partes sua in dies praesentia decorandi effecit ut ipsam citius non redderem certiorem de prompta ac plena mihi facta illarum pecuniarum solutione Limerici juxta Illustrissimae Dominationis vestrae mandatum opportunius, siquidem putabam me infinitas, quas debo, gratias ipsi coram referre, prout nunc majori quo possum gratitudinis affectu pro illo aliisque suis favoribus reffero, nihil amplius aut magis exoptans quam quod res meis votis ita faeliciter succederet, ut sumnum, quo afficior, ipsi reciproce inserviendi desiderium re potius quam verbis exprimere valeam. Donet verae consolationis author, Deus, ut turbulenta ac serio inqua hujus temporis conditio id multaque alia pro Dei gloria, religionis augmento et afflictiae hujus patriae calamitate componenda enixe optanda e medio non auferet. |

(782) " Diuturna agendarum rerum contemplatio, ac seria 1451
Confaederatorum hujus Regni deplorabilis inter sese altercationis, v
quae, nisi quantocius sopita, fidei nostrae pro purgatione certam interpretationem, Regi pro fidelitate manifestam proditionem, ac patriae pro libertate diram servitutem minatur, consideratio me aegre tandem compulit ut, quod Illustrissima Dominatione vestra sese optasse mihi saepius significaverat, in me suspicere decreverim, religionis scilicet, Regis, et patriae pro meo modulo defensionem, quam favente Deo totis viribus conabor, et de rectitudine meae intentionis erga religionem Catholicam, quam ipse, uti mei semper progenitores, profiteor, ejusque in hoc Regno splendorem, ad Deum ipsum, solum ac verum cordium scrutatorem appello. Publicationem hujusmodi resolutionis meae hactenus suspendi cum Illustrissima Dominatione vestra

1452

communicandam, quam si approbare voluerit, quicquid meriti, honoris, aut laudis Deus Opt. Max per me fieri praestiterit, Illustrissimae Dominationi vestrae pari passu attribuendum sincere curabo. Illustrissimis ac Reverendissimis Dominis Archiepiscopo Tuamensi et Episcopo Aladensi, qui suas epistolas datas 14 hujus mensis mihi communicarunt, meum sensum fusius significandum commisi. Rogo itaque Illustrissimam Dominationem vestram ut mutuam et indubiam de mea integritate concipiat confidentiam, nec aliter suggesteribus piis suas aures divertendas praebeat, sed certo supponat nec velle nec dicere antiquam stematis mei seriem aut dignitatis qualitatem in rebus etiam minimis mundanis, multo minus quae Dei gloriam et animae meae salutem attinent, ficte aut fraudulenter agere. Deus sit mihi testis et adjutor. Non agam; imo mea praesens resolutio ex matura deliberatione procedit, *votis et opinionibus multorum Praelatorum et gravissimorum Theologorum suffragantibus.* Ignoscat Illustrissima Dominatio vestra quod ipsam hisce meis interpellationibus offendam. Propitium ipsi consilium ac faelicitatem cunctam exopto, suamque mihi postulans humiliter elargiri benedictionem sacras ejus manus deosculor.

Illustrissimae et Reverendissimae D. vestrae

Tirellam,

Humillimus servus

18^o Junii, 1648.

Clanricard."

(783) Ex hac Clanricardii epistola, quam ex autographo Latino in medium produxi, liquet eum suam declarationem 10 Junii cusam et superius insertam necdum in lucem edidisse. Iisdem quoque litteris, juxta ac binis duorum Praelatorum epistolis circa Clanricardii mentem eodem die et consilio ad Nuncium exaratis, nec non altera ab amborum altero, nempe a Tuamensi, circa inducias et censuras ad eundem simul scripta fere perinde processum est, ac si mens esset persuadere Nuncio Clanricardium ejus votis subscrispsisse, ac statuisse arma demum ad ejus instantiam sumere, quo ad ejus nutum Ecclesiae Iberniae causam propugnaret, cum tamen illi Praelati et Clanricardius omnino contrarium antea decreverint, sicut liquet vel ex Clanricardii declaratione 10 Junii contexta, et ex communi eorundem Praelatorum ac Episcopi Finiborensis acto 17 Junii dato, quo Conacienses ad praestandam Clanricardio obedientiam teneri diffinierunt, idque (sicut ipsi ibidem fatentur) lecta praefata ejus declaratione, qua protestatus erat se Concilio Supremo mili-

taturum | et incubiturum ut induciae cum Insequinno contractae ¹⁴⁵²
 in omnibus Conaciae partibus acceptarentur. Quorsum autem
 hanc Clanricardii mentem quatuor epistolae ab ipso et Tuamensi
 atque Aladensi 18 Junii Nuncio scriptae eundem Nuncium cela-
 verint, et eodem die Tuamensis suo edicto tunc mox palam facto
 praescripserit ne censurae usque ad ulterius examen in sua
 diaecesi locum haberent, et non potius (sicut acto illo pridiano
 tunc (ut videtur) non nisi quibusdam in partes allectandis com-
 municato tacite praestiterat) palam et positive inducias
 approbarit, videtur fuisse studiosa sagacitas, qua fieret ut
 Nuncius vana spe delusus et animis pendens Clerum populumque
 Conaciensem tardius, quam par esset, a praestandae Clanricardio
 obedientiae sententia deterreret, et interea Clanricardius vires
 cogeret, ipseque Nuncius vel nullo modo, vel sero nimis, in
 Conaciā penetraret, alias illas molitiones sua praesentia
 dissipaturus. Quod etiam Aladensis suis litteris 18 Junii Nuncio
 scriptis eidem obtulit, nempe se et Tuamensem paratos ad ipsum
 conveniendum, ex eodem fonte descendisse atque eodem spec-
 tasse videtur; ut scilicet in Clanricardii obsequium Nuncio
 astarent, eique ad ejusdem genium plurima suggererent, et
 Nuncii consilia vel omnino dissipanda vel certe eorum execu-
 tionem differendam magna ex parte enervandam curarent,
 eo facilius, quod licet tunc a Nuncio in suspicionem vocarentur,
 non tamen nisi postea palam et omnino in eum insurrexisserent.
 Nuncius autem audita Cleri populi Galviensis circa inducias
 et censuras contestatione, et adversariorum in Conacia molitiones
 odoratus, litteris praefato D. Patricio Lynchaeo, Collegii S.
 Nicolai in Galvia praeposito, viro (ut aiunt) meritissimo,
 praescripsit, ut induciis repudiandis et censuris exequendis ipse
 cum fautoribus insisterent, | ipseque Nuncius biduo post scriptas ¹⁴⁵³
 ad se quaternas illas Tuamensis, Aladensis, et Clanricardii
 litteras, nempe 20 Junii, Athlonia discessit, primaque sui itineris
 nocte divertit ad conventum Franciscanorum Observantinorum
Cellae-Conaldi, vulgo *Kil-Conel*, ubi Episcopum Elphinensem
 apud suos fratres in eo monasterio tunc diversantem visitavit.
 Illinc autem Galviam progressus, in praefata sacerdotum
 saecularium Collegio, quod illi totum humanissime concesserant,
 domicilium elegit, ibidemque octo Praelatis, quorum alii secum
 Galviam advenerant, alios ibi reperit cum reliquo Clero saeculari
 et Regulari in unum convocatis, 22 Junii fuse exposuit rationes,
 ob quas armorum cessationem censuris prohibendam duxerat.
 Verum Tuamensis inter alia rogavit ut Nuncius suum fulmi-

1453
v

nandarum censorarum autoritatem et facultatem demonstraret, non illam ab Iberniae Praelatis 2^o Maii delegatam, cui ipsum Tuamensem subscrisisse vidimus; sed ipsi velut Nuncio Apostolico, a Sua Sanctitate concessam. Quam Nuncius ostendere recusavit, quod jam pene a triennio se Regnum integrum in Nuncium admississet, nec unquam suam illam facultatem in dubium revocasset, licet in Congregatione Ecclesiastica anno 1646 Waterfordiae censuris ad proscribendam tunc pacem Ormonicam latis subscrisserit, et ab integris Regni Comitiis rogatus fuerit ut censuras fulminaret, si non in alios vel alio tempore, certe anno 1647 in Theobaldum Magaulium, Athloniae Praefectum, quo illud propugnaculum Vicecomiti Dillonio permitteret. Quas Nuncii rationes alibi ponderavimus. Porro Tuamensis viso quod Nuncius suas facultates exhibere nolle, palam dixit se vel propterea ejus censuris non obtemperaturum, circa | quem controversiae articulum quid senserim superius tradidi. Caeterum tres Praelati Conacienses, nempe Tuamensis, Aladensis, et (quem tot Momoniensibus viris dignissimis post habitis ipse Nuncius in Momonia ad infulas promovendum improvide curaverat) Finiborensis, Nuncio tunc adversantes armorum cessationem 27 Aprilis cum aliis Praelatis Kilkenniae damnaverant, et 2^o Maii cum aliis Episcopis Nuncio et non nullis Regni Praelatis ejus lateri astitiris eandem armorum cessationem censuris prohibendi fecerant potestatem, nec unquam postea induciarum articulos in iis, in quibus controversiae cardo verteretur, emendatos esse superius demonstravi, licet Concilium et Praelati illi, qui sententiam postea mutarunt, hanc articulorum correctionem censuris tanquam arietem fortissimum objecerint. Sed hoc toto non obstante, forsitan tunc Tuamensis atque alii duo jam dicti delegationem quatenus a se factam revocare, et censuras hac ex parte ob alias saltem causas eatenus in suis diaecesis suspendere vel relaxare decreverint, nisi Nuncius propriam, quatenus Nuncii, nedum ab Iberniae Praelatis delegati, facultatem exhiberet, quam (ut dixi) re ipsa non exhibuit. Tuamensem autem suae diaecesis Clerus tam saecularis quam Regularis quantopere in hac arena deseruerit, te docebit zelo Catholico plenum eorum decretum biduo deinde interjecto editum, quod hic sequitur ipsorum verbis:

“Protestatio Cleri Diaecesis Tuamensis contra Treugam Insequinnianam.

(784) “ Nos infrascripti Decanus, dignitarii, Canonici,

praebendarii, et vicarii Ecclesiae Cathedralis Tuamensis, | nec 1454
 non infrascripti Abbates, Priors, Praepositi, Guardiani,
 Parochi, curati, et reliqui de Clero saeculari et Regulari in
 praedicta Tuamensi diaecesi, visis articulis quibusdam cessa-
 tionis armorum seu treugae habitis et conclusis inter Supremum
 Concilium Kilkenniense et D. Baronem de Insequin gerentibus
 datum 20 Maii 1648; visa etiam protestatione ac declaratione
 Illustrissimi Domini Nuncii, quatuor Archiepiscoporum, et
 decem Episcoporum hujus Regni Iberniae contra dictos
 articulos, quae protestatio gerit datum Kilkenniae 27 Aprilis
 1648, simul ac visa et intellecta fraude, iniquitate, et malitia
 dictorum articulorum partim ex rationibus et manifestis argu-
 mentis praedicti Illustrissimi D. Nuncii Apostolici coram
 quibusdam nostrum in Collegio Galviensi 22 Junii 1648, et
 partim ex aliis fide dignis relationibus, solidis motivis, et circum-
 stantiis plurimis, hoc nostro praesenti instrumento praedictae
 illorum Praelatorum protestationi et declarationi subscribentes
 contra ejusmodi armorum cessationem et treugam, protestamur
 illam (consideratis praemissis et habita ratione temporis et
 rerum) esse iniquam, fraudulentam, et malitiosam, in ruinam
 Catholicae religionis tendere, ac imminens praejudicium Cleri ac
 ecclesiasticae libertatis praeseferre, talemque esse qualem nullus
 Catholicus tuta conscientia amplecti, fovere, aut persuadere
 cuiquam possit aut valeat, non obstante frivola quadam appella-
 tione dicti Supremi Concilii (quae neutiquam admissa fuit quoad
 effectum suspensivum) contra quandam sententiam diffinitivam
 excommunicationis dicti D. Nuncii et aliorum Episcoporum hac
 in parte minus canonice ac juste excogitata et exhibita,
 adhaerentes etiam denuo praedictae eorundem Illustrissimi | 1454
 Domini Nuncii, Archiepiscoporum, et Episcoporum protestationi
 et declarationi una cum sententiis, decretis, et declaratione v
 ipsorum hac in parte latis et ferendis. Similiter et omnimodam
 obedientiam Sedi Apostolicae spondentes et voventes, ac
 schismata quaecumque contra dictam Sedem condemnantes et
 anathematizantes praesentibus subscriptis die 24 Junii 1648.

Carolus Kelly S.T. Doctor, et Decanus Tuamensis.
 Thadaeus Egan, Praepositus Tuamensis, et S.T. Doctor.
 Joannes Dulaeus J.P. Doctor, Protonotarius Apostolicus,
 Canonicus et Officialis Tuamensis. Bernardus Warde, S.T.
 Doctor et Praebendarius de Balla. Cornelius Hurlaeus, S.T.
 Doctor, Canonicus Tuamensis et Rector Athenry. Fergallus
 Higgin, Praebendarius de Falldune. Malachias Quely,

1455

Canonicus Tuamensis et Pastor Anacdune. Aeneas Conry, Praebendarius de Kilmear et Rector de Ballenrobe. Richardus Jordan, Praebendarius de Keallabey. Guillelmus Boorke, Rector de Morrisk. Eugenius Gafney, Vicarius Foraneus Tuamensis. Carbricus Keanavam, Rector de Muintir-Mhorachu. Guillelmus Broder, Rector de Clare. Hugo Galchurius, Vicarius de Kilmolara. Jacobus Abbas de Conga, Protonotarius Apostolicus. Patricius Linch, S.T. Doctor et Ecclesiae Collegiatae S. Nicolai Galviensis Praepositus. Fr. Guillelmus de Burgo, Prior Sradensis et Praedicator Generalis. Fr. Richardus Kelly, Prior S. Dominici de Bonesawel. Fr. Richardus Ferallus, Superior Capucinorum Galviensium. Fr. Guillelmus Moelavel, Prior conventus Ballenroben, Ordinis S. Augustini. Fr. Bernardus Cuineus, provinciae pater, Minorum Observant. Fr. Petrus Tiernanus, Diffinitor, Ordinis Minorum Observant. Fr. Hugo Keanavan, | Guardianus de Clare. Fr. Redmondus Burk, vicarius de Clare. Fr. Augustinus Gibbon, S.T. Professor in civitate Tuamensi. Fr. Antonius MacDonell, Guardianus de Rosriel. Fr. Joannes Nally, Vicarius Conventus de Rosriel. Fr. Franciscus MacDonell, Praedicator Ordinis Minorum."

(785) Transeundum nunc ad Diaecesim Aladensem, cuius Episcopum, Franciscum O Kiorravan, in hac controversia suo metropolitano, Tuamensi, et Concilio Supremo adhaerentem petuit tunc sequens querela:

"Humilis querela Richardi Sayas, Decani Aladensis adversus Reverendissimum Dominum D. Franciscum, Aladensem Episcopum, tam ex parte sua, quam ex parte Cleri et populi, exhibita Illustrissimo D.D. Joanni Baptistae Rinuccino, Archiepiscopo et Principi Firmano, et in Regno Iberniae Nuncio Apostolico extraordinario, simul et Reverendissimis Congregationis Episcopis in civitate Galviae nunc residentibus.

(786) "I^o. Humiliter exhibit quod supradictus Reverendissimus a principio hujus ultimae commotionis nec visitavit nec animavit suam Clerum aut populum, quo modo in hoc periculo tempore sese gerere debeant. Unde in confusionem hinc inde rediguntur. Commissionem nihilominus in diaecesim remisit de decimis, sicut hactenus, vendendis, cum solutione actuali preventuum earundem decimarum.

(787) "2°. Removet nativos pastores a suis parochiis, collocando extraneos collationibus privatis extra capitulum ac simul extra diaecesim. Quod aegre fert Clerus et populus. Sacrum oleum nec procuravit nec eo remisit.

(788) "3°. Ad primam instantiam cujuscumque allegantis removet quemcumque possessorem a sua actuali possessione, sequestrando, ut libet, fructus beneficii sub lite pendentis. |

(789) "4°. Extrahit omnes et singulos redditus sub specie 1455 publici sine ulla reparatione Ecclesiae aut Episcopalis Palatii aut v denique computo vel satisfactione.

(790) "His et aliis quamplurimus casibus occurrentiis consideratis, quatenus resolutionem ac remedium dare dignemini vester supplex orator humiliter expostulat, et orabit etc." Haec ibi.

(791) Ista querela a Nuncio et Praelatis ipsi tunc Galviae assistantibus suspensa fuit decidenda in Concilio nationali, quod Nuncius postea (sicut videbimus) indixit, sed Concilium Supremum nefarie interdixit et impedivit.

(792) In eodem Archiepiscopatu Tuamensi silendus non est Episcopus Elphinensis, qui a Nuncio stabat, sicut et Clonfertensis alter ejusdem Metropolitani suffraganeus. Duacensis autem ejusdem ita suffraganeus, ut et frater, inter hanc censorum controversiam hac aestate et autumno in Hispania aberat. Nec alii tunc erant Praelati Conacienses praeter Finiborensem, natu quidem et incolatu Conaciensem, sed Episcopatu Momoniensem, de quo jam dixi. Porro ex omnibus Iberniae Praelatis Nuncius haud semel conqueritur octo in censuras insurrexisse. Ex quibus manifestum fuisse Tuamensem, Ossoriensem, Midiensem, Aladensem, Limericensem, Finiborensem, et Dromoreensem. Octavus autem quis fuerit, videtur pati controversiam, nam non nulli postea Romae pernegrarunt Ardaghadensem illas censuras contraxisse. Censeo tamen non alium a Nuncio octavi loco habitum quam Ardaghadensem. Caeterum Nuncius Galviam appulsus inde Cardinali Panzirolo Romam scripsit Tuamensem, Aladensem et Finiborensem communis eorum acto 17 Junii in Clanricardii favorem edito et superius posito prae omnibus aliis Regni Episcopis fecisse causeae Catholicae *damnum inestimabile*. Quod est longe verissimum. |

(793) Ad Clanricardium redeo, cuius declaratio superius posita ut Kilkenniae innotuerat, et per epistolam communem Kilkenniae 24 Junii exarata, cuius exemplar ipse Clanricardius Nuncio transmisit, congratulati omnem suam in eundem induciarum

sustinendarum finem obtulerunt opem, opes, et operas Mediae Occidentalis et Fingalliae Comites, Montgarettus, Netervillus, Clanmalierus, et Gallmoyus, Vicecomites, superioris Ossoriae, Athenriae, Trimlestoniae et Dunboyniae Barones, nec non Thomas Nugentius et Richardus Barnevallus, Equites Baronetti. Nuncius tamen etiam Galviam appulsus nullam in Clanricardio demerendo operam non collocavit, allegatis ad eum *Loghreagh*, alias ejus aedes, profectum duobus Episcopis ipsi charis, nempe Aladensi et Clonfertensi cum litteris credentialibus 26 Junii datis. Qua legatione finita Clanricardius Nuncio respondit his verbis:

“ Illustrissime et Reverendissime Domine.

(794) Litteras suas credenciales datas 26 currentis a Reverendissimis Dominis Episcopis Aladensi et Clonfertensi accepi, eosdemque libentissime audivi, et utinam in mea esset potestate, quae ab ipsis proposita fuerunt perficere. Tunc nulla esset controversia, nisi forte hujus temporis zelotypia omnem moderationis regulam excederet. Ipsi Illustrissimae ac Reverendissimae Dominationi vestrae referent quae inter nos colloquendo versabantur, et in quibus radix difficultatis consistere videtur, qua oblata magnam conciperem spem reliqua componendi. Haec sunt quae impraesentiarum occurrunt scripto committenda. Et sic suam emendicans benedictionem, me et obsequia mea omnia ipsi cum osculo manuum offero.

Illustrissimae et Reverendissimae D.V.

Loghreagh,

28 Junii 1648.

Humillimus servus,

Clanricard.” |

1456

v

(795) Eodem tempore Clanricardius suam Nuncio mentem patefecit, et viam aperuit, qua suo judicio, nec aliter, omnes discordiae componerentur, sicut scriptum ejus Anglicanum continet, quod Latine verto.

(796) “ D. Marchionem in ea constanter versari opinione quod in statu periculo, ad quem hoc Regnum redactum erat, absolute necessarium fuit cum aliqua ex adversis partibus concludere armorum cessationem.

(797) “ Fuisse longe honorabilius et utilius pacisci inducias cum D. Barone Insequinniae quam cum quovis alio, cum in Regis favorem declarationem ediderit, eique in Regno sint sanguinis et fortunae jura, quibus juxta omnem rationem et probabilitatem oportet eum redi in suis pactis et declaratione magis sincerum, et similiter quod (sicut compertum est) quovis alio magis strenuus et potens sit vel in eorum praejudicium si in

hostilitate persistaret, vel in eorum utilitatem si ad concordiam reduceretur.

(798) " Eundem D. Marchionem induciarum articulis et Concilii explanationibus ac declarationibus frequenter lectis et consideratis, omnino existimare nullius momenti praejudicium, sive religio sive aliae res spectentur, his articulis objici posse, sed potius eos utroque modo futuros maximopere proficuos, si propositis quibus iidem in fundamentum strati sunt institutum fuisse ad Concilii mentem, nullusque intervenisset obex per infastam concordiae atque obedientiae adversus statutum modo regimen violationem. Ad confirmandam autem suam ea in re opinionem comperit viros, sive honor, sive facultates, sive conditio spectetur, totius Regni maxime conspicuos secum consentire, sicut ex litteris receptis a diversis nobilibus non parum appareat. |

(799) " D. Marchionis in assumenda ea, quam impraesentiarium obit, provincia, et in se inter tot tantaque dissidia negotiis publicis immiscendo, praecipuam causam fuisse spem et expectationem, qua validas ob rationes sibi spondet D. Baronem Insequinniae sincera et integra in suae Majestatis obsequium et in nationem juraque ejus servanda, ferri voluntate, nec interclusurum bonis conditionibus, quae in rebus ad religionem spectantibus per Regni tractatus et legationes obtineantur. 1457

(800) " Dato Baronem Insequinniae sinistra mente ductum fuisse, et Concilium in pactis cum ipso celebratis nimis extitisse liberale, non nullaque, qualia neutiquam apparent, hunc in modum illata fuisse praejudicia, nihilominus cum treuga non nisi temporaria sit, citra dubium fidei publicae violatione resarciri non deberent, et, si incommoda tanta essent ac tam gravia, quanta non nulli vellent persuadere, in nullam tamen venire possent comparationem cum ruina et desolatione necessario (nisi subito obvietur) secutura ex praesentis Regiminis violatione et desertione, tantaque et nativi et Catholici sanguinis effusione per civilem discordiam. D. Marchionem molestissime ferre suam Illustrissimam Dominationem, cuius personam nedum autoritatem tantopere reveretur, tantique facit, videri fundare suam spem, deliberationes, et acta potius informationibus et praetextibus quorundam, qui tam conspicui non sunt, nec numero, nec conditione, nec fortunis adaequant alios ipsi opinione oppositos, qui saltem aeque bona zeli in religionem, | obsequii in Regem, et sollicitudinis in nativum solum specimina

1457 v ediderunt tum vitae exemplo tum sanguinis fortunaeque jactura et discrimine.

(801) " Si sua Illustrissima Dominatio pro magna, qua pollet, sapientia et pietate aequum judicaverit in horum infaelicium atque exitialium dissidiorum reconciliatione operam tempestive collocare, et id peragere ut illae induciae (sicut ab initio mente destinatum erat) nedum specie sed re vera religioni, Regi, et patriae utiles evadant, Sua Excellentia salvo meliori judicio arbitratur id nulla ratione melius aggrediendum, quam si Illustrissima sua Dominatio utatur, qua valet, authoritate et persuasione apud Ultoniae Praefectum Generalem, ejusque partes, quo iis, qui impraesentiarum ad Regiminis clavum sedent, et in quorum mandata juraverat, refragari desistat, et mox ex hisce partibus recedat, seque ad Ultoniae Provinciam a communi hoste vindicandam purgandamque accingat, quatenus aliarum Provinciarum vires adversus hostem apud Lageniam ad Dubliniam coeant, et in unum corpus coalescant, in quam expeditionem Baro Insequinniae opem ferre tenetur. Rebus autem in hunc statum spei plenum redactis, suam Excellentiam magna cum confidentia credere, et suae Illustrissimae Dominationi spondere nullam opem, facultatem, et incitamentum a Praefecto Generali Ultoniae in illam expeditionem modo idoneo et justo desiderari posse, in quod illi, qui nunc rempublicam moderantur, non sint prompte et libenter consensuri. Quinetiam 1458 quicquid sua Excellentia potest, | vel in facultatibus habet aut procurare valet, in illam atque in aliarum Provinciarum expeditiones alacriter impendetur.

(802) " Si sua Illustrissima Dominatio suam personam in re ulla a Concilio irreverenter habitam esse credit, ille, aliis controversiis hunc in modum sopitis, et remotis censuris, eo procedit confidentiae, ut in se recipiat eos fore promptissimos ad honorem et satisfactionem quam possunt maximam ipsi exhibendam in quocumque, quod ipse ab illis requirendum judicaverit. Sin autem, et hae contestationes compositae non fuerint, et Ultoniae Praefectus Generalis continuo apud hanc Provinciam in ejus ruinam perstiterit, eamque in belli sedem induerit, sua Excellentia in propriam atque amicorum conservationem ex honore et conscientia se teneri arbitrabitur ad occurrentum illi incommmodo totis viribus, vel per copias, quas impraesentiarum ducit, vel per eas, quas in auxilium invitare potest." Haec ibi.

(803) Hanc operam a Clanricardio ad partes reconciliandas adhibitam Nuncius jure merito flocci fecit, cum non dubitaret, quin ille in aciem prodierit, ut Concilio, Ormonio, et Insequinnio ad pessimum conjurationis finem assequendum se instrumentum paeberet. Quod et ipse Clanricardius postea in suis litteris 26 Januarii 1649 ex arce Kilkenniensi ad Walshinganum scriptis ingenue fassus est: "Ubi (inquit) Baro de Insequin a Majestate Regia se stare declaraverat, ejusdemque Majestatis vices gerentem in Gallias appulisse, atque huc cum pristino suo imperio reversurum intellexeram, contra Eugenium O Nellum et Nuncii factionem, quae tunc potentissima erat, in castris apparendum, obfirmato animo duxi." Sic ipse de se; et Ludovicus Dives eidem factioni studens | in sua ad Castri Novi Marchionem epistola asserit Insequinnum armorum cessationem cum Concilio iniisse, dum Proregis redditum praestolaretur, quae utroque gladio, spirituali Illustrissimi Domini Nuncii et temporali Eugenii O Nelli impugnata Marchionem Clanricardiae induxerit ut arreptis armis conscriptaque acie eandem vindicaret, et Marchioni Ormoniae ad redeundum viam muniret. Denique fortissimum probanda illius conjurationis argumentum fuit, quod Clanricardius ante semper nunc hostis nunc hoste periculosior neutralis, tunc Concilio, cui antea infensissimus esset, militare voluerit, in quam ille animi sententiam nunquam ivisset, nisi certior factus fuisse de induciarum scopo, et induciantium coniunctione, quam jam exactius narratum imus.

(804) Mense siquidem Julio in Iberniam redierunt Oratores Iberni in Galliam ad Reginam Angliae et Principem Walliae a Faederatis (sicut vidimus) hoc vere allegati. Ad cujus legationis notitiam haud parum conducat brevis rerum tunc Anglicarum et Scoticarum delineatio.

(805) Quod ad Scotiam spectat, antea dixi. Nec aliud hic repeto, quam in eo tunc Regno praevaluisse sub Duce Hamiltoniae Regios, qui Regem Novembri superiore apud Vectem Insulam arcte custodiae ab Independentibus mancipatum, exindeque hactenus ibi detentum, bello in libertatem vindicare satagebant, conflato numeroso exercitu, quo in Angliam hac aestate invaserunt. In ipsa etiam Anglia in Regis gratiam haud mediocriter tumultuatum est. Nam Glenhamus celeberrimis praesidiis, | nempe Carleolis, Eboraco et Oxoniae, quondam a Rege praefectus sed iisdem a Parlamento exutus, initio Maii Carleolas iterum occupavit, et Langdalu, alter partium Regiarum Dux, Bervicum cepit munivitque. Arx etiam

Doctor
Enos suae
Justitiae
Cap. 8.
Num. 6.

1458

v

1459

Pontefracti munitissima, caeso praefecto, a Regiis occupata est. In Wallia quoque Poyerus, Tribunus, qui oppidum atque arcem munitissimam Pembrochiae sub Parlamento hactenus tenuerat, nunc contra illud admissis Regiis constantissime defendit. Laughornius etiam, qui antea in grave partium Regiarum damnum sub Parlamento stipendia ficerat, in eadem regione exercitum contraxit Powello, Tribuno olim Parliamentario, et Wallis undique confluentibus adeo auctum ut brevi temporis spatio octo millia recenserentur sub auspiciis Principis Walliae, qui diplomatibus secreto a Rege, patre, missis, Anglos, etiam hactenus Parliamentarios, magnis gregibus ad insurgendum in Parliamentum animabat. Verum hic exercitus 8 Maii ab Hortono, Parliamentario, vires longe inferiores ducente caesus est, captis tribus milibus, sed Laughornio et Powello Pembrochium dilapsis. Cantiani autem eodem tempore magnis numeris in Regis favorem insurrexerunt. Quorum duo circiter millia Maidstonum, oppidum, intrarunt, munieruntque. Alii aliquot in eadem vicinia arces contra Parliamentum vallarunt. Alii in Rossensi urbe substiterunt; alii denique Doroberniam, arcem, obsidebant. In Parliamentum etiam insurrexerunt Gorinus et Cappellus, Barones, et Carolus Lucas census Equestris, deindeque Henricus Hastingus, Huntingtoniae Comes, et Comptonus, Northamptoni fratres; qui copiis contractis Colchestriam in Regis usus occuparunt munieruntque. Praeterea initio Junii Regiae classis naves praecipuae a rebellione Parliamentaria ad obsequium redierunt, et se pro Rege sub | Principis Walliae auspicis facturas declararunt. Hamiltonus quoque cum exercitu Scotico in Angliam irrupt tam numero, ut circa initium Julii junctis Langdali, a quo Bervicum occupatum fuisse vidimus, copiis 25 militum millia sub vexillis haberet, sperans majorem Angliae partem secum in rebelle Parliamentum bellaturam; et haec quidem erat tunc Angliae Scotiaeque facies.

1459

v

(806) Antrimiae ergo Marchio, Muscrae Vicecomes, et Zephelinus Brounus Armiger, ab Iberniae Catholicis ad Reginam Angliae et Principem Walliae in Galliam allegati, cum iisdem Principibus (quod ad Regem accessus non pateret) tractare caeperunt 20 Aprilis et adeo 13 Maii finierunt, ut sua consilia et tractationes tam Regina et Princeps quam ipsi Oratores direxerint juxta has Angliae, Scotiae, et Iberniae controversias, motus et vicissitudines, quarum aliae ante legatorum trajectionem in Galliam ita in Anglia et Scotia successerant ut tamen Iberniae Faederatos tunc laterent, aliae ante caeptam aliae ante finitam

tractationem supervenerunt. Aliae denique paulo post ita eruperunt ut tamen inter tractationem essent in motu partim publico, partim occulto, vix tamen Reginam et Principem latente, a quibus utique novi tunc causae Regiae in Anglia, Scotia, atque Ibernia fautores mutuabantur authoritatem, diplomata, insurrectionum vinculum et fundamentum, cum per Parlamenti tyrannidem ad Regem accedere non liceret.

(807) Regiis partibus in Anglia et Scotia ad annos antegressos subactis, et nascente inter Independentes ac Praesbyterianos ad annum superiorem circa praedam, Reipublicae clavum Regi extortum, controversia, invenio Catholicos Angliae magis fuisse propensos ad coalescendum Independentibus quam Praesbyterianis, quod ipsimet essent debiliores quam ut suis viribus in utramvis, nedum in utramque partem haereticam bellare possent, et Independentes a praefatae contestationis exordio praeseferrent se Regi militare, et Praesbyteriani semper Catholicorum juxta ac Regio nomini habiti fuerint et tunc haberentur mortalium omnium infensissimi. Praefati tamen Angliae Catholicorum religione ducti, cum ambas illas haereticorum partes horrerent, Nuncii Galliarum opera Sedem Apostolicam consuluerunt. Difficultate autem Theologis Romae, ut ad decisionem Pontificiam veniretur, proposita, demum facta fuit Italice ad Nuncii Galliarum litteras responsio, quam hic Latine verto: "Hi (inquit) Theologi, quibus hic communicata est petitio Catholicorum Angliae circa faedus secura conscientia pangendum cum partibus Independentium contra Praesbyterianos, arbitrati sunt ipsis non opus esse decisione Pontificia. Cum enim non aliud cupiant, quam ut tutas reddant suas conscientias, idque super negotio dirigendo juxta multas circumstantias possunt audire opinionem istic Theologorum, qui et quantitate et qualitate forsan superant nostros Italiae Theologos. Aliud responsum dare nequeo ad Dominationis Vestrae epistolam 15 Februarii praeteriti notis arcanis exaratum." Haec Cardinalis Panzirolus 30 Aprilis 1647. Verum Independentibus rerum potitis, et Rege, Regiis, 1460 ipsisque Praesbyterianis utroque eorum pede calcatis et depresso, proindeque Praesbyterianis jam in Regem adversus Independentes haud meliore (credo) mente propendebatibus Angliae Catholicis, cum Regi studerent, hoc anno fuit unde sententiam et animi propensionem jam dictam mutarent, et Praesbyterianis potius adversus Independentes non tam foverent quam ad Regem restituendum uterentur, suam ea ratione conditionem sub Rege effecturi meliorem. Haud affirmo tamen Angliae Catholicos,

v

saltem adeo cito, suam illam mutasse voluntatem. Nam cum sectarum ibi haereticarum status, etiam politicus, in sola inconstantia sibi constans esset, ita Catholici Anglicani, si non omnes, certe multi, animis hac aestate pendebant ut nonnusquam (sicut videbimus) legam eos hac aestate saltem ineunte Independentibus in Praesbyterianos studuisse.

(808) Ad Oratores Iberniae in Galliam missos redeo, qui in Franciam appulsi Ormonium ibi repererunt hoc anno illuc advectum ex Anglia, ubi reliqua anni superioris parte pedem fixerat, ex quo aestate praeterita Dubliniam atque alia Lageniae praesidia, quibus in Ibernia sub Rege preeisset, Parliamentariis tradiderat. De ipso ex Anglia in Galliam appulso, ejusque ibi redeundi in Iberniam conatu, Nuncius Galliarum Cardinali Panzirolo in Urbem notis arcanis 13 Martii 1648 Italice scribens: “Non obstante (inquit) eo, quod a Marchione Ormoniae jam patratum est apud Iberniam in Regis Angliae praejudicium, huc cum uno filiorum advectus D. Germeni, cui magna apud Angliae Reginam authoritas est, favore procurat, ut ipse in eodem munere confirmetur, ad quod etiam a multis Catholicorum ejus votis respondentium et a non nullis ex ejusdem Regni Clero ab eo stantibus secundatur, promittens hac ratione melius consultum in rebus Principis Walliae et ipsius Regis, si libertatem recuperaret. Creditur etiam mandata, quae a novo Faederatorum Catholicorum Concilio in hanc aulam decreta esse audiuntur,

1461 vel certe majorem | eorum partem in ejusdem Ormonii favorem prosequendam esse. His positis, quo Ormonio, cuius mala mens multis experimentis se prodidit, cooptando obex ponatur, vel saltem ea res (quoad ejus fieri potest) differatur, D. Tirellus mecum colloquens multa praestitit officia, eademque continuabit. Cumque Dux de Vantadour proposuerit nunquid Catholicis placeret quod Princeps, Eduardus Palatinus, Principis Annae Gonzagae maritus, qui annis superioribus se Catholicum declaravit, et nullo bono exemplo hactenus non professus est, ad praefatam provinciam obeundam a Regina assumeretur, omnino praefato D. Tirello et aliis ex eadem natione arrideret et longe plus quam dictus Ormonius, qui praetendit se posse continuari per facultates, quae ipsi a Rege concessae fuerant.” Haec ille, qui loquitur de facultatibus, quibus Ormonius primitus a Rege in Iberniae Proregem indutus fuerat.

(809) Ad hanc schedulam Romae receptam Cardinalis Panzirolus 5^o Aprilis 1648 notis pariter secretis et Italice respondens: “Grata (inquit) fuere nuncia, quae Dominatio vestra per

schedulam 13 Martii cyphris scriptam significaverat, circa id quod Marchio Ormoniae istic procurat quo in Iberniam regrediatur. Credimus ipsam D. Archiepiscopo Firmano id significasse. Unde Dominatio vestra etiam in futurum dignetur ipsum de omnibus, quae ab eodem Marchione atque ab aliis ex eo Regno tentata fuerint, certiorem facere, quo valeat opportune obviare praejudiciis, quae contra Catholicae religionis exercitium quidam istic possent machinari. De caetero Dominationis vestrae partes erunt modo secretissimo, et omni cum dexteritate illis uti mediis, quae judicaverit apta ad frustranda adversariorum consilia, et ad Reginam Angliae admonendam nullum medium ad se angustias, quibus Rex, maritus, ipsaque involvuntur, liberandam esse efficacius, quam placare iram Dei Benedicti, et satisfacere Catholicis ac Sanctae Sedi, eamque amplius non irritare favendo ejus hostibus.” Haec Cardinalis Panzirolus.

1461

v

(810) Postridie, nempe 6 Aprilis 1648, idem Cardinalis ex Urbe scrispsit in Iberniam ad Nuncium praefatae schedulae a Galliarum Nuncio 13 Martii Romam missae apographum, annexa a se altera cyphris exarata, qua Iberniae Nuncio: “Licit (inquit Italice) Dominationem vestram de iis, quae Marchio Ormoniae circa suum cum Proregis titulo redditum in Iberniam Parisiis tractat, proponitque, a Franciae Nuncio credamus factam esse certiorem, nihilominus his adjunctum schedulae ab eo cyphris exaratae ectypum tibi mittendum duximus, ut scias de novo id totum, quod Marchio D. Germeno favente, illic molitur, non dubitans quin ipse ab istius Regni etiam Catholicis adjuvandus sit, cum (sicut audimus) ejus fautores nec ob ipsius fugam animis ceciderint, nec inordinatos animorum motus proprio commodo addicti exuerint. Stupendum tamen foret quod Oratores committerent sibi persuaderi ut iterum in Proregem admitterent apertum Catholicorum hostem, et modo plusquam unquam irritatum ac terribilem, nec non antiquum aemulum familiae O Nellorum. Itaque Dominatio Vestra rebus hunc in modum cognitis, curet sua solita prudentia ut occurratur praejudiciis, quae ex ejus modi molitionibus immineant communis Catholicorum bono, publico Catholicae religionis exercitio, et consequenter universalis totius Regni utilitati.” Haec ibi.

(811) Nuncius ante recepta haec monita strenue et prudenter omnem prope adversariis praestruxit viam, qua Ormonium denuo in Proregem assumerent. Nam Regni Praelati in unum congregati inter ultima Comitia Generalia, Nuncio impellente, polliciti erant instrumento publico superius posito se nusquam com-

1462

missuros ut alius quam Catholicus in Proregem admitteretur, eademque propositio Comitiorum Generalium, Concilii Supremi et Cleri autoritate legatorum instructionibus superius in medium allatis inserta fuit omnino exequenda, nisi Sua Sanctitas rebus mature ponderatis secus procedendum judicaret. Idemque

Reg. p. 472. Iberniae Nuncius litteris 14 Augusti 1647 ad Nuncium Galliarum datis rogavit ut Reginam Angliae ad Proregem Catholicum destinandum induceret, spoonditque hac lege futurum ut ipse nullum lapidem non moveret, quo plenum Regi et Reginae obsequium praestaretur. Verum Nuncius Galliarum Iberniae Nuncio respondens: “quoad id (inquit) quod Illustrissima Dominatio vestra mihi proposuit circa delegationem Proregis Catholici a Regina Angliae decernendam, quandoquidem Marchio Ormonio defecit; sua Majestas litteris, quas ad ipsam Illustrissima Dominatio vestra scripserat, receptis, mihi a suo secretario respondendum curavit, Regem, ex quo in Vectim, Insulam, profectus est, plusquam hactenus sub hostium imperio constitui, proindeque se ipsam cum nesciat nunquid ea deliberatio ipsi arrideret vel praejudicaret, in nullam ire posse sententiam nisi cognito ejus beneplacito.” Haec ille Italice Parisiis 31 Januarii 1648.

(812) Vigorniae etiam Marchio mense Septembri 1647 in
1462 procinctu | erat ad navigandum ex Ibernia in Galliam, quo
 v Reginae Angliae animum placaret, et eam sibi Proregis provinciam obtineret, utroque et Iberniae et Galliae Nuncio secundante, quod de optima ejus in religionis et Sedis Apostolicae rem promovendam voluntate non dubitarent. Verum Vigorniensis (sicut alibi dictum est) iter illud maritimum in hunc annum distulit, expectans (credo) quid Iberniae Comitia illa mense Novembri et Decembri anno 1647 celebrata et Concilium Supremum decerrent, deindeque quid legatis in Galliam et in Urbem destinandis praescriberetur. Cognito ergo ipsis praecriptum fuisse ut Proregi Catholico obtinendo insisterent, nec alium nisi Sua Sanctitate forsan aliter suadente admitterent, ita antea quendam alium, qui negotium apud Reginam Angliae et Principem Walliae procuraret, praemiserat ut ipse cum Marchionissa uxore ad ineuntem mensem Martium hoc anno Galvia, Iberniae urbe, in Galliam navigarit. Qui Parisiis mense Aprili ad Nuncium in Iberniam Italice scribens: “hic (inquit) Reginam (Angliae) et totam ejus aulam reperi benevolam saltem specie tenuis, etiam ipsum Principem Robertum, Ormonium, et Digbaeum, quos omnes in D. Germeni cubiculo offendi. Deinde Regina Illus-

trissimae Dominationis vestrae litteras recepit, humaniter interrogans quomodo se haberet, et demum mihi palam gratias egit ob omnes mei Regis et sui ipsius causa a me susceptas tolerantias, impensas et labores. Et sic, ubi in exhibendo obsequio Reginae et Principi atque in salutandis aulicis, quod meum erat, peregrissem, | Parisios remigravi.” Haec Vigor-
niensis, qui Nuncii Iberniae litteris, quae ad Nuncium Galliarum
et Cardinalem Mazarinum in ejus favorem datae erant, aliisque
suis suorumque conatibus non obstantibus, nihil in finem jam
dictum apud Reginam Magnae Britanniae et Principem Walliae
profecit, satrapa ter Catholicus, improvide bonus, Regi fidelissi-
mus, sed haereticorum artibus et Ormonistarum Catholicorum
Iberniae, nedum Ormonii et aliorum haereticorum, artibus et
sagacitate posthabitus post tot tantaque Regi praestita obsequia.
Et hunc quidem habuit exitum hujus dynastae cum Ibernis
tractatio ab anno 1645 hactenus ob occultam ejus cum Nuncio
pactionem non nihil spirans, sed hoc anno Parisiis citra ullam
ulterius proficiendi spem intermortua. De quo stupeo quod ipsi
singulariter intimus recensuit Innocentio X° Nuncius: “ Non
poterat (inquit) sterni in fundamentum facultas Glamorgano con-
cessa, quae tota consistebat in foliis albis et concessionibus sigillo
Regis cubiculario et privato signatis, quibus sua Majestas non
poterat legitime obligari.” Haec Nuncius, quibus addo litteras
Gallicanas, quas Rex 30 Aprilis 1645 Oxonia ad Nuncium
dederat, eidemque Nuncio recens in Iberniam appulso Glamor-
ganus, postea Vigorniae Marchio, tradidit, fuisse exaratas (nam
autographum habeo, et apices indubitanter internosco) a quodam
viro non idiota, qui Glamorgano in Ibernia a Secretis, multa
deinde Nuncio ibidem a Glamorgano vel missa vel porrecta
scripsit acta, praesertim Latina et Italica, quarum linguarum
quam Gallicanae callentiorem fuisse video. Itaque praefatas
Regis litteras crediderim fuisse | unum ex praefatis *foliis albis* 1463
in Anglia quidem cum caeteris a Rege modo jam dicto signatum
et subsignatum, sed caetera in Ibernia sermone Gallico
identidem barbaro scriptum. Glamorgani autem mandatum
princeps, quo a Rege munitus cum Ibernis de pace contrahenda
egerat, ex his *foliis albis* fuerit an secus mihi non constat, nisi
forsitan et hunc sensum praefatus Nuncii locus spirare videatur.
Nec valeret, si quis objiceret futurum fuisse ut Nuncius (si res
ita se habuisset) hanc minorem mandati validitatem anno 1645 et
1646 palam fecisset, quo Glamorgani pacem facilius exploderet.
Respondetur enim Glamorganum amplissimas et multas etiam

*Relat. :
Cap. 7.*

v

instrumentis publicis sed non tunc publicatis fecisse Nuncio in rei ecclesiasticae et religionis favorem, pollicitationes, quibus Nuncius, si occasio se praesentasset, usus fuisset, sicut et ipso Glamorgano in earundem exequendarum instrumentum. Quare Nuncius, cui aliae et aliunde petitae rationes ad eliminandam Glamorgani pacem vel potius pacis partem cum Confaederatis anno 1645 occulte pactam, suppeterent, ob hanc nasciturae forsan occasionis spem judicare poterat sua interesse, ne Glamorgani mandatum et authoritas modo superius tacto palam et usquequaque evacuaretur. Porro Glamorganus, jam Vigorniae Marchio, cum nobilissima nec minus Catholica uxore Parisiis hoc et uno deinde vel altero anno permansit, ad eas ibi et postea in Flandria redactus exilio angustias ut iniquissimis conditionibus in Angliam remigravit.

(813) Circa Proregis articulum Nuncius ex Ibernia 5^o Feb-

Reg. p. 581. ruarii 1648 Cardinali Panzirolo scripsit, percrebuisse tunc in

1464 Regno | rumorem quo in vulgus spargebatur, duos forsan Proreges, unum Catholicum, haereticum alterum, a Regina et Principe in Iberniam delegandos, quo ambarum partium Catholicarum et haereticarum votis responderetur. Verum hanc sententiam Summus Pontifex improbavit, sicut ejus jussu Cardinalis Panzirolus 4^o Maii litteris respondit, affirmans eam regiminis bipartiti methodum futurum Regno exitialem: "Quod (inquit) demonstratur vicinissim exemplis in Rhetia, ubi duorum Gubernatorum, unius Catholici, et alterius haeretici, delegatio nostrae fidei jacturam peperit." Sic ille, sed totam hanc controversiam diremit Oratorum Ibernorum cum Regina Angliae et Principe Walliae tractatus. Qui Principes tunc apud Regiam S. Germano nuncupatam, pauculas leucas Parisiis distantem, commorabantur. Ubi haec legatorum Ibernorum cum ipsis tractatio caepit, haud semel comperendinata, progressa et finita fuit actis Anglicanis, quae dierum et rerum interea ab aliis quoque gestarum sed eodem spectantium ordine observato totidem verbis Latinis vertam. Ac primo quidem hic initium habe ab Oratoribus Reginae et Principi propositum.

"*Prima tractatio scripto tenus apud S. Germani Fanum
2^o Aprilis 1648.*

(814) "Nondum (cum bona tuae Majestatis et tuae Celsitudinis venia) parati sumus ad quicquam proponendum in materia ad religionem spectante, cum juxta nostras instructiones dirigendi simus in illo articulo a Sua Sanctitate, ubi ipsi Regni

status et conditio sufficienter innotuerit. In quem finem Agentes Romam destinati sunt, a quibus maturrima nuncia expectamus, et modo tuae Majestati placeat interea declarare quid circa illum articulum concessura sis, speramus ea nos | declaratione usuros in maius sua Majestatis (Regis) obsequium. Interea temporis, si tuae Majestati et sua Celsitudini molestum non sit, prompti sumus ad procedendum in aliis negotiis quae nobis credita fuere."

1464
v

*"Propositiones humiliter praesentatae suae Excel-
tissimae Majestati (Reginae) et suae Celsitudini, Principi
Walliae ex parte fidelium suae Majestatis (Regis) subdi-
torum, Confaederatorum Catholicorum Iberniae, a D.
Marchione Antrimiae, D. Vicecomite Muscrae, et Zepherino
Brouno, Armigero, ex potestate facta ab iisdem Con-
faederatis.*

(815) " Primo, cum religionis materia non sit ad tractationem matura, humiliter postulant ut eas in rebus temporalibus gratias et concessiones, quae nuperae pacis articulis, quorum exemplar hic adjunctum est, contentae essent, obtineant cum sequentibus alterationibus et additamentis.

Vide hanc
pacem Or-
emonicam
supra ad
annum
1646.

(816) " Addendum 2º articulo ut (considerata difficultate transmittendi statutorum formas in Angliam et tenui spe boni successus exinde rebus Ibernicis nascituri) recipiatur in proximo Parliamento apud Iberniam celebrando actum, quo concludenda pax, omnesque ejus articuli sanciantur, stabiliantur, et confirmentur absque ulla transmissione in Angliam.

(817) " Addendum 1º articulo, ut nulla concessio, *Custodium* etc. vim habeat, ex quo hi articuli perfecti fuerint.

(818) " Addendum 7º articulo, ut clausula ad universitates pertinens non aliam admittat limitationem vel restrictionem quam illam, quae est scholae Juris Anglicani vel certe Regiminis regulae et praescripta nota fiant ante horum articulorum conclusionem. |

(819) " Addendum 8º, ut Civilis perinde ac militaris Regiminis officia in Confaederatos Catholicos ex specialibus instantiis conferantur, ubi articuli conclusi fuerint.

(820) " Addendum 9º, ut nulli reditus aut alia debita exigantur ex pupillorum possessionibus, antequam ea res Parla-
mento stabilita fuerit.

1465

(821) " Addendum 10°, ut proceres, quibus in Ibernia tituli quidem honorarii sed nullae possessiones suppetunt, in Parlemento nec sedeant, nec suffragentur, nisi prius eam possessionum mensuram, de qua in his articulis mentio fit, comparaverint.

(822) " Addendum 12°, ut Plantationes ab anno 1° Regis Jacobi et alii particulares Plantationum casus, de quibus inferius mentio fit, examinentur ad Concilii Tribunal.

Intelligunt
Concilium
Regium in
Ibernia.

(823) " Addendum 15°, ut perspecta ambiguitate clausulae vindicandi specialia crimina, et periculo, cui eadem multos innocentes implicare potest, sub procuratorum nomine, ea clausula hoc articulo expungatur.

(824) " Addendum 12°, ut si qui paci semel promulgatae intra quadraginta dies morem non gesserint, rebelles pronuncientur, et velut tales tractentur.

(825) " Addendum 24° inter Faederatorum Catholicorum casus ut illi qui fundos pignori dederant et nulla hypothecariis creditoribus facta satisfactione in agros pignori traditos illegitime se intruserant, relinquant judicandi in foro aequitatis.

(826) " Haec impresentiarum proponimus velut praedictis articulis addenda, et ulterius in mandatis habemus ut ii, qui pendente *intervalli Regimine* ad moderandam Rempublicam assumendi sunt, nominentur, et praeterea praefatorum Confederatorum Catholicorum nomine in eorum, qui plantatione vel confiscatione patrimonii excussi sunt, levamen, | tuae Majestati et suae Celsitudini sequentes offerimus propositiones.

(827) " 1°. Ut omnia Castella, municipia, possessiones, tene-
menta, et haereditamenta cujuscumque indigenarum Regni ab
anno primo Regis Jacobi sub praetextu ullius confiscationis vel
Plantationis ablata, et mense Octobri 1641 ad quemcumque
exinde vel nunc adversanti nobis parti adhaerentem spectantia,
et, ex quo bellum hoc caeptum est, hosti Parlamenti Anglicani
partes sequenti erpta, relinquant et assignentur continuanda
in manibus et possessione aliquorum ex indigenis, quorum
majores respective ejusmodi Castellis, municipiis, possessionibus,
tenementis, et haereditamentis primitus excussi fuerint.
Adversae autem partis sit eadem ab indigenis repeteret via
judiciaria et in quacumque lite vel litibus in eum finem
inchoandis, nullum Parlamenti actum, tabula memorialis, vel
alia causa quaecumque allegetur praeter titulum, quo Plantatio
decreta erat, confiscationem, et litteras patentes insuper concessas.
Indigenae autem adversus omnem ejusmodi confiscationem,

1465

v

Ex instruc-
tionum
num. 10.

titulum et litteras *patentes* allegent suam refutationem, redargutionem erroris, omnesque exceptiones et praejudicia, quae ex Regni lege militent in omnem ejusmodi confiscationem, titulum, vel litteras *patentes*, nullumque *ex duplice causa recordationis* derivetur ejusmodi praejudicium, quo parti praeccludatur facultas procedendi ex mera aequitate.

(828) " 2°. Ut omnis persona et personae ex indigenis hujus Regni, quorum majores ab eodem anno primo Jacobi, Regis, suis patrimonii spoliati fuere, et quorum patrimonia modo jam dicto nec recuperata sunt, nec ante proximum Parlamentum recuperata | fuerint, facultatem habeant in dicto Parlamento libero vel in quacumque alia idonea curia, vel curiis forensibus litigandi, prosequendi, et recuperandi sua respective jura et patrimonia Plantationis vel confiscationis titulo ablata vel ipsis vel ipsorum respective praedecessoribus vel cuicunque ipsorum a praefato anno 1° Regis Jacobi, et inter eandem disceptationem nullum statutum, *plantatio*, litterae *patentes*, recuperationes multatitiae, officia, sententiae judicariae male fundatae, falsae confiscationes, *duplices causae recordationis* vel alia exceptio ab anno 1° Regis Jacobi jam dicto sancita, facta, censa, tolerata, habita, lata, vel oborta ipsis vel ulli ex ipsis sint obstaculo, remora, vel praejudicio, sed ipsi et ipsorum quilibet lite prosequantur et recuperent sua respective jura in proximo Parliamento libero, vel quacumque alia idonea curia vel curiis judiciariis.

(829) " 3°. Ut quicumque ex adversis partibus vel hostibus ullum ex praefatis castellis, municipiis, possessionibus, tementis, et haereditamentis possident, si pacem antea concludendam vel in proximo Parlamento libero in Regno stabilendam acceptare vel ei morem gerere detrectaverint, ad ejusmodi inficiationem cadant omni jure, et possessionibus in praefatis, et indigenae, quorum praedecessoribus eadem a praedicto anno 1° Jacobi, Regis, ablata sunt, in eorundem respective possessione, ubi eadem adversis partibus jam dictis erepta fuerint, collocentur, et unum vel plura Parlamenti acta in hunc scopum ferantur in prima proximi Parlamenti liberi sessione.

(830) " 4°. Ut particularis causa Rogeri Morrii, Antonii Morrii, et Joannis Lacii, Armigerorum, qui sub confiscationis vel | condemnationis praetextu diebus Reginae Mariae et Reginae Elizabethae patrimonii spoliati erant, admittatur juxta ipsorum titulos prosequenda in Parlamento vel aliter ex aequitate et

Ex instruc-
tionum
num. 11.

1466

Ibid.
num. 12.

1466

v

justitia, nullumque Parlamenti Scitum, litterae patentes, aut alia acta ipsos suis respective juribus intercludant, modo clare demonstraverint confiscationum fundamenta esse invalida." Hactenus Oratores.

(831) Legati Iberni haec postulata interposuerunt 2º Aprilis, proindeque feria quinta hebdomadae Passionis, adeoque immidente tempore ad devotionem specialiter invitante. Quare facta fuit transactionis comperendinatio. Interea Gallicarum Nuncius juxta curam ipsi ex Urbe (ut vidimus) injunctam, ubi partes egisset suas, et eos, quos rerum conscos esse judicaret, de tractantium sensis et scopo percontatus esset, scripsit ex urbe Parisiensi 26 Aprilis 1648 Nuncio Iberniae cyphris et Italice hanc schedulam:

(832) " Marchionis Ormoniae praetensiones circa suum regressum in Iberiam cum solito suo officio tantopere proiectae sunt, ut credere liceat ipsum (quantum ad ea, quae hic a Regina et Principe Walliae dependeant) evasurum votorum omnium compotem, licet Regina a me efficaciter rogata ut Catholicis faveret (quod etiam D. Comes de Brian propria bonitate et effectu ductus ipsam rogavit) responderit se dolere quod ipsi Catholicci inter se dissentiant, et facturam totum, quod Regis inter hostium manus in carcerem compacti rebus non praejudicaret. Et hic est rei cardo, quod principaliter ejusdem Regiae consiliarii utuntur | ad persuadendum ipsi, ne alium statuat Proregem, quia id facere non potest absque Regis autoritate, a quo Ormonii mandatum revocatum non fuit, nec eam debere Proregem destinare Catholicum, quod Parliamentarii Angliae, qui Regem captivum detinent, palam fecerint causarum, ob quas Regem in custodia retinent, unam esse, quod cum Catholicis et Summo Pontifice commercium foverit, et ipsis inter se convenerit, proindeque eos, si audirent suam Majestatem, sive conscientia sive inscio Rege, declarasse Catholicum in Proregem, tanto arctioribus ipsum angustiis pressuros. Praeterea in Ormonii personam consentiunt *multi Catholicci, sui necessarii, et sequaces*, qui Galliae partes sequuntur. Quare timendum est ne hujus aulae Ministri eundem Ormonium omni favore prosequantur. Et super hoc negotio Regis Franciae antehac *Residens* in Ibernia, Molinaeus, dum mecum colloqueretur, haud ita sibi cavit, quin dixerit Reginam ob praefatas rationes delegare non posse Proregem Catholicum, nec alium esse posse quam Ormonium *Digbaeum*. vel certe *Lixquium*. Haec tanti sunt ad persuadendum

momenti, ut quae Ormonius in Regem peccavit, oblivioni traduntur; nec credendum putant ipsum, si autoritatem et potentiam recuperet, per omnia Parlamentariis in Ibernia profuturum. Quinimo sibi persuadent Ormonii opera Parlamentum cum Rege ad concordiam revocandum. His ut obvietur, fit quantum fieri potest, ab iis, a quibus debet, et qui Catholicorum causae favere desiderant, quantum alii se opponunt, | et timetur ne sint praevalituri." Haec Galliarum 1467 Nuncius, qui ita hic acu punctum tetigit ut omnes pene conspirationis machinas paucis complexus sit. Biduo autem interjecto ad eundem Iberniae Nuncium 28 Aprilis notis arcanis scripsit, nihil a bonis non fuisse tentatum, quo Iberniae Proregem Catholicum obtinerent, sed tot esse Ormonii fautores ut vix dubitaret, quin in Proregem cooptaretur.

(833) Paucis diebus interjectis D. Eduardus Tirellus S. Theologiae Doctor facultatis Parisiensis, Faederatorum Ibernorum Ordinarius in aula Gallicana Agens, et ipse nobilis Ibernus, rebus intus et in cute investigatis, scripsit Episcopo Fernensi et D. Nicolao Plunketto, quos a Faederatis ad Summum Pontificem allegatos fuisse diximus, in Urbem hoc epistolium.

" Illustrissimi Domini.

(824) " Factio Ormonica hic triumphat propter conjunctionem Insequinnii (ut ipsi hic asserunt) cum Taaffo et Prestono contra Eugenium O Neill et alios, qui volunt stare pro partibus Cleri. Etiamsi vera sint quae dicunt, tamen habebimus in Regno partem potentiores. Agentes nostri, me inscio, obtulerunt Dominae Reginae aliquas propositiones temporales. Marchio de Antrim non expectat ab ea, etiam in temporalibus articulis, satisfactionem. Ecce quam premit salus Iberniae ut inde cito expediamini cum sententia Suae Sanctitatis de punto religionis. Itaque redite sine mora, cum bona responsione, et non est quod cadatis animis, quia Deus modo prosperat bene res nostras in Ibernia. Neque in dubium venire debet, | stabit Deus et 1468 stabunt homines pro causa bona et viris rectae intentionis. Parisiis,

8 Maii, 1648.

Eduardus Tirell."

(835) Postscript: " Marchio Ormoniae (prout informatus sum) est iturus ut Prorex in Ibernam a Domina Regina et Principe Walliae, a quibus habet autoritatem concedendi suam pacem jam repudiatam, cum additione quarundam conditionum. Si natio respuat ea, ipse excitabit pro se factionem et conabitur rem peragere. Videte. Considerate. Valete."

(836) Legati jam dicti hac epistola Romae recepta cum commodius esse ducerent, etiam in ipsa Urbe, saepius per litteras quam ore tenus cum Cardinale Panzirolo ibidem se tenente agere, et audientiam postulare, praefatam epistolam domo sua transmiserunt eidem Cardinali assutam alteri a se ipsis datae his verbis:

“ Eminentissime Domine.

(837) “ Ab Eduardo Tirell, S. Theologiae Doctore, Confaederatorum Ibernorum Agente Parisiis, venit inclusa. Per se loquitur prodiciones contra fidem Catholicam in Ibernia. Si cito promatur desiderata Suae Sanctitatis de puncto religionis sententia, conservabit procul dubio unionem inter Confaederatos, quae est robur nationis. Neque Marchio Ormoniae et omnes ipsi adhaerentes artificiis suis evertent opus Dei bene caeptum et sancte promotum. Variis viis audimus res in Ibernia bene prosperari. Jonius, Gubernator Dubliniensium, premitur omnium rerum penuria. Nuper navis victualibus et pulvere tormentario onusta capta est a Wexfordiensibus nostris et in eum portum invecta. Rogamus propter Jesum Christum Crucifixum, causa Dei non inveniat moram in Curia Dei, quae noceat forsan irremediabiliter rebus Ibernorum dum vitam et sanguinem fundunt pro cultu Dei. Excuset importunitatem nostram, quae causatur a charitate. Sentiet Ibernia (ea est spes nostra) Eminentissimam Dominationem vestram patronum benignissimum et amantissimum.

Ex aedibus nostris.

In cursu 30 Maii 1648.

Nicolaus Fernensis.
Nicolaus Plunkett.”

(838) Biduo post scriptam a Tirello praefatam epistolam Oratores Iberni in Gallia transactionem cum Regina et Principe Walliae resumperunt scripto tenuis et actis Anglicis, quae Latine verto.

“ *Suae Majestatis Interrogationes.*

10 Maii 1648.

(839) “ 1°. Utrum adhuc parati estis ad proponendum aliquid in causa ad religionem spectante.

(940) “ 2°. Nunquid potestatem habetis ad mutandum et recedendum ab eo, quod proposuistis, et ad hoc concludendum.

(841) "3^o. Instantiae fiant determinatae circa personas, quarum restitutioni in integrum vultis insistere in negotio plantationis.

"*Responsiones ad Chartam diei decimae Maii 1648 continentem Quaestiones.*

(842) "Ad 1^m. Nihil adhuc audivimus, quod nos redderet habiles | ad proponenda ulla capita particularia circa religionem. Sed humiliter postulamus (sicut antea) ut dignetur Majestas tua declarare quid in ea re velles concedere in populi satisfactionem, qui ad obsequendum Regi sunt paratissimi. 1469

(843) "Ad 2^m. Ea est nostri mandati (sicut in omnibus hujusc conditionis tractatibus usu venit) latitudo et qualitas, ut nostrae instructiones ad quaedam particularia stricte nos obligent, et in aliis potestatem nobis faciant utendam pro prudentia.

(844) "Ad 3^m. Non possumus determinatas facere instantias circa personas, nec a paucis propositionibus, quas circa plantationis negotium proposuimus, vel latum unguem declinare, cum illi, qui rem illam fidei nostrae commiserant, nihil (ut ipsi arbitrantur) petant nisi communem justitiam ab omnibus aequa lance participandam." Haec Oratores 10 Maii 1648.

(845) Venit ex Ibernia in Galliam cum Marchione Antrimiae P. Patricius Crellius, Ordinis Cisterciensis, Abbas Niurensis, vel *de Viridi ligno*, in Ibernia; de quo Iberniae Nuncius cyphris ad Cardinalem Panziolum 5^o Februarii 1648 scripsit se significasse Nuncio Galliarum venisse cum Marchione Abbatem Crellum, Cisterciensem, personam stabilem et magnae authoritatis apud Marchionem, et propterea omnia etiam ipsi a Nuncio Galliarum communicari posse. "Nam (inquit) procuravi ut hic pater Marchionem concomitetur nimiam ejus facilitatem moderaturus, et effecturus ut perstet firmus inter aliorum | duorum Agentium insidias, qui semper operam dabunt ut ipsum decipient." Haec ille, qui etiam 17 Februarii 1648 Nuncio Galliarum scribens: "Illustrissima (inquit) Dominatio vestra poterit omnia secure communicare Abbatii Crellio qui erit fidelissimus." Haec idem. Itaque hic Abbas, postridie quam Regina Angliae et Faederatorum Oratores praefatam tractationem resumpserant, Nuncio Iberniae magna ex parte cyphris Lutetia Parisiorum scripsit his verbis aliquatenus impolitis, sed quae

*Reg: p.
580 et 582.*

*1469
v
Reg: p. 585.*

multa paucis continent, quaeque ex autographo in medium affero,
et ea designo, quae cyphris vel notis arcanis scripta fuere.

“ Illustrissime ac Reverendissime Domine.

(846) “ Jam 3^o a meo discessu inde, refero statum negotiorum
Commissariorum nostrorum cum annexis. Ter Romam scripsi.
Adhuc tamen non constat mihi de appulsu Fernensis et D.

*nuncius
publicis.*

Plunketti eo, a quibus nil intellexi hucusque, licet indies expecto
ipsorum litteras. Habemus hic in gazettis publicis et alias
Londino, quod Baro de Insequin conjunxerit se, suumque
exercitum, Domino Taaffo, suoque exercitui, sed quibus
conditionibus nondum innotescet. Sed ut praesentatur apud
Reginam et Principem per Marchionem Ormoniae et alios, sic

erit quod Baro et Praesbyteriani in Anglia, Scotia, et Ibernia

omnes conjungunt contra praesens Parliamentum et Independentes.

Et sine dubio hoc est verum in propria intelligentia
aperte reperi. Convenerunt non procul hinc nuper aliqui

Praesbyteriani Dominum Germin propter istud, sic quod Regina

1470

et Princeps et ipsorum Consules omnes sunt Praesbyteriani.

Marchio Ormoniae, idem qui ad promovendam causam *Praesbyterianorum in Galliam venit* et jam futurus est *Prorex in Ibernia*

ut cum *Praesbyterianis jungat*, et omnes *Catholici ex suis*, et

propterea forte etiam brevi discessurus in *Iberniam*. *Muscrius*

et *Broune* sunt vere *Praesbyteriani*, quemadmodum *Taaffus*, qui

nisi removeatur, deplorabit Clerus, Ultonia, et ubique eorum

pars, ut perspicue constat expressis litteris. *Antrimius* *huc usque*

ultra modum se gessit et non dubito perseveraturum. Ego rogo

quod nec *Muscrius* nec ullus aliis transmittat *milites*, speciatim

in Galliam propter diversas rationes. Hoc uno vel alio modo

necessario cohibeatur. Consulerem quoque quod provideretur

pro Duncania et nullas fregatas vel naves admitteret *Waterfordiam* sine diligentí examine. Quia *Marchio Ormoniae*

intendit eo, et civitas ista *non servat faedus*. Hoc habeo ab

authore certo. *Muscrius* procuravit binas *fregatas* quibusdam

conditionibus, in quibus forte *Marchio Ormoniae* *navigabit*.

Conservent quoque milites ex *Ultonia* *arcem de Passaug* et

Athloniam cum reliquis ex isto genere et conservet continuo

potenter Eugenius exercitum. Quia in iis est fundamentum: ne

dispergatur ullo modo exercitus vel ullo tempore. Alias totum

negotium nullius erit sequelae. Brevi audiet Dominatio vestra

Illustrissima quod ianua aperta, ut *Catholici agant cum Independentibus contra Praesbyterianos*. Jam, est hic in apparatu.

Ego sollicito. De his plura brevi. Si autem praevaluero,

effective progrediar *Romam* vel in *Iberniam* ut consultius hic videbitur, nisi deerunt pecuniae. Quicquid sit, intimabitur Dominationi vestrae | Illustrissimae. Semel visitavi *Mazarinum*, 1470 quem invenio ex *Praesbyterianis* et quasi pro *Ormonio* et *Scotia*. v Ea propter non soleo amplius frequentare eo, nec etiam *Antrimius*. *Gallia* est conjuncta *Praesbyterianis*. Dux de York jam a decem diebus evasit a Parlamento Anglico. Sed quid sit de ipso, vel quo discesserit, est adhuc ignotum. Dux de Guise est modo captivus Madrid et Regnum Neapolitanum redactum ad pristinum statum. Archidux Leopoldus habet potentem satis exercitum in confinibus hujus Regni. Rogo humiliter ut contenta in his quam primum ad *Episcopum Clogherensem* et *Eugenium* transmittantur, quia jam non vacat ad ipsos scribere. Nisi fecerint sicut hic, *Clerus et Ibernia lugebit*, et hoc cito. *Marchio Montros* et *Antrimius* juxta mandatum vestrum inierunt *faedus* (ut spero) ad bonum finem. Postea fusius enucleabitur. Jam raro accedo curiam Anglicanum sed Parisiis moror. Nihil possumus ibi, quousque audiverimus Roma, et tunc quoque in eodem praedicamento. Foveat *Clerus* ubique, maxime autem in *civitatibus*, *faedus*, quia imminet periculum. Non est quod *Ibernia* expectet *Principem* hac vice. D. Doctor Tyrell est hic, vir valde sincerus et honestus. Et ego supplico quod pro tali habeatur. Si posset fieri, plurimum optarem mandata nuperiora a Dominatione vestra Illustrissima juxta statum temporis ut conaretur se ipsis aptare.

Parisiis

11^o Maii 1646..

Duplicatum.

Illustrissimae D. Vestrae
Constantissimus ac obsequentissimus servus
Patricius Creilly."

(847) "Rogo quod Dominatio vestra Illustrissima significet, quae hic, Dominae Ducissae, | quia quisque *Catholicus* in 1471 *Anglia* est pro *Independentibus*." Haec ille. Loquitur autem de Bukiangamiae Ducissa Antrimio tunc nupta et apud Iberniam se tenente.

(848) Biduo post scriptam hanc epistolam Regina Angliae et Carolus Walliae Princeps totum cum Oratoribus Ibernis tractatum absolverunt acto Anglico, quod hic Latinum reddo:

"Henrietta Maria, Regina.

"Infelices Regni Iberniae discordias componere, et ipsum Regnum pacificare in suae Majestatis obsequium atque in illius

nationis bonum tantopere desideramus ut patratas in violanda nupera pace (cui, si suae Majestatis subditi Catholici juxta atenebantur morem gessissent, nunc in statu faelicissimo constiuerentur) transgressiones oblivioni tradentes voluerimus quae-dam a vobis eorum nomine nobis proposita penitus considerare, et omnem vobis circa eadem praebere satisfactionem, quae cum suae Majestatis honore stet et utilitate. Verum cum per illa responsa a vobis ad quasdam quaestiones, quarum solutio nobis necessaria est facta reperiamus, nec vos esse paratos ad proponenda vestra particularia optata in causa religionis vel alias articulos, quos vos ipsi omnium potissimos esse existimatis, nec eosdem articulos mutandi, recedendi, vel concludendi jam quae ad rem ultima manu diffiniendam necessaria sit, vobis suppetere potestatem. Hinc particulare et peremptorium vobis hac vice responsum dare nequimus, usque adeo ut totum quod praestare valemus, vel quicquid vos in dictarum propositionum responsionem a nobis rationabiliter expectetis, haud aliud impresentiarum esse queat, quam quod vos certos reddimus factum iri quantocytus a nobis | potestatem alicui vel aliquibus, iisque talibus, quos judicamus idoneos ad recipiendas ibi coram magis determinatas et pleniores propositiones a vobis vel a quibuscumque aliis in eum finem authoritate muniendis per Confaederatos Iberniae Catholicos, futurumque ut ad debitam eorum, quae tam super religionis negotio et aliis publicis emolumentis, quam super privatis gravaminibus in confiscationum et plantationum causa proposita fuerint, considerationem ille vel illi sic authoritate muniendi facultatem adipiscantur acquiescendi omnibus, quae ita dictis Confaederatis Catholicis in ipsorum satisfactionem concedi possunt, ut ad justitiam suaequae Majestatis honorem atque utilitatem quadrent, et demum sic cum ipsis concludendi. Datum apud S. Germanum 13 Maii stylo novo anno Domini 1648.

C. Princeps."

(849) Eo circiter tempore innotuit in Gallia Concilium Supremum in Ibernia cum Insequinnio Regi et factioni Praesbyteriana adversum Independentes coalito inducias percutere et Nuncium occurrere voluisse. Quo spectans Doctor Tirellus 23 ejusdem mensis Maii ad Nuncium in Iberniam Parisiis scribens: "Constantiam (inquit) Illustrissimae Dominationis vestrae in causa Dei silere non possum. Opposuitis (ut audio) cum Praesbyteriano societatem et quidem recte, quia Deo nostro

invisus, Regi et Regno inimicus est, qui vestrae religionis et regiae potestatis jugum quamvis suave excutere publicis instrumentis protestatur. | Curia Sancti Germani eo est semper quo fuit in Regem nostrum et nos animo quod plurimum observandum est. Actores nostri huc missi prima quidem fronte bene omnia et me teste declaraverunt. Postea vero aliquot articulis ab ipsis propositis me inscio responsum acceperunt Patriae (meo judicio) injuriosum, ipsis vero minime satisfactorium, et viam muniens, qua possit Marchio Ormoniae patriam petere, cum quo si tractaveritis (quod non credo vos facturos) cavendum sane erit. Quia fellis plurimum in patriam nostram et religionem mihi videtur suo pectore continere. Marchio Antrimiae hic moram trahit, ut ostendat se responsum Germenicum non probare et exitum suorum comitum re infecta reprobare." Sunt Tirelli verba ex autographo, qui responsum Germenicum vocat, quod Germeno, vel Germino, vel (nam varie scribi video) Jermenio, Anglo Praesbyteriano, apud Reginam Angliae magno, et pene solo ejus consiliario, instigante datum fuit.

(850) Postridie ejusdem diei, qua Tirellum scripsisse dixi, praefatus Abbas, Crellius, pariter Latine ad Nuncium in Iberiam dedit Lutetia epistolam, ea parte, quam designo, cyphris exaratam et hic ex autographo positam.

" Illustrissime ac Reverendissime Domine.

(851) " Jam 4° duplicatim repraesento statum negotiationis nostrorum commissariorum in hoc Regno, qui quidem cum modo suum opus imperfecte fecerint, remitto ad Dominationem vestram Illustrissimam transumpta totius Processus scripti inter Reginam et Principem et nostros Commissionarios, e quo facile colligi poterit ruina istius Patriae, nisi praeveniatur. | Commissionarii Romani ingressi sunt civitatem circa finem mensis praeteriti, a quibus adhuc amplius non intellexi. Hactenus saepius inculcavi quo modo *Muskrius et Brounus se gessere perfide*, et quam *pie* et *honorifice Antrimius*, qui constanter tam *publice* quam *privatim* se opposuit (juxta *instructiones*) *Reginae Angliae, Principi, Ormonio, Muskrio, Brouno, et reliquis Praesbyterianorum*. Sed jam quia finis impositus est isti negotiationi, hic referam obiter aliquid. Clarum est (ut patet per annexum processum) quod defecerunt quidam ex Commissionariis in suis instructionibus. Imo erant *actores contra Agentes*, a quibus missi fuerant, et ulterius *privatim inclusi* cum *Ormonio, Digbaeo, et reliquis ejusdem generis*, quando *responsum hoc* erat *extratum*, *Antrimio protinus nesciente*. Jam nuper duplicatim scripsi

1472

v

plurimum ad Dominationem vestram Illustrissimam de hac materia, et ut succincte concludam, aliquid denuo referam. Positive initum est pactum inter Reginam, Principem, et eorum Concilium et speciatim Ormonium, Insequinnium, Muscrium et Taaffum, ut conjungant Praesbyterianos omnes in Ibernia cum eorum auxilio tam in Anglia quam Scotia contra Catholicos et particulatim contra Clerum et Ultoniam et eorum adhaerentes, nisi acceptaverint Ormonium pro Prorege cum quibusdam offerendis conditionibus ab ipso oblaturis. Muscrius et Brounus summo conatu in Iberniam accelerant, ut praeparent suos ad executionem dicti pacti et Ormonii receptionem, qui paulo post reliquos cum uno vel alio sibi conjuncto discessurus est in Iberniam ad tractandum cum Catholicis. | Antrimius cum Doctore Tyrrel et aliis tanquam testibus aggreditur Muscrium et Brounum et rogit illos ut nullatenus de isto responso impertinente ac contrario suis instructionibus acceptent. Sed juxta easdem vellent progredi, videlicet consulere Romanos Commissionarios, proponere de pecuniis, procedere in eligendo protectorem etc. Sed frivole, quia ipsi antea cum Ormonio et reliquis omnia conclusere. Tum Antrimius declaravit se non discessurum in Iberniam inconsultis Romanis Commissionariis, et sic resolvit, modo ex eo in disgratia apud Reginam, Principem etc. Quapropter humiliter rogo ut subveniatur in pecuniis Antrimio. Alias provocabitur et merito. Nisi Muscrius et Brounus quam primum captiventur, actum est de nostra causa. Rogo ut fiat, quoisque Antrimius et ego simul appulerimus eo, licet satis manifeste appareat per processum annexum et instructiones. Antea saepius scripsi ut habeatur cura de arcibus et civitatibus. Sit Eugenius O Nellus et exercitus Ultoniensis cum eorum (partibus) fortis et potius cum Independentibus quam Praesbyterianis. Nisi rejiciatur Taaffus et exercitus spectans ad Ormonium, nunquam pax fuerit in Ibernia. Consulerem ex multis, quae audiveram a satis considerabilibus quod Nuncius in Ibernia conservet bene se ipsum. Alias in periculo positus est. Hoc habeo ab uno principali amico. Laborate ut non mittantur milites | ex Ibernia, speciatim cum Muscrio. Harum lator, Dominus Boyd, Scotus, missus est expresse a Marchione Antrimiae, ut vere omnia Dominationi vestrae Illustrissimae intimet. Rogo ut adhibeatis ipsi fidem cum vestro favore, quia optime meritus est constanter pro Ibernia. Licet sit Protestans, tamen millies magis pro Clero quam Catholicus Muscrius etc. Isti Domino Boyd et ejus relationi reffero me in

v

caeteris, et concludo, hac vice humiliter supplicans ut a Dominatione vestra Illustrissima saepius intelligam. Quia multum nocet silentium. Nuncius hic promittit mutuo summam pecuniae pro expensis meis Romam. Quod si fecerit, sine dubio intra quatuor dies progrediar eo, ad quem effectum lator Dominus Boyd intimabit, sicut etiam de pacto inito inter *Antrimium* et *Marchionem de Montrose*. *Marchio de Worcester* procurat sub pignore pro *Regina* triginta millia librarum pro *Ormonio* contra *Iberniam*. Hoc est certum. Crastina die adibo ipsum. Quicquid ultra refero dicto Domino Boyd. Spero quod res bene breviter processerit inter nos et *Independentes*. Communicet (supplico) haec Clogherensi et *Eugenio O Nello* etc.

Parisiis, 24 Maii 1648.

Duplicatim.

P. Creelly."

(852) Antrimius etiam 20° et Nuncius Galliarum 22° ejusdem mensis indidem ad Nuncium Iberniae in Iberniam, | ille 1474 Anglice, hic Italice, istum legationis exitum scripsit. Quorum Antrimius ad Nuncium: "cum (inquit) Vicecomes Muscrae et D. Brounus domum reddituri discesserint, hunc virum generosum, Dominum Boidum, misi, qui Illustrissimae Dominationi vestrae actionum mearum rationem reddat, et referat quamobrem hic moram feci, quae (credo) respondebit fidei atque expectationi mei tuae, quam, quicquid mihi contingat, nunquam fallam." Haec Antrimius.

(853) Haereticus ille et Scotus, Boydus, ab Antrimio ad Nuncium Parisiis in Iberniam missus, sive fidei in se positae responderit sive secus, haud in internuncium assumendus erat. Quicquid sit, Nuncii Galliarum, Antrimii, et Abbatis Creelly vel (nam varie scribi video) Crillii epistolae autographae, ac totus tractatus Anglice scriptus (qui Oratoribus Ibernis cum Reginae Angliae et Principe Walliae intercesserat, quemque Crellius in sua illa epistola 24 Maii data annexum processum haud semel vocat) cum illo haeretico in Iberniam tunc missa usque in diem hanc in Nuncii Iberniae Scriniis in Italianam translati asservantur, mihiique prae manibus sunt. Quod argumento est Boydum ad Nuncium quidem in Iberniam fasciculos illos transportasse. Sed quis eum saltem illa sibi credita ut oretenus communicaret, suis haereticis non aperuisse juret? Crediderim autem eum fuisse ex Iberno-Scotis, Antrimii, natu quidem Iberni, sed ex petra per avum paternum excisi, | amantissimis, et missum quo cum Nuncio in Ibernia ageret de administrandis indidem auxiliis, et 1474 v de obtinendis ex Urbe subsidiis in bellum mixtum partim

Catholicorum partim Regis causa apud Scotiam denuo instaurandum, tunc Parisiis ab Antrimio (nam ei ex Ibernia antea discessuro id Nuncius suggesterat) et Marchione Montrosano unanimiter decretum, quod annis superioribus ab ambobus praeclarissime gestum fuisse vidimus. Porro ejus innovandi societatem hanc secundam coierunt ad magnas Monstrosani instantias Parisiis anno 1647 apud Massarium, Decanum Firmatum, multiplicatas, a Nuncio Galliarum tunc Romam et Roma significatas Iberniae Nuncio, ut eas in Ecclesiae bonum secundaret. Verum Monstrosanus (ut superius tetigi) in hac secunda expeditione Scotica hostibus succubuit.

(854) Sed redeundum ad Oratores Iberos in Galliam destinatos, a quibus video nec pacem in Gallia cum Regina Angliae et Principe Walliae fuisse contractam, nec ipsos (Antrimium semper excipio, qui generosissime et integerrime se gessit) institisse exequendis instructionum capitibus momenti longe maximi, quorum aliis pace non contracta, aliis vero etiam contracta insistendum erat. Respondebunt autem se pene duos menses (nam sic reperio) Parisiis vel apud S. Germanum Suae Sanctitatis sententiam, sine qua pacem quoad articulos religionem spectantes ex instructionibus contrahere non poterant, ex Urbe expectasse, | et liquere ex tractatione cum Regina et Principe 2º Aprilis et 10 Maii se caste in hoc negotio gessisse, nec caepitis destitisse, nisi Suae Sanctitatis decisione non recepta, postquam satis cunctati essent, in magnos sumptus, cum tamen exhaustis pecuniis non abundarent, et sic non per se stetisse quin Comitorum Generalium ultimo celebratorum decreta et instructiones fuerint ad amussim observatae.

(855) Verum invenio Episcopum Fernensem et Nicolaum Plunkettum, quorum esset Suae Sanctitatis sententiam elicere, Romam non nisi 23 Aprilis appulisse. Quo tempore mox in Urbe didicerunt, cur Suam Sanctitatem premerent, ut suam circa religionis articulos pacis tractatu pangendos mentem declararet. Nam Fernensis 27 ejusdem mensis ad Nuncium in Iberiam ex Urbe scribens: “audit (inquit) sunt in curia Anglicana Parisiis Illustrissimi nostri Agentes. Ita ad nos scribit Doctor Tirellus (ab ipsis enim nullam lineam habuimus), cuius verba haec sunt: Agentes suas mihi instructiones ostenderunt, quos ad S. Germani fanum cohonestavi, ubi benigne recepti negotium fideliter et strenue secundum suas instructiones aperuerunt, referentes ad Suam Sanctitatem quod referendum esset, et apud se statuentes expectare quid vos praestare valeatis.” Sic ibi.

(856) His tamen non obstantibus a die Aprilis 23, quo | Fer-
nensis et Plunkettus Romam pervenerant, usque ad 13m Maii, | 1475
quo Regina et Princeps in Gallia responcionem peremptoriam
superius positam dederunt, juxta quam ob rationes ab ipsis ibi
tactas decretum ut pax non in Gallia sed in Ibernia absolveretur,
brevius excurrit temporis spatium quam quod Oratoribus
Romam destinatis ad respirandum ab anhelo tam longinqui
itineris labore; ad obtinendam in Aula Romana audientiam; ad
res et rerum statum Suae Sanctitati exponendum; ad ejus sen-
tentiam in re tanti momenti non nisi ex sera seriaque Cardinalium
in unum congregandorum consultatione pro more impetrinandam;
ac denique ad hanc, etiam citis et citatis equis et cursoribus, in
Galliam et in illam Galliae partem quae multum distaret, ex
Urbe significandam, par esse videretur, nisi omnes, quorum esset
et interesset, ad negotia undique expedienda certatim concur-
rissent, quod in rebus tam arduis ab Aula Romana, quae
plumbeo passu deliberare solet, diffiniendis non erat expectan-
dum, proindeque ab initio prudenter Nuncius senserat sed postea
sententiam mutavit. Qui 24 Decembris 1647 ad Cardinalem
Panzirolum circa binas illas Legationes, Romanam et Gallicam:
"Conatus (inquit) sum persuadere ut primo ad Sua Sancti-
tatem mitterentur, qui ejus super religionis articulis sententiam
obtinerent, nec alii antea hinc abirent quam ejus responsum
recepissent, ne Sua Sanctitas | suspicaretur futurum ut suaे 1476
sanctae deliberationes evaderent inanes, vel eo tempore obti-
nerentur quo executioni mandari nequirent; impetravique ut
Romam destinandi multo prius discedant quam alii; verum
deinde allegatis super hac re variis excusationibus, rationibus, et
praetextibus, voluerunt ut eorum responsiones in Gallia expec-
tarentur." Haec tunc Nuncius.

(857) Hic lectorem rogo ut horum legatorum in Galliam
missorum instructiones, seu monita suo loco superius posita
relegat, et, refricata eorum memoria, perpendat quantum causae
Catholicae et Iberniae damnum intulerint Muscrius et Brounus,
per quos, invito generosissimo Antrimio, stetit, quo minus ipsis
institum fuerit. Nam ex instructionum 2° ipsis insistendum erat
iis commissionibus et conventionibus in materia religionis et in
earum securitatem, quas Sua Sanctitas approbat, et quibus ipsi
satisficeret. Ex numero 3° insistendum erat ut Prorex Catholicus
obtineretur, nisi Summus Pontifex illum articulum considerato
Regni statu expungendum judicaret, quem ab eo expungendum,
non fuisse certum est. Ex numero 4° omnes articuli ad

*Reg: pag.
546, 562
et 573.*

religionem Catholicam in Regno stabiendi attinentes non (sicut in pace Glamorganica successisse vidimus) celandi, sed una cum aliis rerum temporalium articulis pace semel pacta promulgandi erant, nisi Sua Sanctitas aliter judicaret. Ex numero 5º Faederatorum Regimen Instructionum concessarum tempore stabilitum haud mutandum erat, nisi pacis articulis juxta easdem prius conclusis, perfectis, et promulgatis, ab iis quibus credita tunc esset authoritas in Faederatos. Ex numero 6º pace etiam contracta, in majorem ejus exequendae securitatem, | non Proregis, nec alterius, nec aliorum a Rege, Regina, vel Principe nominandorum, sed Concilii Supremi, non illius truncati ex septem viris a Nuncio excommunicatis compacti, sed integri, erat Rempublicam moderari usque ad sequentia Comitia Generalia, quibus integrum esset alios cooptare. Ex numero 7º cum Regina et Principe agendum erat juxta instructiones, idque receptis Roma decisionibus super rebus relatis ad Suam Sanctitatem. Ex numero 9º obtinendae erant omnino bonae circa temporalia conditiones, quarum naturam ex illo numero et actis ibidem citatis colligas. Ex numero 10º et 11º restituendi erant in integrum cum limitationibus ibi contentis tot tantique proceres, nobiles, aliquae omnes Catholicci ab anno primo Regis Jacobi sub praetextu ullius confiscationis vel *Plantationis* suis possessionibus spoliati. Ex numero 12º hujusmodi possessiones iniquis eorum possessoribus ab hoste stantibus, et pacem juxta has instructiones contrahendam repudiaturis, bello eripiendae haud aliis postea, quam iisdem Catholicis spoliatis vel eorum haeredibus concedendae erant, ipsisque uno vel pluribus actis parlamentariis confirmandae. Ex num. 13º insistendum erat ut nobiles ibi nominati in integrum restituerentur. Ex num. 14º Catholicorum Ibernorum patrimonii jacturam in Anglia passorum damna ex haereticorum in Ibernia bonis compensanda erant. Ex num. 15º non nisi his maximi momenti concessionibus ante alias obtentis rogaturi erant legati, ut pax in Ibernia stabiliretur. Ex num. 16º pace hujusmodi obtenta, apud Reginam et Principem insistendum erat, ut, interveniente eorum autoritate, aliquis excogitaretur modus, quo hostiles in Ibernia agri bello acquisiti vel acquirendi oppignerarentur, | vel aliqua alia reperiretur via procurandi subsidia, vel si opus esset dandi hypothecae ipsos Catholicorum Confaederatorum agros in Regni praeervationem. Ex numero 17º si pax talis cum tali procurandi subsidiis et Regni praeservandi via a Principibus concedenda non esset, exposituri erant legati Iberniae angustias, et rogandi Principes ut in auxiliis

1476

v

1477

aliunde procurandis assisterent. Ex num. 18° legatis praescriptum fuit, ut his omnibus mediis non successuris, Reginae et Principi notum facerent, aliquem Principem vel Potentatum ob Regni angustias in Protectorem eligendum, qui Iberniae Catholicis opem ferret in obsequio erga Regem perstituris, se ipsos praeservaturis, et Regnum suae Majestati retenturis, non obstante quacumque ejusmodi Protectoris cooptatione. Ex num. 20° antequam ad Protectorem eligendum veniretur, legatis tentandum erat, an a Catholicis in Gallia vel alibi competentes pecuniae summas in Regni subsidium accipere possent, tradendo ipsis, in solutionis securitatem, bello partim erecta, partim eripienda hostium latifundia, punctiones, loco piscaria, et ipsorum Catholicorum (si necessum foret) patrimonia, ipsaque Regni praesidia, excepta una Duncania. Ex num. 21° his omnibus mediis deficientibus, eligendus erat Protector, eademque ipsi tradenda in subsidiorum, quae datus esset, a Catholicis Faederatis rependendorum securitatem. Ex numero 24° Suae Sanctitati ante alias omnes offerendum, ut in Iberniae Protectorem assumeretur, Suaque Sanctitate responde, eligendus erat in Protectorem a legatis in Urbem, Galliam, et Hispaniam missis alius Princeps vel Potentatus a Sua Sanctitate commendandus, si tamen legatis Romam missis idoneum videretur commendationem illam postulare. |

(858) Si legati in Galliam missi his monitis (sicut tenebantur) 1477 institissent, rebus Ibernicis optime providendum fuisse quis ambigat. Nam vel optimas pacis conditiones easque secure exequendas et Proregem Catholicum obtinuissent, vel certe denegatis ejusmodi articulis ipsi cum legatis Romam missis operam dedissent ut Iberniae potentissime subveniretur, si non aliis viis per monita illa expressis, certe cooptando vel Summum Pontificem, vel alium aliquem Principem in Protectorem potenter et libenter succursurum, ea lege ut in subsidii, quod suppeditaturus esset, sibi rependendi securitatem hostium in Ibernia possessiones, Regni punctiones, et loca piscaria, et ipsorum Catholicorum patrimonia, imo Regni praesidia haberet, excepta Duncania; praeter quam Catholicis tunc erant nobiles civitates, oppida, et propugnacula, Limericum, Waterfordia, Wexfordia, Galvia, Kilkennia, Clonmellia, Athlonia, Killocia, propugnaculum Carolomontanum, Mariamburgus, Athenria, praeter alia minoris momenti loca partim mediterranea, partim maritima. His autem conditionibus suppetias abundantissimas obtinendas fuisse quis dubitet?

1478

(859) Respondebunt legati in Galliam missi, quod Fernensi et Plunketto in Urbem significarunt, et hi duo suae scripturae Illustrissimo Domino Albitio apud Urbem 10 Junii missae, atque inferius ad longum collocandae inseruerunt, nempe *Reginam et Principem Walliae decrevisse non concedere Gubernatorem Catholicum* | in Ibernia, et sic non potuisse pacem statui juxta Suae Sanctitatis sententiam et sensa Faederatorum. Verum haec causatio inanis est. Nam legatis illis praescriptum fuisse vidimus, ut pace juxta instructionum limitationes etiam a Principibus denegata ad media illa per easdem expressa, quibus potentissima subsidia procuranda essent, recursum haberent, et omnibus aliis viis deficientibus Protectorem eligerent, qui conditionibus jam dictis vellet et posset liberaliter subvenire. Quare legati in Galliam missi, non Antrimius, quem semper summis laudibus cumulandum sentio, sed duo alii, Muscrius et Brounus, cum in hoc tanti momenti negotio, in quo totius nationis et Ecclesiae Ibernicae causa verteretur, suis partibus defuerint, non video quomodo fidem in se positam turpissime non fefellerint, fidemque habet eos potius operam dedisse, ut suum Ormonium de male tractata antea apud Iberniam sua Proregis provincia, et de infami Dubliniae aliorumque ibi praesidiorum traditione Principibus purgarent, eumque in Iberniae Proregem iterum destinandum curarent, suamque sub ejus alis factionem promoverent, quam ut Proregem Catholicum vel pacem optimam juxta instructiones obtinerent, vel pace denegata Iberniae suppetias per Protectoris electionem aut alias vias in instructionibus contentas procurarent. Hic autem inserendum duxi quod Nuncius de Ormonistarum machinationibus inter ultima Regni Comitia Generalia Kilkenniae mense Novembri et Decembri celebrata adhibitis, et aliis | eorum molitionibus eodem fonte postea natis tradit: "Consentiebant (inquit) ut Oratores ad Reginam Angliae et Principem Walliae allegarentur, ad ineundam viam postliminio restituendi pacem in religionis utilitatem, et alii postulandorum subsidiorum ergo ad Sanctitatem Vestram et Coronas mitterentur. Proregis redditum omnes tacebant, imo multi se eum nunquam admissuros protestabantur. Legatorum electio fuit singulariter ingeniosa. Omnes personae suspectae Regno ablegandae erant ut rebus concludendis non intercederent. Quamobrem destinati fuere Romam Fernensis et Plunkettus, velut qui authores fuerint ut O Nellus in Lageniam veniret, et hanc ob causam tanquam nimis propensi in illam partem. In Galliam, quo Muscrius et Doctor Brounus cum omnium arcanorum summa

1478

v

Relat:
Cap. 23.

destinabantur, tentarunt ut in tertium adjungerent Episcopum Clogherensem, virum capacissimum et habitum eorum, quae Dominus Eugenius egisset, directorem unicum. Verum Episcopus, cognito in quem finem honor ille sibi fabricaretur, in eum se opposuit modum, ut calcatis eorum minis, remanserit in Insula. Itaque ejus loco mandatus fuit Marchio Antrimiae, et ipse Ultoniensis, homo quam recta mente praeditus, tam in tractandis negotiis remissus, et tunc animum despondens, quod suum suffragium ad nullum bonum conducturum judicaret, cum, juxta eorum mandatum duorum suffragiis acquiescendum esset. Muscrius autem et Brounus praeter capitula palam facta habuerunt in monitis secretis ut in Gallia Marchionis (Ormoniae) redditum procurarent. Qui de rebus omnibus monitus venerat ex Anglia, duobus tantum famulis assistentibus, in Aulam Christianissimam, et ibi suae Reginae, et forsitan etiam Galliae | Ministris persuasit, se, modo cum suo officio in Iberniam rediret, et Papae Nuncius deturbaretur, suae Majestati nec non Principi, ejus filio, straturum mox viam ad accessum et receptionem in illo Regno. Regina enim indies magis magisque desperans futurum ut Anglia recuperaretur, et abhorrens a ponenda spe in Scotia, ubi maritus venditus erat, nihil magis habebat in votis quam ut quiesceret et se reciperet in Iberniam. Sic paulatim ibant maturatum consilia, inter quae mihi semper magis persuadeo quod etiam de Sanctitatis Vestrae pecunia, quae post quatuordecim menses neccum allata fuit, occupanda agebatur. Siquidem ad meas manus devenit apographum monitorum legatis Romam missis datorum, quibus praescribebatur ut, siquam pecuniae summam obtinuissent, mox instarent ut non Nuncio sed ipsis daretur." Haec Nuncius.

(860) Non deerunt forsitan qui causabuntur Legatos in Galliam missos cum Regina Angliae et Principe Walliae inter primos congressus juxta instructiones viriliter egisse, sed supervenientibus discordiae in Ibernia circa inducias nasciturae praesagiis fuisse coactos ad consentiendum 13^o Maii cum Principibus ut pacis tractatus in Ibernia modo superius indicato celebraretur, quo citius ipsi Legati in Iberniam redirent, suis in ea induciarum controversia non defuturi, ne in suam suorumque ruinam Nuncius, Eugenius O Nellus, eorumque partes evaderent superiores. Verum ut lector hunc controversiae articulum clarius intelligat, moneo | diem 13m Maii stylo novo, qua Reginam et Principem Walliae ultimum scripto responsum Oratoribus in Gallia responsum fecisse vidimus, fuisse diem Maii

1479

1479

v

1480

3am (stylo veteri, qui in Ibernia viget) ante quam non nisi pridie Clerus nostras Kilkenniae sedens Nuncio et quatuor aliis Praelatis suam ad prohibendas censuris inducias potestatem delegaverat, postquam inducias a Clero ibidem damnatae essent 27 Aprilis stylo Ibernico, adeoque veteri, proindeque 7 Maii stylo novo et Gallicano. Quis autem hic non admiretur justi Judicis Dei Deorum providentiam, a quo factum ut profesto ipsissimae diei, qua Regina Angliae et Princeps Walliae pravis Ormonii, Germani, Digbaei, aliorumque haereticorum consiliis ducti, et Muscrii ac Brouni suggestionibus instigati, praefatum responsum peremptorium, quod ad Ormonium in Iberniam destinandum tendebat, dederunt, Clerus ab harum molitionum scrutatore impulsus et in Ibernia longe gentium dissitus, inducias istarum molitionum basim et fundamentum, censuris praepediendas decreverint, et facultatem eo spectantem delegaverint, ut illi veneno, malisque innumeris exinde securis antidotum adhiberent. Denique ipsissimis diebus, quibus, nedum in Ibernia a Concilii Supremi parte Ormonica, sed etiam in Gallia | a Principibus et praefatis eorum pravis Consiliariis ac suggestoribus, de via ad Ormonium in Iberniam destinandum et ad legationes exteriores et Comitiorum Generalium sanctiones frustrandas sternenda agebatur, Nuncius et Iberniae Clerus patre Luminum inspirante sibi aliam viam ad hos cuniculos politicos evacuando muniebant.

(861) Ex hoc, quem subduxo, calculo non nulla nobis ponderanda sunt. Primum est Reginae, Principi, Ormonio, et aliis jam dictis in Gallia, antequam praefatum responsum legatis Ibernis 13 Maii stylo novo datum esset, innotuisse Insequinnum Parlamento ex Independentibus in Anglia compacto nuntium remisisse et partes Regias amplexum fuisse. Nam Joannes Barrius ab Ormonio missus ad medium Februarium navi Corcagiam appulsus, ita eum propositis ex parte Regis praemiis aggressus erat ut 3° Aprilis stylo veteri Insequinus hanc suam mentem in Ibernia palam fecerit, postea etiam Londini et in Gallia nedum aliter notam, sed et typis mandatam ante factam legatis Ibernis a Principibus in Gallia 13 Maii stylo novo jam dictam ultimam responcionem. 2m est iisdem Principibus eorumque jam dictis consiliariis et Legatis Ibernis ante diem et responcionem praefatam constitisse inducias inter Concilium Supremum et Insequinnum esse in motu. 3um est eam quidem controversiae suaviorem partem, quae Nuncio cum Concilio Supremo circa inducias ab initio Aprilis, deindeque eo mense

procedente intercesserat, iisdem Principibus in Gallia ante praefatam suam respositionem si non innotuisse, certe innotescere potuisse; vix tamen antea de Cleri declaratione in armorum cessationem 27 Aprilis stylo veteri, | proindeque 7^o Maii stylo novo et Gallicano, Kilkenniae condita ipsis ex Ibernia fuisse significatum. Porro citra controversiam est eos eorumque Aulam ante ultiman illam respositionem 13 Maii stylo novo in Gallia factam haud hausisse notitiam decreti a Clero de prohibendis per censuras induciis pridie Kilkenniae conditi, longeque minus aliorum postea in Ibernia super ea controversia gestorum, adeoque nec censurarum, nec appellationis interpositae, nec ejusdem rejectae, nec aliarum discordiarum, quae posterius successere.

1480

v

(862) Nuncius etiam in Ibernia quid de Oratoribus Ibernis in Galliam missis ante fulminatas censuras audierit, ipse 20 Maii stylo veteri in Diarium ibi retulerat: "Visae (inquit) sunt litterae ex Gallia, quae in summa continent res infrascriptas, nempe Marchionem Ormoniae totis viribus conari et a multis secundari ad redeundum in Iberniam, et praecipuam ab eo poni spem in Praefecto Generali, Taaffo, et praefatis Momoniae induciis, hujusque Regni Oratores, praesertim Marchionem Antrimiae, existimare se reddituros absque spe obtinendi a Regina et Principe illas conditiones, quas antea circa religionem expectabant, suamque Majestatem agere de conveniendo cum factione Praesbyteriana, quatenus id assequatur ut Anglia ex parte pro se faciat et eo Principem mittat." Haec ibi Nuncius, septiduo ante censuras fulminatas, et ipsissimo die quo induciantes armorum cessationi subscriperunt. Idem autem Iberniae Nuncius de litteris posterioribus ad se ex Gallia | missis, et exactius de hac re mentionem facientibus, Nuncio Galliarum ex urbe Galviensi 2 Julii scribens: "Illustrissimae (inquit) Dominationis vestrae litteras 22 Maii datas et annexas ex Aula (Romana) scriptas recepi ita ut illae, quas se prius Rupellam misisse significavit, nunquam pervenerint." Haec ibi. Porro

1481

hae litterae 22 Maii scriptae, de quibus hic loquitur, sunt (credo) ipsissimae, quas post ultimam Reginae Angliae et Principis Walliae respositionem 13 Maii stylo novo Oratoribus Ibernis datam missas fuisse diximus, una cum aliis ab Antrimio 20 Maii ab Abbatore Crelio 24 ejusdem mensis (ut vidimus) ad se missis, latore Boido, Scoto et haeretico superiori memorato. Caeterum in illis litteris 22 Maii scriptis Nuncius Galliarum de Oratoribus Ibernis, quos ille Commissarios vocat, loquens: "In hac (inquit)

Reg:
p. 627.

Aula haud aliud obtinerunt responsum quam verba generalia alludentia ad illam pacem, quae recepta non fuerat, foreque ut consulto ad tractandum aliquis istuc mittatur. Ex his autem ipsis Dominis Commissariis Marchio Antrimiae solus remansit pro boni publici observantia, et dubitatur ne alii redeant vel mandent, quo ipsi eorumque partes praevaleant illis, qui haud tam provide rebus suis invigilant, sicut dicunt et illi sibi spondent et hic spem fecere, licet forsan istic non sint praevalituri." Haec ille Italice et manu propria.

(863) Ex his etiam quae dixi, colligere est, Concilio Supremo, seu parti ejus Ormonicae per litteras ex Gallia missas, et forsan (ut credere par est) per occultos internuncios facilis negotio ante contractas 20 Maii stylo Ibernicō | inducias constare potuisse de Reginae Angliae, Principis Walliae, Ormonii, aliorumque haereticorum Principibus a consiliis et binorum legatorum Ibernicorum Ormonio studentium mente demum per illam Principum respcionem 13 Maii stylo novo et 30 Maii stylo Ibernicō legatis datam manifestata. Quare mirari desino, cur Concilii Supremi pars Ormonica numero potior nulla lege a Clero Ibernicō et Nuncio adduci potuit ut contrahendis illis induciis desisteret, sed fraudulentissima violentia tot technis violata et sententia inflexibiliter perstiterit.

(864) Jam rerum ordo postulat ut tradamus quo pacto Episcopus Fernensis et Nicolaus Plunkettus a Faederatis ad Suam Sanctitatem allegati legationem obierint. Illi ergo 17 Februarii ex Ibernia velis vento datis Romam 23 Aprilis 1648 pervenerunt. Alibi autem vidimus fuisse Oratoribus tam his quam illis in Galliam missis, datum in mandatis, ut non alia cum Regina Angliae et Principe Walliae in Gallia pax contraheretur, quam cui circa religionem et res in Ibernia ecclesiasticas illi inserentur articuli, quos Sua Sanctitas auditis Oratoribus Romanis ratos gratosque habuisset, paceque hunc in modum non successura praescriptum esse iisdem Oratoribus ut juxta limitationes superius positas inter Principes exterios Protectorem eligerent, et ante alios ipsum Pontificem, dum consentire vellet, cooptarent. Has Faederatorum deliberationes, ubi Innocentius Xus per Nuncii litteras ex Ibernia scriptas didicisset, | respondit ejus nomine eidem Nuncio 4° Maii 1648 notis privatis Cardinalis Panzirolus: "Quantum (inquit) ad promovendum cum Regina Angliae pacis tractatum attinet, Sua Sanctitas haud aegre hanc sententiam amplectitur, modo ita ipsi negotium aperiatur, ut sperari possit bonus exitus. Verum Dominationem vestram non

1481

v

1482

latet quam parum causae Catholicae profuerint tractatus aliis temporibus suscepti a Regina, cuius bona voluntas tametsi multis comperta fuerit argumentis, spem tamen dare non potest debitae securitatis, cum eam a praebenda Catholicis satisfactione satis praepedit Germinus, et alii haeretici, qui ei famulantur. Si Episcopus et Plunkettus ea de re cum Sua Sanctitate egerint, Dominationi Vestrae per alias litteras significabo constantem Suae Sanctitatis respcionem. Quod autem ad factam a Comitiis Generalibus deliberationem recurrendi ad Principis externi protectionem spectat, quid per illum Protectoris titulum praetenditur idem Episcopus et Plunkettus ubi exposuerint, potero secum majori cum fundamento discurrere quam nunc fieri potest. Addo tantum quod sicut Sua Sanctitas istius Regni Catholicis nullam hactenus non optavit utilitatem, sic cupit ut in futurum ejusmodi deliberatio in eam ipsorum redundet opem, quae ad eorum causae indigentiam quadret. Quare in eo Dominationis vestrae reluxit prudentia, quod in hoc Suam Sanctitatem non obligaverit, et erga alios Principes declaraverit esse indifferentem." Haec Italice Cardinalis, quae Nuncius ad ineuntem Julium | in Ibernia recepit, sicut ipse 4^o Julii 1648 eidem Cardinali significavit.

1482

v

Reg: p. 633.

(865) Binis illis Oratoribus Ibernis circa Idus Maias ad Suae Sanctitatis audientiam in Urbe admissis et humanissima dignatione cumulatis, idem Cardinalis 8 Junii 1648 notis arcannis et Italice Nuncio in Ibernia significavit, quid Pontificem oraverint: "Duae (inquit) sunt instantiae, quas usque modo Iberniae Oratores moverint apud Suam Sanctitatem, sicut Dominatio vestra videbit in adjuncto hic memoriali signato numero primo. Una est (cujus etiam exemplar numero 2^o signatum mitto) ut Sua Sanctitas suam circa pacis articulos sententiam declaret. Altera est ut continentur subsidia Pontificia. De protectione autem nullam fecerunt mentionem. Quo fit ut credatur vel eos existimasse rem esse peractu difficilem, vel certe in Gallia esse conclusam, praesertim cum auditum sit Oratorum in Franciam missorum duos, qui Ormonii partibus student, esse jam in procinctu ad discedendum ex Aula. Dominis Cardinalibus Congregationis datae sunt examinandae illae scripturae Suae Sanctitati praesentatae, et super iisdem quamprimum tenebitur congregatio. Interea hi Oratores eosdem Cardinales rerum notitia imbuunt." Haec ibi.

(866) Cardinalium Congregationi tunc dierum rebus Ibernicis in Urbe praefectae erat a Secretis Illustrissimus D. Franciscus

1483 Albitius, nunc S.R.E. Cardinalis | meritissimus, cui duo oratores Iberni jam dicti hoc anno 1648 Romae legationem obeuntes subinde scripto vel tradebant vel mittebant, quae interponere solerent, postulata praefatae Congregationis Cardinalibus exponenda, eique 10 Junii 1648 scripserunt his verbis.

“ Illustrissime Domine.

(867) “ Ut non distineamus nostro ad vos accessu suam Dominationem Illustrissimam a gravissimis suis negotiis, mittimus inclusam scripturam, enixe rogando ut dignetur ea perlegere atque expendere. Vere ingentem reponimus confidentiam in Dominatione Vestra Illustrissima, sperantes vestra opera, quae semper Iberniae utilis erat, supplicationem nostram justam et religiosam plurimum adjuvandam. Regina Angliae 13^o Maii directa ab haereticis Ministris dedit nostris agentibus pro tractatu pacis responsum vanam, artificiosam, et Confaederatis Catholicis minime securam. Si unquam modo opus est festina sententia ac resolutione Suae Sanctitatis in negotio religionis ut elidantur eorum fraudes, qui ex mora in hac Curia intendunt Confaederatos Iberniae dividere, et per hoc religionem et cultum Dei prostertere in illo Regno. Speramus frustrandas horum ministrorum lucubrationes. Non permettet Deus ut serpens astutiae decipiat simplicitatis columbam, quia non est scientia, non est sapientia, non est consilium contra Dominum. Veritas evincet mendacium, et Suae Sanctitatis festina resolutio | hujus farinae haereticos homines confundet. Ad hunc effectum hinc cito obeuntes strenuam dabimus operam.

1483
v

Nicolaus Fernensis.
Nicolaus Plunkett.”

10 Junii 1648.

(868) “ Unam similem scripturam tradidimus Eminentissimo Domino Panzirolo, qui eam tradet Suae Sanctitati. Item Cardinalibus Capponio et Caraffae.” Haec illi.

(869) Scripturam autem illam (ut ipsi dicunt) inclusam et una missam, cuius etiam similem Cardinali Panzirolo ut eam Suae Sanctitati praesentaret et aliis Cardinalibus, hic habe:

“ *Tres praecipuae rationes, ob quas hic et nunc Faederati Iberniae Catholici expectant subsidia a Sua Sanctitate.*

(870) “ 1. Posito quod pax concludi possit juxta Suae Sanctitatis sententiam inter Faederatos et Reginam Angliae, Principemque Walliae, habebunt Faederati tot hostes quot habuerunt antea, omnes scilicet Parliamentarios, qui tam Regis

quam Faederatorum sunt hostes jurati. Ii nec paci initiae obtemperabunt, neque ipsius Regis mandatis. Ergo subsidia Sedis Apostolicae sunt Faederatis tam necessaria post talem pacem initam ac si nunquam fuisset inita.

(871) "2. Regina Angliae et Princeps Walliae vel Commissarii pro ipsis ad tractandum de pace, nunquam assentient in capitula contenta in sententia Suae Sanctitatis, nisi viderint Faederatos | Catholicos in eo statu, ut possint debellare Parlamentarios in 1484 Ibernia, et Regi Regnum restituere. Maxima enim ratio movens Reginam et Principem ad concordiam cum Confaederatis est Regnum Iberniae iterum possidere. Si ergo Faederati non erunt ita subsidiis adjuti ut possint se ipsos tueri et hostem superare, desperanda est pax; quia non est finis ob quem a Regina fieri statuitur. Imo in hoc casu pacisci faedus aut pacem cum Faederatis multum noceret rebus Regis. Solum enim provocaret hostes Parlamentarios ad majorem invidiam concedendo Catholicis pingues articulos, quando ipsis desunt media tam ad superandum hostem, tam ad Regnum pro Rege defendendum.

(872) "3. Hae duae rationes veteres sunt, et jubemur a Faederatis jam exponere Suae Sanctitati. Sed ecce tertia et recens ratio datur, qua pax cum Regina redditur impossibilis. Scribunt enim ad nos Commissarii pro pace tractanda ex Galliis quod Regina et Princeps Walliae decreverint non concedere Gubernatorem Catholicum in Ibernia, et sic non potest pax statui juxta Suae Sanctitatis sententiam et sensa Faederatorum. Itaque pace jam facta desperata Catholici Faederati sunt in eadem necessitate subsidiorum Pontificiorum, sicut antea. Forsan etiam aliqui, si subsidia Roma non veniant, separabunt se ab unione Faederatorum, transiliendo ad partes Reginae, et sic cogemur contra istos etiam pugnare. Dici potest Decanum Firmanum jam recenter appulisse in Iberniam bonis subsidiis instructum. Duo hic Suae Sanctitati exprimere fas est et nostri officii: 1m, | magnam subsidiorum istorum partem in coemendis fregatis, aliisque necessitatibus per sesquiannum consumpsisse debuit Decanus. 2m, Illustrissimus Rinuccini credita habuit ad minus undecim millia scutorum ex illis subsidiis refundenda." Haec illi.

(873) Eidem etiam Illustrissimo Albitio 4^o Julii 1648 scripserunt his verbis:

"Illustrissime Domine.

"Eramus duabus vicibus ad Eminentissimum D. Capponium, in cuius manu sententia Suae Sanctitatis est absoluta, quae si

tempestive veniat in Iberniā bonis auxiliis suffulta a nemine prorsus timendum est. Aliter certe fieri poterit magna rerum Ibernicarū mutatio per astum ac diligentiam Ormonii, qui nulli rei magis studet quam ut Illustrissimum Rinuccini et Praesules, Clerumque Iberniae deprimat et confundat, quia eos habuit paci ipsius et ambitioni adversantes. Jam palam loquitur omnem faciendo apparatum ad motus contra ipsos excitandos. Si essemus in patria cum Suae Sanctitatis sententia et subsidiis, aliquid cum Dei gratia possemus contra ipsum moliri. Quapropter rogamus Illustrissimam Dominationem vestram quatenus suam impendat operam apud Suam Sanctitatem, ut continuo hinc expediamur. Deus dabit pro zelo et laboribus mercedem.

Nicolaus Fernensis.

4° Julii 1648.

Nicolaus Plunkett." |

- 1485 (874) Decima deinde die Romam Lutetia Parisiorum appulit *quidam* (inquiunt duo Oratores) *nostras*, Abbas Cistertiensis, quem conjecto fuisse Abbatem Crellum superius memoratum, a quo cum melius rescivissent, qua fide Oratores Iberni ad Reginam Angliae et Principem Walliae in Galliam allegati suas partes egerint, postridie eidem Illustrissimo Albitio scripserunt his verbis:

" Illustrissime Domine.

(875) " Nostris diligentiis, cum ad afflictæ patriæ solamen tendant, non fatigabitur tua bonitas. Mittimus fructum pecuniae per Illustrissimum Rinuccini mutuatae. Heri ad nos venit quidam nostras, Abbas Cistertiensis, vir intelligens, post moram trium mensium in Curia Anglicana S. Germani, ubi exploravit Concilii istius occulta consilia. Ipse clare et distinete dicit res: illud Concilium, totum Praesbyterianum, decrevit secare in partes Confaederatos Iberos. Organum hujus mali statuitur Ormonius. Factus est Commissarius ad tractandum de pace. Sub illo titulo est iturus in Iberniā. Salutatur Prorex Iberniae, etiam a Cardinale Mazarino et curia Gallicana. Jam praemisit in patriam homines potentes et aptos ad factiones excitandas. Ipsa Regina oppignerat gemmas Coronae Angliae ad Ormonium promovendum. Profecto si numis auctus perget ad propria, reddetur res difficilior, quia pecunia ubique facit militem venalem. Denique statutum est et fixum apud Dominam Reginam et consiliarios suos aut factionibus in proxima Assemblea Faederatos Catholicos in ipsorum opinionem pertrahere, aut vi compellere. Hinc Sua | Sanctitas potest facile v divinare in quo statu atque periculo stant res Illustrissimi

*Reginae
Angliae et
filii Aula
in Gallia et
Concilium.*

1485

v

Rinuccini et Cleri Iberniae. Unde si unquam populus fidelis habuit opus nostra praesentia et laboribus modo est tempus opportunum, antequam emissarii Ormonii hominum animos conciliare poterunt, aut ipse cum numis transire in patriam. Propterea nos nihil aliud (ita nos amet Deus) p[re]ae oculis habentes quam timorem mali quod religioni et patriae potest evenire, supplicamus humillime ut dignetur Sua Sanctitas servos suos cum sententia diu expectata et subsidiis munitos dimittere; quod si cito fiat, speramus in eo, qui potest omnia, fore, ut resistamus operibus et diligentissimis eorum, qui student factionibus Christi tunicam dividere et Ecclesiam Dei evertere. Iterum oramus ut velit Illustrissima Dominatio vestra de hac nostra mente Suam Sanctitatem informare.

Nicolaus Fernensis.

13 Julii 1648.

Nicolaus Plunkett."

(876) Ut autem nova a Pontifice subsidia efficacius impetrarent, ostendendum erat missas a Sua Sanctitate cum Massario suppetias magna ex parte fuisse creditoribus, qui Nuncio in Ibernia pecunias mutuo dederint, prius debitas, et in Faedera-torum expeditionibus atque aliis rebus hac ratione antea collocatas, quam Romae concessas, nedum transportatas; fructusque harum expeditionum erat ob oculos ponendus, quem (ut ipsos dixisse vides) una cum praefata *scheda* 15 Julii data eidem Illustrissimo Albitio miserunt, sicut hic habes. |

"*Fructus Pecuniae mutuatae, undecim scilicet mille scutorum, a Domino Nuncio.*

1486

(877) " D. Decanus coemendo fregatas et alia necessaria, et in mora sua sesquianni, multa ex subsidiis consumere debuit. 2°. D. Nuncius accepit mutuo 11,000 scuta ex istis subsidiis refundenda. Quando ipse cum Clero Ormonicae paci adversari caepit, accepit mutuo triginta millia scutorum, quibus pacem Ormonii fregit, ipseque eripuit per exercitus, Lagenensem et Ultonensem, 45 castra et pingue terrae tractum. Vocatur patria *de Leis* circa 20 milliaria Italica continens, hodieque incolitur ab Eugenio O Nello, Generali, populoque Ultonensi, qui exulat a sua propria Provincia. Etiam venisset Dublinum in manus nostras nisi propter dolum Marchionum Ormoniae et Clanricardiae. Hic habet Sua Sanctitas subsidiorum per D. Decanum transmissorum non spernendum fructum, quem vir diligentissimus, Rinuccini, fecerat pecuniis mutuatis. E dictis 30

scutorum millibus restituenda manet per Illustrissimum Rinuccini (prout supra insinuavimus) summa undecim vel duodecim mille scutorum. Reliquas summas exonerarunt ipsi Confaederati." Haec ibi.

(878) Jam haud semel vidimus Comitia Iberniae Generalia, eaque ultima mense Novembri et Decembri anno 1647 Kilkenniae celebrata, statuisse ut pacis cum Regina Angliae et Principe Walliae hoc anno contrahendae articuli ad religionem spectantes haud alii essent quam quos Pontifex Innocentius praescribere vellet. Vidimus etiam | binos legatos Ibernos Romae haud semel institisse ut Pontifex suam hac super re sententiam declararet. Ut autem Sua Sanctitas hujusmodi articulos melius componeret, Nuncius Cardinali Panzirolo etiam hoc anno ex Ibernia in Urbem transmiserat articulos ad religionem, res et personas ecclesiasticas pertinentes, quibus nisi ante omnia obtentis Comitia Generalia ad ineuntem annum 1647 in Ibernia celebrata pacem haud contrahendam statuerant. Ex quibus atque aliis additamentis articulos Romae hoc anno compactos fuisse colligo, quae Fernensis et Plunkettus in suarum trium rationum Illustrissimo D. Albitio 10 Junii 1648 scriptarum et superius positarum 2a vocare videntur *Capitula contenta in sententia Suae Sanctitatis*. Et rursus 4^o Julii (ut superius vidisti) eidem scribentes: "Eramus (inquiunt) duabus vicibus ad Eminentissimum D. Capponium, in cuius manu sententia Suae Sanctitatis est absoluta. Sed quomodo absoluta tunc fuit cum ipsi postea institerint ut Sua Sanctitas suam hac ex parte sententiam declararet? Respondetur praeparata fuisse illa capita et articulos, deindeque Cardinali Capponio traditos ut Suae Sanctitati praesentarentur ratificandi, nec alio sensu intelligenda esse quae Oratores locis praefatis dicunt. Mihi quoque in Nuncii Scriniis occurrit folium ejusmodi articulos continens et hic sequitur.

"Articuli in materia Religionis qui considerato praesenti
rerum statu in Ibernia judicantur opportuni per
Eminentissimum D. Cardinalem Capponium porrecti
Sanctissimo Domino Nostro.

(879) "1^o. Omnes Romanae Catholicae religionis professores gaudeant libero publicoque exercitio dictae religionis, suarumque | respective functionum per universum Regnum Iberniae.

(880) "2^o. Clerus Catholicus exerceat impune omnem spiritualem ecclesiasticamque jurisdictionem super Catholicos

praefatos per omnes Regni diaeceses, parochias, districtus. Similiter Catholici subjiciantur in omnibus causis materiisque spiritualibus atque ecclesiasticis per universum Regnum soli jurisdictioni et foro Cleri Catholici. Catholici reddant decimas suas omniaque de jure reddenda Clero Catholico per universas Regni diaeceses, parochias, districtus.

(881) " 3°. Romani Catholici Archiepiscopi, Episcopi, Vicarii Generales tam Apostolici quam Capitulares, Decani, Dignitarii, praebendarii, ecclesiarum Rectores, vicarii, aliaeque personae ecclesiasticae, eorumque legitimi successores, in perpetuum in et per universum dictae Iberniae Regnum, in diaecesisibus, decanatis, dignitatibus, praebendis, personatibus, vicariatibus, aliisque ecclesiasticis beneficiis in dicto Regno cum cura et sine cura habebunt et possidebunt omnes Cathedrales, aliasque ecclesias, domos, fundos, terras, et redditus ex iis provenientes spectantes de jure ad dictos Archiepiscopatus, Episcopatus, etc., *quae nunc non possident actualiter, sed possidentur ab adversa parte.**

(882) " 4. Romano Catholico Clero in omnibus praefatis diaecesisibus, parochiis, et districtibus respective more Ecclesiae Romanae Missam celebrare, sacramenta administrare, omniaque cultus divini officia praestare impune licebit in praefatis omnibus ecclesiis.

(883) " 5. Dicti Romani Catholici Archiepiscopi, Episcopi, etc., in diaecesisibus, decanatibus, etc., haebebunt et obtinebunt omnes Cathedrales aliasque ecclesias, domos, fundos, terras, et redditus ex eis pervenientes et spectantes ad dictos | Archiepiscopos, Episcopos, etc., etiam quae modo sunt in actuali possessione partis adversae, modo ea recuperent et eripiant a manu et potestate illorum, qui sunt partis adversae in illo Regno, et qui noluerint obedire paci in omnibus suis membris et partibus, vel qui a tempore pacis conclusae committent vel exercebunt ullum hostilitatis actum contra dictos Catholicos Confaederatos. Clero Catholico more Ecclesiae Romanae Missam celebrare, sacramenta administrare, omniaque cultus divini officia praestare impune licebit in praefatis omnibus ecclesiis recuperatis aut in suam potestatem redactis.

1487
v

(884) " 6. Archiepiscopatum, Episcopatum, dignitatum, et beneficiorum omnium ecclesiasticorum collatio fiat sicut ab initio praesentis belli facta est, reservato interim Regi ejusque legitimis successoribus (quando a Deo inspirati ab errore ad veritatem

* Alias forsitan sic: *quae nunc possident actualiter et non possidentur ab adversa parte.*

redibunt) jure quocumque, quod praetendere possent, praesentandi.

(885) " 7. Pro securitate dictarum conventionum Prorex vel primus a Rege in Ibernia sit Catholicus Romanus. Honores et gradus in civili magistratu, militia, praesidiis, castris, civitatibus, oppidis, distribuantur Catholicis aequae ac Protestantibus, cum hac tamen differentia ut sint plures Catholici, quibus tales in Republica dignitates nec non praedia, castra, civitates, etc., credantur, quam Protestantes, quia Catholicorum longe major pars est in Regno; ad minus itaque sint duo Catholici pro uno Protestante.

1488 (886) " 8. Omnes tam veteres quam recentes leges paenales ac statuta, quae ullo modo evertere poterunt aut impedire praedictas pacis conventiones, aut e quibus afferri potest | explicite vel implicite ulla praetensio aut color interruptionis contra easdem reprobentur et cassentur.

(887) " 9. Demum pax ista cum omnibus partibus ac membris suis confirmetur, inactetur, et roboretur in Parlamento libero proxime tenendo in Regno Iberniae, et donec hoc fiat Faederati Catholici omnem manuteneant, quam modo habent, potestatem et autoritatem in exercitibus, magistratibus civilibus, praesidiis, castris, civitatibus, oppidis pro dictis conventionibus pacis ineundae sibi assecurandis.

(888) " 10. Si vero propter aliquod impedimentum aut casum pax non poterit stabiliri isto praesenti tempore, et res Catholicorum in Regno Iberniae majus acceperint incrementum ad articulos istos, alios favorabiores pro religione Catholica et Confaederatis Romanis licebit adjungere, et supradictos articulos secundum statum Catholicis magis propitium amplius explicare aut immutare." Haec ibi.

(889) Hos articulos, an alias, vel nullos, Summus Pontifex ratos habuerit, inferius declarabitur. Interea hic habe quod Cardinalis Panzirolus 20 Julii 1648 notis arcanis et Italice Nuncio in Iberiam ex Urbe significavit.

(890) " Continuant (inquit) semper Episcopus Fernensis et Plunkettus suam Romae moram, et ut quam primum dimittantur, frequenter instant, repraesentantes magnum sua hic cunctatione, dum Marchionis Ormoniae factio invalescit, Regni negotiis procreari posse praejudicium, dubitantque ne in Gallia decretum fuerit ut is Proregis titulo insignitus istuc remigret. Sua Sanctitas, ut ipsis hac ex | parte satisfaceret, coram se Congregationem convocavit, et D. Cardinali Capponio praescripsit ut hos

Oratores audiret ad deliberandum postea de iis quae facere expedit. Totum successit. Quare credo me Dominationi vestrae cum r^o tabellione significaturum Suae Sanctitatis sententiam circa horum Oratorum tractationes. Urgent ut pacis articuli componantur, et non nullum a Sua Sanctitate subsidium pecuniarium suppeditetur. Ad utrumque caput respondebitur. De protectione usque modo nihil proposuere. Auditum tamen est, eos, ubi de praedictis capitibus convenerit, suam mentem aperturos, voluntque (credo) ex responsione super subsidio numario danda colligere, quo sit animo Sua Sanctitas circa eandem protectionem. Non est dubium quin Concilium Supremum de sententia, in quam ivit, excusandum esset, si Baronis Insequinniae faedus cum viribus Catholicis haud alium sortiretur effectum, quam ut Ormonii fautores redderet fortiores. A quo multum timendum est, cum id fuerit tractatum et conclusum opera Tribuni Joannis Barrii tantopere addicti Marchioni Ormoniae. Sed cum Dominatio vestra veras tetigerit rationes, quibus praepediatur, attenti expectabimus, quid successerit." Haec ille scripsit, nondum auditio Romae inducias in Ibernia censuris fuisse prohibitas, sed contrahendas vel contractas.

(891) Septima exinde die Fernensis et Plunkettus dilationum Romanarum impatiens ibidem et ad eundem Cardinalem Panzirolum scripserunt his verbis:

"Eminentissime Domine.

"Cum non patientur gravissima Eminentiae Vestrae negotia pro solita in nos humanitate audienciam praebere, supplicamus ut velit patienter lineas has perlegere, in quibus pro nobis perorant perturbatae animarum nostrarum cogitationes. In primis intrepide asserimus: si ullus uspiciam terrarum populus fortunarum jactura atque proprii cruoris profusione pro religione a Sancta Sede Apostolica gratiam atque auxilia promeruit, promeruit Ibernicus. Hujus nos populi suspiria, preces, animas, tanquam aquam effundimus, provoluti ad pedes Suae Sanctitatis, humillime efflagitando ipsius tam sententiam in negotio religionis, quam auxilia contra furorem sceleratissimi hostis, qui juravit ipsas animas de facie terrae delere, et una cum populo quicquid sacrum censeri potest, evertere. Ecce tamen consumptis in Urbe mensibus tribus, ad tot supplications non habuimus ullum Suae Sanctitatis responsum. Non proponimus amplius tristem nobilissimorum virorum statum, qui, amissis fortunis propter pietatem amaros ducunt dies male cohaerentes cum eorum praeclara propria. Metum autem nostrum de sacrorum omnium, in illa gente,

1489 ruina silere nefas esset. Id | tamen mali omnino timeri debet,
 v si non impertiatur Sedes Apostolica subsidia opportuna. Quod si
 talium subsidiorum parentia non tantum flagellari sed perimi per-
 mittatur Catholicus populus, atque ecclesiae Dei iterum pollui, Dei
 veneratio conculcari, ipsum augustissimum Eucharistiae Sacra-
 mentum altaribus violenter abripi, demum quicquid sanctum est
 spurcari, Christianitas universa, si ad durum cor non pervenerit,
 planget et ingemiscet propter sublatum tam nobile gregis
 Catholici membrum sanguine suo madens atque purpuratum. Si
 qui autem in ea insula ecclesiastici supervixerint, erit eorum
 conditio intolerabilior sorte furum, latronum, homicidarum,
 perduellium, et quorumvis sceleratissimorum hominum. Bre-
 vissime nobis exeundum est urbe. Ita jubet dura charissimae
 Patriae necessitas, quae nec legem nec moram pati scit. Hoc
 etiam expedit ne nostra ulterior Romae mora, loco solatii, veniat
 Ibernis causa ruinae. Facile erit divinare qualis erit, et quam
 amara rerum et cogitationum in Ibernia mutatio, quam prostrati
 et abjecti Episcopi atque omnes boni ecclesiastici, qui Illus-
 trissimo Rinuccino arctissime conjuncti opus Dei egerunt, quando
 videbunt nos, etiam de pietate non male meritos, desperatis
 Roma subsidiis, vacuos, tristes, et quasi spretos et ex Urbe
 ejectos. Commendamus Deo | rem et causam suam. Vestram
 1490 autem Eminentiam, cum sit Minister principalis ad latus
 Sanctissimi Patris, humillime obtestamur, etiam conjuramus in
 amore et nomine Jesu Crucifixi (cujus causam prosequimur pro
 animabus, quas suo sanguine redemit) ut hanc duram Ibernorum
 conditionem Beatissimo Patri liberrime aperiat. Si enim elabatur
 praesens in eo Regno religionem juvandi opportunitas, non
 speramus recuperandam ipso regnante. Quod si permittat Deus
 ut non decernat universalis pater suos hic et nunc filios juvandos,
 dicemus cum tribulatis Machabaeis: *Nos pro peccatis nostris
 haec patimur.* Etiam ex toto corde precabimur ut Deus justitiae
 tonans super contrita Ibernia affulgeat Romae Deus miseri-
 cordiae, et non persentiscat populus Romanus, sicuti modo
 Ibernicus, flagellantis Dei iras. Deus incolumem servet suam
 Eminentiam, cui manus exosculamur.

Nicolaus Fernensis.
 Nicolaus Plunkett."

27 Julii 1648.

(892) Eodem etiam die Illustrissimo D. Albitio scripserunt his
 verbis:

" Illustrissime Domine.

" Cogitavimus praeheri coram gratias referre Dominationi
 Vestrae pro sincera apud Sanctissimum Dominum nostrum |
 nupera diligentia, qua inclinabat in eam Congregationem facien-
 dam die Sabbati praeterita. In eo nos plane infaelices reputamus
 quod neque hinc exire, neque aliquid certe in patriam scribere
 valeamus de Suae Sanctitatis resolutione. Haud dubie populares
 nostri Confaederati aluntur magnorum subsidiorum expectatione
 per nostram tam longam absentiam atque silentium. Unde (quod
 avertat Deus) si finalis Suae Sanctitatis resolutio desideriis
 nostris, eorumque necessitatibus minime respondeat, habebimur
 nos tanquam spreti et ejecti ex Urbe. Erit certe res Christiani-
 tatis fletu digna videre populum tam acerba passum, consumptis
 in bello gravissimo et sancta Dei causa fortunis, tandem desperatis
 Romae subsidiis, quae etiam per Suae Sanctitatis Nuncium
 promittebantur, abjectum et prostratum, quia non habet unde
 possit pietatem et vitas tueri contra rabiem impiissimi hostis, qui
 juravit et vovit gentem Catholicam funditus delere, et quicquid
 in ea sacrum est evertere. Nullam omisimus diligentiam (testis
 est nobis Deus) pro habenda Suae Sanctitatis responsione, ut
 possemus laeta nova ad afflictos Patriotas referre, et ecce nihil
 adhuc solatii affulsit, imo augetur mentis nostrae turbatio. In
 hac tristi conditione constituti accurrimus ad Dominationem
 Vestram Illustrissimam, quae rebus Ibernorum constanter
 semper | favit, rogantes ut quam citissime eam illam Congrega-
 tionem faciat intimari, a qua nobis dandam speramus finalem
 resolutionem, ne ulterior Romae mora nostra hoc loco solatii
 veniat Ibernis causa ruinae. Necessitas dura nec legem nec
 moram pati solet. Si autem Suae Sanctitatis resolutio non possit
 haberi, ea contritae Iberniae fiat gratia, ut admittamus ad osculum
 pedum et sacratissimam recipiamus benedictionem, clypeum
 contra ingentia terra et mari pericula, quibus exponemur.
 Utcunque vestra Dominatio Illustrissima pro praemio candoris et
 laborum (quicquid causae nostrae in Urbe acciderit) Iberniae
 cruentatae ad Deum preces habebit, ut bene et faeliciter eveniant
 omnia Dominationi vestrae Illustrissimae.

Nicolaus Fernensis.
 Nicolaus Plunkett."

27 Julii 1648.

(893) His omnibus chartis a Fernensi et Plunketto Romae
 scriptis, et ad eos, qui tunc Romae commorarentur, missis vel
 traditis, non mireris quod locum appositum non videoas. Nam ii,
 quibus vel porrigerentur vel mitterentur, notum et notorium erat,

1491

v

Oratores illos tunc Romae commorari. Porro quis fuerit hujus legationis exitus te melius docebunt ejusdem Cardinalis Panzirol ad Nuncium in Iberniam litterae, quas ex autographo | Italico Latine verto:

" Illustrissime et Reverendissime Domine.

(894) " Illustrissimus Dominus Episcopus Fernensis et D. Nicolaus Plunkettus istius Regni Oratores istuc redeunt, dato Suae Sanctitati et universae huic Aulae specimine multae prudentiae et magnae dexteritatis in tractandis eorum negotiis. Reportant Suae Sanctitatis *Breve* credentiale quoad responsiones, quas urgebant, faciendas ad interposita a se postulata. Porro Sua Sanctitas eodem *Brevi* istos Catholicos ad sanctam inter semetipsos unionem et concordiam istius magni, quod tractant, negotii animam exhortari non desistit, sicut Dominatio Vestra ex adjunctis apographis colliget. Sua Beatitudo Illustrissimum Dominum Episcopum *Assistentis Cappellae Pontificiae* gradum honoravit, et manu propria D. Nicolaum Plunkettum creavit Equitem calcaris aurei, quae dignitas a sua ipsius Beatitudine nisi in capitum coronatorum legatos conferri non solet; cumque eos non nullis rebus devotis donasset, adjunxit non minus certam pecuniae quantitatem in viaticum quam suam sanctam Benedictionem. Verum cum ab ipsis suorum negotiorum exitum Dominatio vestra plenius | intellectura sit, eam rem ipsis referendam relinquo, et Deum precor ut Dominationem vestram semper prosperet.

1492

Romae, Dominationis vestrae studiosissimus
20 Augusti, 1648. ad obsequium ex corde
Joannes-Jacobus, Cardinalis Panzirolus."

(895) Hac epistola ipsis tanquam latoribus tradita, et litteris, praesertim ab aliquot Cardinalibus et Illustrissimo D. Albitio, cum quibus in Urbe de rebus Ibernicis egissent, in eorum laudem adjunctis, Roma ad exeuntem Augustum discesserunt in Iberniam regressuri, transactis in Urbe mensibus quatuor et quod excurrit. Mense autem Augusto postremo Cardinalis Panzirolus Nuncio in Iberniam indidem alia via scripsit Italice et notis arcanis sequentem schedulam, ex qua, quid illi Romae egerint, et quid cum ipsis actum sit, plenius intelligas.

(896) " Oratores Iberniae a D. Cardinale Capponio et Dominis Cardinalibus Congregationis saepius auditи fuere super eorum praetensionibus, quae (sicut Dominationi vestrae notis arcanis 8^o Junii significaveram) consistebant in pacis Ormonicae articulis

vel approbandis vel moderandis, et subsidiis a Sua Sanctitate postulandis. Ad primum punctum post maturam deliberationem ab ipsa demum Sua Sanctitate eis | responsum fuit Sedem Apostolicam, quoties de pace inter Catholicos et haereticos contrahenda agitur, solere nullas in ea re partes agere ad eam approbandam, seque bona duci spe futurum ut iidem Oratores aliquae omnes Iberniae Catholicci in cunctis eorum actionibus collineant in maiorem religionis Catholicae profectum et utilitatem. Ad secundum, responsio facta est Suam Sanctitatem ea concessuram subsidia, quae posset, juxta temporum et opportunarum occasionum exigentias. Porro licet factae fuerint non nullae ab Episcopo et Plunketto novae strenuaeque instantiae ad assequendam super pace aliquam declarationem, et aliquam expressionem circa subsidii quantitatem, non aliud tamen responsum reportarunt. Praesentarunt deinde Domini nostri Sanctitati aliquot memoria, praesertim duo, nomine Regni Iberniae. In primo offerebant Suae Sanctitati ex Confaederatorum parte Regni protectionem. In 2º instabant ut assignaretur Cardinalis Protector dum ab Aula abesset D. Cardinalis Antonius. Ad 1m respondit Sua Sanctitas, se semper istius Regni Catholicos protexisse, nec imposterum suam ipsis defuturam paternam declarationem et opitulantiam, ubi necessitas postulaverit. Ad 2m respondit, eligendo D. Cardinalem Caraffam loco D. Cardinalis Antonii. Adjunxerunt ex parte Concilii Supremi 3m, quo postulabant ut decretum ab eodem Concilio conditum | confirmaretur, nempe ut patres Capucini possent in diversis Regni civitatibus et locis habitare, quin ab aliis Religiosis et Regni Praelatis molestarentur. Ad hoc nondum datum est responsum, nec ad alia tendentia in commendationem quorundam vacantibus istius Regni ecclesiis praeficiendorum et assumendorum in Episcopi Kilkenniensis et Archiepiscopi Dubliniensis coadjutores. Haec Episcopi Fernensis et Plunketti, quos Comitia Generalia in hanc Aulam mandaverant, fuere negotia, et quas reportarunt responsiones. Discesserunt autem die Veneris praeterita versus sanctam aedem Lauretanam, exinde Liburum profecturi ac Massiliam navigaturi et per Galliam reddituri in Iberniam, donati a Sua Sanctitate tabulis pictis atque aliis rebus devotis, nec non duobus scutorum monetae millibus in viaticum, insignito Episcopo dignitate *Assistentis Capellae Pontificiae*, et creato Plunketto ipsis Suae Sanctitatis manibus Equite calcaris aurei, sicut Dominationi vestrae per litteras, quas ipsi reportant, significavi." Haec ille 31 Augusti 1648.

1492
v

1493

(897) Ante factas Oratoribus a Pontifice Innocentio has respon-
 siones, Romae, etiam per litteras a Galliarum Nuncio missas,
 satis superque innotuerat, quo pacto legati a Faederatis ad
 Reginam Angliae et Principem Walliae in Galliam missi suam
 illam | provinciam infaeliciter obierint. Ibidem etiam antea
 1493 v innotuerat controversiam Nuncio cum Concilio Supremo circa
 inducias intercessisse vel jam prohibitas vel certe prohibendas.
 Quinetiam de contractis induciis et fulminatis censuris atque
 interposita rejectaque appellatione Suae Sanctitati constiterat, si
 non ante factas illas responsones, certe antequam Fernensis et
 Plunkettus in Iberniam reddituri Roma discessissent. Quare licet
 ex iis, quae Cardinalis Panzirolus 4° Maii 1648 ad Nuncium in
 Iberniam scripserat, liqueat Pontificem, illa legatione Gallicana
 necdum effectu frustrata, fuisse paratum ad componendam cum
 Regina Angliae pacem Ibernicam, fidemque habeat eum, si illius
 legationis monitis et mandatis institum fuisset, suppetias
 liberaliter concessurum, et pro certo habendum sit eum ea lege
 Iberniae Protectorem futurum, vel certe suo interventu atque
 autoritate effecturum ut aliquis alias Princeps potenter subven-
 turus in Protectorem ascisceretur. Postea tamen hausta rerum
 jam dictarum infausta notitia, nec illi paci jam nugatoriae se
 immiscere, nec frivolum illum a Fernensi et Plunketto demum
 sibi oblatum Iberniae Protectoris titulum admittere, nec suppetias
 saltem determinatas spondere voluit, cum persuasum haberet,
 praefatas frustratae legationis Gallicanae et induciarum moli-
 tiones | eo tendere, ut Ormonius in Proregem destinaretur, et
 1494 Ormonistae Nuncio ejusque partibus in Ibernia praevalerent,
 adeoque vel religio Catholica in Ibernia haeresi succumberet, vel
 certe mixta quaedam ibi ex Catholicis et haereticis conflaretur
 Respublica, Regi sub Ormonio et ad impiam Ormonii mentem
 militatura, a qua non speraret Pontifex nec se, nec alium Princi-
 pem Catholicum, in Iberniae Protectorem, admittendum, nec
 aliam suae sententiae super pacis contrahendae articulis ad
 religionem spectantibus nec subsidiorum si ea concessisset, repen-
 dendum sibi saltem ab hominibus gratiam, mercedem, aut fructum
 quam pecuniae jacturam et ludibrium. A quo cavit. Id verum
 est contra expressa Suae Sanctitatis monita superius posita
 Nuncium effecisse, ut a Confaederatis jam suapte sponte ad
 aliquem Principem externum in Iberniae Protectorem cooptan-
 dum determinatis decretum fuerit, ut Summus Pontifex, ante
 alias Principes, in Protectorem ascisceretur, si vellet, sin autem,

certe non alias praeterquam ab eo cominendandus ad illud munus assumeretur.

(898) In praefato folio notis arcanis a Cardinale Panzirolo 31 Augusti 1648 scripto non nulla habentur, hic antequam ulterius progrediamur, ad trutinam revocanda. Ac 1° quidem quod ibi habetur, nempe Concilium Supremum decrevisse ut Capucini per universum Iberniae Regnum conventus aedificarent, | mihi nusquam nisi ibi occurrit a Concilio fuisse sancitum. Quare de Comitiorum Generalium acto 3^o Martii anno 1647 condito et ibi tacito locum hunc intelligendum puto. 2^o. In praefato Cardinalis Panziroli folio quorundam in coadjutores apud Iberniam coop-tandorum mentionem fieri vides. Hos autem fuisse reperio D. Eduardum Tirellum, S. Theologiae facultatis Parisiensis Doc-torem, et D. Bartholomeum Archerum Kilkenniensem, aliquot retro annos et ipsum in Gallia Ducis Arelianensis filiae primo-genitae a sacello. Quorum 1^m video fuisse Nuncio a Concilio Supremo commendatum anno 1645 in Archiepiscopi Dubliniensis coadjutorem. De quo tunc Nuncius 31 Decembris Cardinalis Pamphilio scribens: "Hic (inquit) de ipso haud aliud audivi, nisi quod aliquoties in his negotiis publicis dixerit propositiones partibus Regis nimis faventes." Haec ibi, ubi noto haud displicuisse Nuncio quod Tirellus Regi faveret, sed quod *nimir* faveret in bello Catholico, in quo non reddenda essent Caesari, nisi quae essent Caesaris, ut redderetur Deo, quae essent Dei. Cujus regulae Evangelicae multi (proh dolor) in Ibernia ex Nuncii adversariis, si non omnes, ordinem praeverterunt. De eodem Tirello Nuncius mense Augusto 1646 eidem scribens: "Exploratum (inquit) est Tirellum indies esse debiliter affectum in res ecclesiasticas, qui p[re]a Marchionis Ormoniae amicitia multam bonis peperit suspicionem." Haec ibi. Tirellus tamen 13 Octobris eodem anno Parisiis ad Nuncium jam pace Ormonica proscripta et ea factione in Concilio Supremo | recens depressa triumphantem in Iberniam scribens: "Libenter (inquit) obibo quicquid vobis licebit imperare non minus munerum meorum officiosus quam mandatorum tam Illustrissimae Dominationis vestrae quam universi Cleri studiosus ac observans. Hoc a me postulant instituti mei ratio, propendens animus in vestri obsequium, ac ipsa publica autoritate imposita fides, quibus adversari piaculum judico pice ac flamma castigandum." Haec Tirellus tunc Confaederatorum in Aula Gallicana Agens. Et 16^o Novembris eodem anno indidem eidemque: "Doctrina, (inquit) dignitas, virtus, humanitas tua sibi omnium animos facillime

1494
vReg :
p. 188.Reg :
p. 321.

1495

adnectunt, et me quidem inter alios adamantino quodam vinculo, quod nulla vis, nulla fraus laxabit aut solvet; idque tibi non per epistolam scriptam sed velut per syngrapham volo sponsum." Haec idem.

(899) Concilium autem Supremum viso suas anteriores Tirelli commendationes fuisse frustratas, anno 1648 obtinuit ut Nuncius peculiares in ejus gratiam Summo Pontifici mense Januario, scripscerit litteras, quibus inter alia significavit *eum semper se gessisse in multam etiam partis ecclesiasticae satisfactionem.* Quo nomine video Tirellum Nuncio gratias egresso immortales. Idemque Nuncius, Concilio Supremo et Kilkenniae civibus urgentibus, tunc 10 Januarii alias ad Suam Sanctitatem in Archeri superius memorati favorem dedit litteras. Verum postea, rerum notitia forsitan aliter instructus, semel atque iterum, praesertim 10 Aprilis, scripsit notis arcanis Cardinali | Panzirolo, rogans ut Sua Sanctitas duorum praefatorum promotione supersederet. Quod et factum, licet Nuncius Galliarum ad mensem Martium per litteras commendatitias Tirelli causam strenue suscepit, et Regis Christianissimi legatus in Urbe haud segnem adhibuerit operam ut non nulli nostrates ad infulas in Ibernia promoverentur, quos haud alios praeterquam praefatos fuisse vix dubito.

(900) Legeris superius in epistola a Nuncio ad Suam Sanctitatem 9 Januarii 1648 scripta Iberniae Oratores 25 insignia ex haereticis reportata Romam transportasse Nuncii nomine Pontifici Innocentio praesentanda, de quibus Cardinalis Panzirolus 19 Augusti 1648 ad Nuncii litteras Italice respondens: "Istius (inquit) Regni Oratores Dominationis vestrae nomine praesenterunt Suae Sanctitati 25 insignia, quae isti Catholici in praeliis, in quibus apud Ultoniam Scotti et apud alias Regni Provincias Parliamentarii victi fuerant, reportarunt. Ea recepit Sua Beatus illa animi affectione, quae sui sancti zeli et sollicitudinis pastoralis est propria, deindeque collocanda curavit in editiore, magisque conspicua parte Basilicae S. Petri ad perpetuam praestantiae Catholicorum Iberniae et Dominationis vestrae memoriam." Haec Cardinalis.

(901) Horum duorum legatorum ad finem Augusti Roma prosectorum in Iberniam appulsum suo inferius loco non silebimus. Interea ad legatos in Galliam missos redeamus, quorum Marchio Antrimiae una navi et Vicecomes Muscriensis cum Brouno in altera | ad mensem Julium in Iberniam appulerunt. De quorum trium duobus ultimis manifeste nobis constat quod ad decidendam

induciarum, censurarum, interpositae appellationis et belli civilis exinde nati, atque aliorum malorum, quae ex eodem fonte promanarunt, causam maximi momenti est, nempe eos fidei in se ab ultimis Regni Comitiis Generalibus anno 1647 mense Novembri et Decembri celebratis, a quibus in legatos electi essent, positae non respondisse, nec Proregem Catholicum a Regina Angliae et Principe Walliae in Gallia obtinuisse, nec pacem a Sua Sanctitate quoad res ecclesiasticas praescribendam contraxisse, nec hujusmodi articulos competenti temporis spatio ex Urbe in Gallia ante Principum responsionem peremptoriam 13^o Maii stylo novo datam expectasse, nec Prorege Catholico et hujusmodi pace a Principibus denegata procurasse ut Sua Sanctitas aut aliis Princeps, qui conditionibus superius positis Iberniae potentissime succurreret, in Protectorem ascisceretur, nec aliis maximi et longe maximi ponderis mandatorum seu monitorum sibi praefixorum, in quae juratum erat, capitibus exequendis efficaciter institisse, proindeque pudendam eorum in ea legatione frustranda ignaviam et proditionem effecisse, ut legatio quoque Romana in fumum abierit, et pax illa alias religioni et patriae futura utilissima, quam solam juxta eorundem instructiones superius ad longum positas Comitia Generalia jam dicta ineundam statuerant, et potentissima remedia iisdem instructionibus contenta | ad nihil reciderint, Ormonio in pacis alterius longe gentium pejoris apud Iberniam contrahendae, ac demum (ut videbimus) contractae, Commissarium et Proregem in patriam Insulam a Regina Angliae et Principe Walliae misso, secutaque illa malorum Iliade, cuius declinandae causa Nuncius et Iberniae Clerus inducias cum Insequinnio initas, tanquam non nudam armorum cessationem, sed Ormonistarum et haereticorum conurationem illo tendentem censuris prudentissime et justissime prohibuerint, ut Clerus populusque Ibernicus sanctionibus et remediiis jam dictis inter ultima Comitia Generalia praefixis mordicus insisterent, et in statu faelicissimo collocarentur.

1496
v

(902) Haud ignoro responsionem legatis a Principibus in Gallia 13 Maii datam Ormonii potius quam alterius in Iberniam mittendi non fecisse mentionem. Sed id erat stratagemma politicum, ut in illa molitione nihil palam fieret praeterquam quando non nisi palam fieri posset et non posset haud fieri palam. Audi Ormonii et Ormonistarum patronum, Philopatrum Irenaeum, de response jam dicta loquentem:

(903) "In hoc (inquit) responso nec Ormonius nec aliis expresse promissus est legatis. Certum tamen est eum fuisse, ut

Vindiciar:
Lib. 1.
Cap. 7.

aiunt, in mente Curiae designatum, quippe cui regendae Iberniae provincia nuper ab ipso Rege prorogata fuerat. Non etiam negaverim Principum in ea re consilium legatis et innotuisse et acceptum fuisse. Antrimium tamen excipio, qui cum sibi id muneris appeteret, | probare non poterat ut Ormonius praeferreretur."

1497

Vindic:
Lib. 2.
pag. 82.

Haec ille, et alibi: "et vero (inquit) liberum Principibus non erat Ormonium ab Iberniae praefectura avertere, cui Rex ipse, priusquam in Vectim Insulam abductus esset, provinciam illam prorogaverat." Haec Philopater, seu (ut vero ejus nomine utar) Joannes Mac Ceallachanus, Muscriensis, proindeque Muscrii et, ob Muscrium, Ormonii amantissimus, illius legationis obitae tempore ambobus in Gallia assistens, arcanorum scientissimus, peneque ambobus a consiliis. Quod mihi aliisque centenis nostratis Lutetiae Parisorum bonis litteris tunc operam dantibus, notum erat et notorium. Denique ille biennio interjecto suum illum libellum non nisi monumentis et relationibus ex ipsius Ormonii et Ormonistarum officina in ipsorum defensionem productis consarcinatum anno 1650 in eadem civitate Parisiensi in lucem edidit, ut dubitandum nobis non sit quin illam machinationem probe noverit, ejusque deformitates in praedictorum favorem potius occulerit vel attenuarit quam auxerit, eodemque spiritu per totum suum libellum ductus fuerit. Itaque licet responsio legatis Ibernis a Regina et Principe Walliae facta specialem Ormonii in Iberniam mittendi mentionem non fecerit, non alium tamen quam ipsum destinandum fuisse, idque tunc in Gallia Principes decrevisse, et Muscrio ac Brouno aperuisse, non solum ipsa res in medio posita testari videtur, nec solum variae litterae superius collocatae atque ex Gallia tunc scriptae suadent, sed etiam ipse Ormonii, Muscrii, et Brouni, aliorumque Ormonistarum patronus et arcanorum conscius, Philopater, ingenue fatetur. | Quare hic etiam locum habet quod idem de Principum responsione tradit: "Principes (inquit) etsi ob pacem nuper proscriptam, qua servata, tam Rex Carolus quam Ibernica Natio jam periculo vacarent, indignationem suam non nihil testati, gratum tamen sibi et acceptum esse significant, quod vel nunc ad saniora consilia Hibernia propendere videatur, adeoque se propediem in Hiberniam cum potestate virum ejuscemodi missuros, quocum tota Natio confidenter ac tuto de pace tractare possit, quippe qui ea omnia in favorem religionis et Nationis, Regis ac suo nomine concessurus esset, quibus ipsi dubio procul satis sibi abunde factum, professuri essent. Cum qua responsione possent illi, cum luberet, in patriam remeare,

1497

v

Vindiciar.
Lib. 1.
Cap. 7.
pag. 56.

omniaque et omnes ad pacis spem et consilia disponere " Haec ille; ex quibus ultimis ejus verbis nobis liquet Muscrium et Brounum in Iberniam ex deliberatione tunc habita praecessisse, ut *omnia et omnes* ad pacis non alterius quam cum Ormonio in Proregem secuturo contrahendae spem et consilia disposerent.

(904) Jam restat nobis perpendendum nunquid ex Faederatis Iberniae Catholicis alii praeter Muscrium et Brounum in eundem scopum collinearint. Res autem ipsa suadere videtur nunquam Muscrium et Brounum Comitiorum Generalium statuta, monita, et mandata ipsis praescripta temerare, et legationem via ex diametro opposita obire ausuros, nisi ipsis et, si non aliis Ormonistis certe septem Consiliariis, qui in Nuncium insurrexerant, inter se de legatione sic obeunda convenisset. | Quis enim credit binos legatos jam dictos in Regiminis normam a 1498 Confaederatis cum inter alia Regni Comitia anteriora tum inter ultima constitutam tantopere et tam manifeste peccatueros, et ut legationem infaelicissime obitam referrent, Kilkenniam, in qua urbe septemviratus ille dominabatur, reversuros, nisi (quod etiam Nuncius tradit) in mandatis occultis haberent ut legatione sic fungerentur. Redierunt tamen et laetabundi tanquam qui non malefactorum paenas daturi, sed velut expectantes ut sicut patres patriae a suis septemviris triumphi de Nuncio et partibus ei adhaerentibus revecti praemium et laudem reciperent.

(905) Quis etiam hic a septemviris non expectaret, ut Antrium tanquam legatione integerrime defunctum, etsi voti non compotem, praemiis et laudibus sane meritis afficerent, Muscrium vero et Brounum ob proditam fidem in se positam mox ab appulso in carcerem contruderent, deindeque bonis fisco addictis securi percutiendos curarent, et hac animadversione generose peracta totis viribus contendenter ut Ormonium Insula intercluderent, nec aliam admitterent pacem praeterquam illam, quam solam ultima Regni Comitia amplectendam decrevissent. Quis non expectaret ut septemviri hac pace et Prorege Catholicō a Regina et Principe jam denegatis insisterent exequendis aliis legatorum monitis, juxta quae hoc casu procurandum ut copiosus belli nervus a Catholica Galliarum vel aliarum Regionum exterarum nobilitate, cautione hypothecaria, et Iberniae agris, aliisque commodis, ipsisque Regni praesidiis pignori concessis (nam sic statutum fuerat) obtineretur, vel aliquis Princeps | Catholicus iisdem conditionibus potenter subventurus in Regni 1498 Protectorem ascisceretur, praesertim cum Nuncius et Iberniae Clerus eorumque fautores ipsis toties objecerint inducias cum

*Rel: Cap.
23.*

v

Insequinno contractas fuisse ut Ormonius in Proregem revocaretur, et soluta Confaederatione Catholica pax Ecclesiae et Patriae funesta intruderetur, quam iniquissimae mentis labem ut a se amolirentur Concilium et Ormonistae omnes, quo dixi modo, se gessissent. Tantum autem abest ut id praestiterint, ut etiam legatione relata in imputata ipsis mente illa exequenda totis viribus et palam perstiterint. Quod sane probat inducias ab initio contractas ut per illas ad hanc metam omnino perversam perveniretur.

(906) Hic autem extra callem non fuerit P. Paulum King et Philopatrum calamis digladiantes introducere. Paulus enim quodam libello (quem propria ejus manu scriptum habeo) belli hujus compendium continente, et in Gallia Belgica ad annum 1649 typis mandato: "At vero (inquit) idem Ormonius solito fraudulentiae tramiti insistens Parisios se contulit, ubi tum convenerunt Vicecomes Muskrius et Zepherinus Broune, digna sane patellae opercula, qui ejusdem D. Eugenii O Nelli intercessione e vinculis dimissi mira astutia mandatum a Comitiis impetrarunt, eoque abusi contra fidem publicam negotium pro sensu suo falsis coloribus depictum Reginae Angliae ita proposuerunt, ut omnia pro Ormonii reductione disposuerint. Quod tamen in Hiberniam | reversi caute et cate dissimularunt." Haec P. Paulus, hoc ipso anno 1648 Franciscanorum strictioris observantiae apud Kilkenniam Guardianus. Cujus locum hunc Ormonii, Muscrii, Brouni, aliorumque Ormonistarum patronus, Philopater Irenaeus ita refutandum aggreditur, ut nunquam viriliter neget illam operam a legatis adhibitam fuisse ut Ormonius in Proregem rediret, sed puerilibus utatur ambagibus et technis, quibus aliquo velo conjurationem tegere conatur, cum tamen re ipsa eam plus confirmet tacendo, tergiversando, et ita punctum acu non tangendo ut Paulum non refutet, sed suam fraudem, nequitiam et malam fidem prodat. Ad illa autem Pauli verba: *Quod tamen in Hiberniam reversi caute et cate dissimularunt.* "Aliud (inquit) est tacere quae non nisi tempestive, aut etiam perniciose in vulgus effutiantur, aliud dissimulare. Non omnibus sed Concilio Supremo solum aut Generalibus Regni Comitiis reddenda erat legationis ratio." Haec ille. Prosequens autem Paulus: "non tamen (inquit) latuerunt Herodiana haec conventicula D. Doctorem Tirellum, qui tum Parisiis in Hibernorum collegio Praesidem agebat, et alios non nullos integrae sanctaeque fidei viros, qui datis ad Illustrissimum D. Nuncium Apostolicum, ad Archiepiscopum Dublinensem, et ad plures alios

1499

Vind:
Lib. 2.
pag. 85.

litteris, fabulam totam detexerunt." Haec Paulus, qui de litteris ex urbe Parisiensi in Iberniam scriptis loquitur. Cujus locum non aliter quam Tirelli famam proscindendo Philopater | refutat. Et demum: " sed (inquit) *fabulam totam detexit*. Quam amabo te Paule? Consilium de reducendo Ormonio? At quid opus erat hoc dicere, quo jam saevientes censorum praetextu in Hibernia fratres in rabiem continuo agerentur." Haec Philopater. Qui Ormonii, Muscrii, et Brouni arcanorum Parisiis conscius reipsa totam fabulam detexit. Nam consilium de reducendo Ormonio in confessu ponit, sed persuadere conatur non astute sed prudenter haud omnibus communicatum, nec communicandum, ne re semel in Ibernia cognita plures a Concilii partibus ad Nuncium transirent. Deinde Paulus: " Ussit (inquit) hoc summopere istos Consiliarios. Ut tamen porro latere possent, editis in publicum programmatibus, persuadere popello conati sunt hanc dignissimorum doctissimorumque virorum relationem esse meram calumniam, et se nihil minus cogitare quam ut Ormonius reducatur, et execranda ista pax, de qua supra, admittatur." Haec Paulus. Ad quae Philopater: " Primo (inquit) fatemur editis programmatibus publicasse Concilii proceres se rejectam superius pacem non recepturos, nec Ormonium ejus denuo intrudendae proposito (quod seditiosi passim spargebant) redditurum. At negamus Consiliarios illos iis programmatibus popello persuadere voluisse (ut asseveras) se nihil minus cogitare quam ut Ormonius reduceretur, cum ut id fieret, omnes viri boni summopere desiderarent. Nec enim adeo frontem perficuerunt Muskriensis, aliique Regni proceres ut denegandum | publicis editis declarationibus putaverint redditurum mox Ormonium, quem jam plures menses ad oram Galliae maritimam accinctum ad trajectiōnē omnes noverant." Haec Philopater, et deinde Paulo Ormonistis quod Ormonium accessurum negassent, et tum postea eum admisissent, perjuria probanti idem Philopater: " Sed (inquit) O te impudentissimum calumniatorem! Nonne te quotquot noverunt, mentitum in caput tuum vident et erubescunt, ut et tuas adversus tantos viros procaces exclamations meras esse calumnias paenit exquisitissimis puniendas? Numquid jam in superiori capite vidi mus nullum proceribus excludendi Ormonii consilium fuisse?" Haec Philopater.

(907) Ex his omnibus liquet non solum Muscrium et Brounum in Gallia cum Regina Angliae et Principe Walliae consensisse ut Ormonius in Iberniā Prorex destinaretur, eosque in Iberniā ut ei ad redeundum, et paci ab ea, quam ultimo Consensus Genera-

1499
v
Vindic.
lib. 2.
pag. 90.

ibid. pag.
92.

1500

Lib. 2.
pag. 95.

1500

v

lis ineundam statuerat, longe alii cum eo contrahendae viam sternerent, praecessisse, sed etiam Concilium Supremum legatione ab ipsis relata totis viribus animos in id ipsum intendisse. Cum tamen, ne hoc malorum diluvium succederet, Nuncius inducias cum Insequinnio pactas prohibuerit tanquam medium efficax a Concilio sub aliis praetextibus excogitatum ad hunc perniciosissimum finem assequendum, nam per illam armorum cessationem factum ut Concilium, Ormonistae omnes, Insequinnius, ejusque nefarius haereticorum exercitus, Catholico sanguine toties consceleratus | horrendam conspirationem tot fraudibus et perjuriis hactenus palliatam coierint, quo Nuncio, Iberniae Clero, eorumque tota Ibernia fautoribus invitis, sui demum hujus sceleratissimi voti compotes evaderent.

(908) Quis autem adeo caecutiat ut hunc conspirationem nefariam fuisse neget, cum certum et in Ibernia notorium sit non solum omnia Faederatorum Comitia Generalia anteriora sed etiam ultimum Regni Consessum Generalem strictius et specialius decrevisse media et remedia ad religionem et Nationem in tuto collocandam adhibenda, et legatorum in Galliam destinotorum monitis seu instructionibus, in quas exequendas juratum est, quasque superius ad longum posuimus, inserta, quae per Muscrii et Brouni in legatione obeunda perfidiam, Concilii in toto induciarum, et controversiarum exinde natarum processu nequitiam, et universam illius horrendae conjurationis malignitatem ita enervata sunt, ut una per eandem conjurationem perjuriis manifestissimis notatissimam ex matura deliberatione, praemedito consilio, contra Nuncii et Cleri Iberni paternas monitiones et pastoralem diligentiam tantopere strenuam, ac demum contra ipsas | censuras ecclesiasticas itum sit in viam sceleratissimam ex diametro oppositam, patriae nedum religioni certissime exitiam. Quod sole meridiano clarius esse demonstro.

Instructi-
onum
num. 2.

(909) 1°. Per ultima Comitia Generalia decretum fuit ut non alia pax contraheretur quam cujus articulos ad religionem spectantes ipse Summus Pontifex approbasset, sed per hanc conjurationem factum ut hi articuli ex Urbe ne expectati quidem fuerint, imo nec in Urbe conditi sint, Sua Sanctitate prudenter caeptis desistente, et nolente articulos illos praescribere in sui et Sedis Apostolicae ludibrium, cum ex Gallia rescivisset horrendum legationis ibi obitae exitum, et ex Ibernia didicisset alias ibi adhibititas eodem tempore illius conjurationis machinas, praesertim inducias. Nec solum per hanc conjurationem hi articuli Pontificii alias paci inserendi ad nihilum reciderunt, sed etiam

per eandem efficaciter strata fuit via ad contrahendam aliam pacem maximopere deteriorem, imo iniquam, cuius articuli ad religionem spectantes non ad Suae Sanctitatis sed ad sceleratissimi, astutissimi, et Clero, ejusque fautoribus infensissimi haeretici, Ormonii, beneplacitum contracti fuere, specie quidem ut Catholicis in religionis causa non nihil prospectum et indulatum videretur, sed | re ipsa ut eo stratagemmate politico Confaederatio Catholica dissueretur, suoque tempore trium Regnorum haereticis inter se reconciliatis, illa ipsa pax cum Ormonio contrahenda, ac demum (ut videbimus) contracta, sectariorum furore refrigeretur, et fierent Catholicorum *novissima pejora prioribus*. Quod totum successisse videmus ex Ormonistarum partim commissione partim omissione, et ex Ormonii atque aliorum haereticorum, quibus haec commissio et omissio debacchandi viam aperuit, ter haeretica malignitate et fidei publicae violatione.

1501

v

(910) 2°. Per ultima Comitia Generalia decretum fuit, et legatorum in Galliam destinatorum instructionibus insertum, ut in Ecclesiae Ibernicae et religionis tutelam non nisi Catholicus Prorex admitteretur, praeterquam Sua Sanctitate aliter decernente, cum tamen certum esset Suam Sanctitatem nunquam aliter decreturam. Atqui per hanc conjurationem et inducias cum Insequinnio initas hoc articulo evacuato revocatus est in Proregem contra Suae Sanctitatis mentem homo haereticus, nec talis qualis, sed haereticorum omnium maxime tremendus ob plurimas circumstantias ex rebus ad annos superiores relatis facile colligendas, et hic brevitatis studio non repetendas, quarum summa est | per ipsum solum stetisse quo minus Ecclesia Ibernica et Natio 1502 ad ipsos primos belli annos triumphum plenissimum confecerit, eumque Confaederatis per inducias anno 1643 contractas, deindeque fere per quadriennium subinde iteratas et continuatas, nec non per pacis spem interea factam, delusis, et per sua perniciosissima discordiarum dogmata in factiones divisis, demum eo furoris et rabiei haereticae processisse ut anno superiori Dubliniam, aliaque in ea vicinia praesidia nefariis sicariis, Angliae Parliamentariis, tradere, quam vel suos Ormonistas in praesidiarios admittere, vel aliter Regi servare maluerit. Denique Cleri et partium Clero studentium zelo ita in tot cuniculis antea admovendis operam lusisse, ut in Angliam tunc ad suos Parliamentarios trajicerit, exindeque hoc anno in Galliam, et ex Gallia in Iberniam per tot artificia navigasse tanto nocendi aestu, ut stupendum sit vel ipsius Ormonistas saltem tunc ab ejus artibus non abhorruisse. Non tamen abhorruerunt, sed artibus

Instruct.
num. 3.

magis horrendis contra juramentum in publicis Comitiis susceptum in Proregem revocarunt jam Clero ejusque partibus longe infensissimum. O summam Regiminis iniquitatem. O inauditam Confaederatorum Catholicorum in Confaederatos Catholicos, et in ipsum Nuncium Apostolicum, et in talem et talis Pontificis, liberalis opitulatoris, Nuncium fide publica superius posita accitum crudelitatem, et inhumanitatem Scythica detestabiliorem! |

1502

v

(911) 3°. Cum ab anno Regis Jacobi primo tot tantique Iberniae Catholici iniquissimae confiscationis et *plantationis* (sic), quo Catholicis *sola status ratione* supplantatis, haereticos eorum loco plantarunt, dogma politicum vocant) praetextu vastissimis patrimoniis crudeliter excussi fuerint, et Catholici abactis usurpatibus haereticis in Deum et Regem rebellibus et Parlamento Anglicano militantibus ea magnam partem ab hujus belli initio tot impensis et tantoque sanguine Catholicis fuso recuperarint, ultima Regni Comitia Generalia statuerunt ut pax non contraheretur, nisi relicta Catholicis haeredibus praefatorum agrorum bello recuperatorum possessione, ita tamen ut ipsis in jure respondentum esset juxta limitationes instructionum legatis in Galliam destinatis praefixarum et superius positarum numero decimo contentas nunquam Catholicis possessoribus praejudicaturas, nisi justitia citra justitiam administrata. Atqui per hanc nefariam Ormonistarum conjurationem et inducias cum Insequinnio contractas factum ut illorum Comitiorum decretis et legationibus exinanitis, Ormonio revocato, atque altera pace iniquissima (sicut videbimus) intrusa, Catholicis haeredibus lamentabilem in modum omni recuperandorum agrorum jam dictorum spe dejectis, haeretici usurpatores, vel eorum haeredes, possessionem ab initio male partam pejus recuperarint. | In quo crudeli politicorum ludo, risu simul et fletu dignum erat videre tot sicarios Parliamentarios, sanguinolentos Catholicorum carnifex, et horrendis in ipsum Regem rebellionis maculis conspurcatos, qui ex Anglia, Scotia, et hostilibus in Ibernia tractibus et undique Kilkenniam Ormonio revocato gregatim confluxerunt, ut se Regios esse simularent, et eo artificio agros illos adipiscerentur. Quod totum ita successit ut eorum plurimi, etiam ante pacem hanc cum Ormonio contractam, sub Insequinnii alis easdem possessiones assecuti sint.

1503

(912) 4°. Cum Catholicorum patrimonia praefatis iniquissimae confiscationis et plantationis malis artibus a Regis Jacobi anno primo in haereticos Anglicos vel Scoticos collata magnam partem bello hactenus recuperata non fuerint, ultima Regni

Comitia providit Catholicis haeredibus de dupli remedio. Primum est ut in Regni Parlamento libero, juxta amicabiles limitationes instructionum jam dictarum numero 11° positas, eorum causa pro aequo et bono judicaretur. Secundum est ut haeretici eorundem latifundiorum usurpatores, nisi paci juxta ultimorum Comitiorum Generalium statuta, legatorum instructiones jam dictas et articulos a Sua Sanctitate praescribendos contrahendae morem gesturi essent, bello deturbarentur, et mox Catholici haeredes in integrum restituerentur, etiam uno vel pluribus Parlamenti liberi | actis in possessione confirmandi, 1503 sicut praefatarum instructionum numero 12° continetur. Certum autem est futurum fuisse ut haeretici usurpatores paci eum in modum celebrandae nunquam subscriberent, proindeque Catholicis regiam viam aperiendam ad suas possessiones recuperandas. Verum praefata Ormonistarum, Insequinnii, et Ormonii conjuratione atque induciis peractum est ut haec remedia in fumum abierint, Ormonio in Proregem revocato, et pace aliis iniquissimis conditionibus (sicut videbitur) cum ipso celebrata, juxta quam usurpatores haeretici Catholicos haeredes aeternum excluserunt, cum Ormonius et Ormonistae in hos, quod Nuncio et Ecclesiae studerent, excandescentes illam coluvionem haereticam in possessione confirmarint, et novae pacis participatione donarint, ea lege ut partes Regias amplecterentur, quam illi magnis gregibus ad tempus amplexi sunt ut temporis servirent, et praerepta Catholicis suos agros repetendi occasione iterum ad genium redirent, sicut de facto redierunt.

(913) 5°. Ita Catholici hunc in modum exclusi sunt, et haeretici ab Ormonistis in partes allecti, ut nemo mentis compos non praesagierat eosdem haereticos, ubi foro usi essent, ad suum Parlamentum Anglicanum pari fraude et majori animi facilitate suo tempore deflexuros, et ipsis pugnas et praesidia prodituros iis rerum et temporum circumstantiis, quibus ulterius nullum superesset remedium, quod totum re ipsa successisse videbimus. |

(914) 6°. Ultima Regni Comitia statuerunt ut totam pene Iberiam (excepto Duncaniae propugnaculo) vel aliis vel Protectori juxta dictarum instructionum numerum 18m, 20m, 21m et 24m oppignerando subsidia potentissima procurarentur, citra dubium legibus ibi assignatis tunc facile obtainenda, eaque tanta, ut ad Regnum a miserabili servitute in plenam libertatem asserendum satis superque suffecissent, Catholicis postea per ipsa hostium

spolia et manubias facili negotio repigneraturis. Verum per nefariam illam Ormonistarum, Ormonii et Insequinnii conjurationem, et conjurationis basim ac fundamentum, inducias cum Insequinno pactas, successit ut illa Regno subveniendi via alias efficacissima ad nihil reciderit in plenum nationis et Ecclesiae Ibernicae excidium. Denique si ultimi Consessus Generalis statutis et legatorum monitis, in quae omnia juratum erat, Confaederati institissent, inita fuisse Regni, nationis et Cleri a saevissimo tyrannidis Anglicanae Scoticaeque, et derivatae utrinque haereseos jugo in plenissimam libertatem vindicandi ratio adeo potens, praesens et secura, ut plus deinde timendum fuisse Anglis et Scotis ne Iberniae Catholici cum florentissimo exercitu in alterum vel utrumque Regnum invaderent, quam Ibernis ne ab Anglis aut Scotis subjugarentur, praesertim magna Scotiae parte, quam Iberno-Scoti incolunt, Iberniae Catholicis adeo studente ut nihil magis quam | virium Ibernicarum tractionem in votis haberent, et Deo hoc anno congruentissimam Ibernis rerum praeclare gerendarum occasionem, qualis ab hujus belli initio, imo vix ullo unquam tempore nata fuerat, porrigente, Scotia utique Angliam lectissimis viribus invadente, ipsaque Anglia ob Regiorum et rebellium Independentium et Puritanorum, Catholicorum et haereticorum, antiquorum Britonum et Anglorum discordias latissime renascentes adeo domi distracta, ut haereticis in Ibernia pari mensura inter se discordibus nec Anglia nec Scotia succurrere valeret. De reliquo Catholicorum Iberniae causa non ipsorum sed Dei erat qui, si mente pura atque unanimi bellum illud gessissent, hostium dissidia (sicut plane persuasum habeo) diuturniora permisisset, vel alia via suis adfuisset. Sed derelicta ab Ormonistis ejus causa, suam opem et manum substraxit.

(915) Itaque cum Ormonistae scientes prudentesque operam dederint ut ultimorum Comitiorum mens legatorum in Galliam destinatorum instructionibus contenta effectum non sortiretur, sed Ormonio in Proregem revocato contra juramentum tunc susceptum evacuaretur, et inducias in eundem scopum tantopere patriae nedum religioni exitialem contraxerint, nemo inficias iverit, quin induciae illae fuerint ex ipso fine iniquissimae, per quas Ormonistae et Insequinnius | in Nuncium, Iberniae Clerum, eorumque fautores societatem plane coierunt, intruso per fraudes subtilissimas et vim Ormonio, et pace nedum illi, quam solam ultima Regni Comitia ineundam statuerant, in plurimis et gravissimis capitibus opposita proindeque iniquissima, sed et nullam

habente securitatem praeter publicam Ormonii atque aliorum haereticorum fidem, eo re ipsa spectantem ut faederatione Catholica dissuta haeresis triumpharet, et Ecclesia Ibernica restinguatur, cum penes ipsos esset suo tempore a pace illa sub praetextibus artificiose excogitandis resilire, et ea uti quo Ormonistis, nec omnibus, exceptis Catholicorum captivi haereticorum furori manciparentur. Quod totum successit, sicut inferius videbimus.

(916) Quis autem non stupescat quanta astutia haec conjuratio sub induciarum cum Insequinno contractarum specie caepit et progressa sit, et quam vere ab initio Nuncius et Iberniae Clerus perniciosum ejus scopum, tunc sub nube politica latentem, et damna inde secutura Concilio Supremo objecerit, quamque mala fide Concilium responderit? Quod ut in confessio sit non nullas Nuncii et Cleri Ibernici objectiones et Concilii tunc responsiones in memoriam revoco. Siquidem mense Aprili dum induciae illae in motu essent, Clerus rationum suarum illis objectarum 4^a: "per hanc (inquit) cessationem stabit quominus | per legatos nostros tolerandas ulla pacis conditiones 1505 obtineamus, et consequenter ne ad pacem perveniat, efficiet." v Haec Clerus, quae quam vera fuerint eventus docuit, cum ostenderimus per eas inducias factum ut pax illa, ad quam contrahendam ex ultimorum Comitiorum Generalium praescriptis legati in Galliam et Romam missi fuerant, evanuerit. Quare liquet quam male tunc Concilium ad hanc Cleri rationem responderit. "Tantum (inquit) abest ut cessatio haec pacis conditionibus a Regina et Principe obtainendis intercedat, ut potius ampliores habituri simus, ubi experimento constiterit nos favere omnibus qui Regis partibus accedunt, quin et defendendae obtentae paci plura erunt nobis adminicula, cum Baro de Insequin, qui verosimiliter eam amplexaturus est, nobis in subjiciendis Parlamentariis auxiliatus fuerit." Haec illi. O praeclaram sinceritatem! Sed pergamus. Clerus in sua rationum appendice tunc ipsum Concilio porrecta num. 2^o: "in hac (inquit) cessatione religio pericitatur, quia conditiones ad religionem spectantes, quae sperari possunt a Principe et Regina eo minores erunt, quo minus Confaederatio Catholica videtur habere roboris. At in casu praesenti nihil debilius ostendi potest, quam quod Domini Confaederati sine ulla præparatione exercitus, imo cum aperta confessione propriae debilitatis videntur potius petere quam concedere inducias." Haec Clerus, ad quae Concilium simili cavillatione (ut ibi videre est) respondit. Clerus etiam | perinde 1506

ac si spiritu propheticō duceretur, praefatae suae appendicis num, 3^o: "Ponitur (inquit) in ancipiī benevolentia Sanctitatis Suae erga hoc Regnum, a qua principaliter pendet felix progressus religionis. Nam dum sunt apud illam Agentes Iberni pro hoc eodem fine maxime abhorrebit quod interim Confaederatio descenderit in pactiones (prout dixi) tam utiles hosti Protestant et tam religioni periculosas. Quod maxime augebitur, quando audierit ab ipso hoste, jam proscribi impudenter Nuncium ipsius et exercitum, qui partes Cleri secutus est." Haec Clerus, ad quae respondens Concilium: "Quod (inquit) ad Summum Pontificem spectat, nequaquam dubitamus quin nostra in hoc negotio molimina et acta probaturus sit, quorum plenam narrationem ad legatos nostros Romam mittere statuimus; unde et proficiendis legitimis nostris caeptis ulteriora auxilia speramus." Haec Concilium. Quam autem pauca sinceritate hoc dixerit, eventus docuit? Porro quod ibi dicit Clerus, nempe Nuncium per illas inducias proscribendum reipsa verum erat, cum per easdem Ormonius in Proregem revocandus fuerit. Unde inducias illas vel ex hoc solo capite sceleratissimas fuisse, et Inse-quinnii litteras ad ineuntem Aprilim Joanni Plunketto super hac coniurationis parte scriptas et superius positas, haud ex strategemate militari (sicut Concilium postea causabatur), sed ex certa veraque conspirationis illius in Nuncium structae notitia promanasse | censendum est. Sed pergo. Clerus sua in inducias nondum contractas sed contrahendas declaratione 27^o Aprilis edita rogatus a Concilio ut ostenderet quid induciae contrahendae contra conscientiae leges continerent, 5 fecit objectiones, quarum 4^a: "Quod (inquit) Clerus non injuria suspectetur cessationem hanc rejectae pridem pacis denuo introducendae adminiculum esse. Cujus suspicionis causam manifestat, et auget ipse suis sermonibus Baro, ut et propositum Marchionis Ormoniae in Iberniam traciendi, et continuatio Vicecomitis Taaffi in Momonia." Haec Clerus; ad quae Concilium: "Suspicio (inquit) haec procul dubio nullo nititur fundamento, cum et antiqua illa pax repudiata omnino sit, et universa natio jurejurando teneatur omnibus et singulis postremi associationis sacramenti apicibus insistere, quod et legatorum nuper a nobis peregre missorum mandatis additum. Et vero quid timendum, ubi religionis causa ad Suam Sanctitatem remissa est? Caeterum de meditato in hoc Regnum Marchionis Ormoniae reditu nobis nihil innotuit, ut nec quorsum continuatio Taaffi in Momonia suspicionem nutriat?" Haec Concilium; quibus suam famam jugulavit,

cum postremi associationis sacramenti apicibus non institerit, nec eorum legati in Galliam missi sua illa mandata observarint, nec Suae Sanctitatis articulos expectarint, sed ipsis viam praecluserint, et de meditato in Iberniā Marchionis Ormoniae reditu solliciti fuerint, et Concilium hanc eorum in Iberniā regressorum mentem | et molitionem non punierit sed probarit, et 1507 perfricta fronte totis viribus secundarit, et universam nationem ad praeformatum jusjurandum, quod in ultimis Comitiis, deindeque subscriptum est, transgrediendum pro virili impulerit tunc arte, et deinde Marte demum aperto. O pudendas machinationes ! A quibus prudentissime cavens sibi Nuncius 13 Maii misit certas conditiones Concilio, quibus inducias a se et parte ipsi adhaerente amplectendas dixit, quarum conditionum 1a : " Ut (inquit) Domini de Concilio jurent neque se neque ullos alios ipsorum consilio vel auxilio, directe vel indirecte intrusuros aliam pacem praeter illam, quae fuit descripta mandatis ultimae Assembleae et commissa (ut obtineatur) Agentibus missis Romam, in Gallias, et Hispanias, oppositurosque se omnibus et singulis quibuscumque, qui contrarium quacumque via tentabunt, et super ejusmodi suo juramento faciant publicam declarationem." Haec Nuncius, ad quae Concilium, induciis interea inconsulto imo invito Nuncio contractis, 23 Maii respondens : " Ad primam (inquit) responderetur rebus singulis in ea contentis jam a nobis tam ipso Associationis nostrae juramento, quam postrema nostra declaratione, cuius annexum est exemplar, abunde satisfactum esse," Haec Concilium, qua et praecedente eorum responsione fatentur se et universam Nationem jurasse in ultimorum Comitiorum Generalium decreta, legationes ab ipsis constitutas, et instructiones legatis praefixas, proindeque ex faederis seu (ut ipsi loquuntur) Associationis juramento | teneri ad pacem non aliam 1507 contrahendam, quam cuius articuli ad religionem spectantes, et v ad Proregem Catholicum pree haeretico obtainendum pertinentes, a Suae Sanctitatis nutu penderent, aliquique ejus articuli ad emolumenta temporalia attinentes in legatorum peregre destinatorum instructiones, superius positas et hic non repetendas, quadrarent, cum tamen eorum duo legati Ormonio addicti viginti diebus jam elapsis, nempe 3° Maii stylo veteri et Ibernico, et 13 Maii stylo novo et Gallicano, ultimam illam in Gallia a Regina Angliae et Principe Walliae responsionem, qua haec omnia evacuata fuisse diximus, acceperint, ipsumque Concilium triduo ante hanc ultimam suam Nuncio missam propositionem inducias eodem spectantes contraxerint, ut Insequinnio opitulante Ormonium suum

1508

in Proregem revocarent, et illa, ad quae se totamque nationem ex faederis juramento teneri fatentur, effectu frustrarent. Nonne hoc est pessime se gerere, male patrata tot technis velare, et fraudulentis causationibus ac subterfugiis suam iniquitatem magis revelare. Quis ipsos propria confessione jugulari non videt, quae tunc quidem aliquod nuditati velamen praetendit, sed postea legatis in Iberniam regressis et legatione (sicut diximus) per conspirationem frustrata machinam magis retexit. Declaratione, cuius exemplar una Nuncio miserunt 22 Maii edita Clero populoque fucum fecerunt : " Protestamur (inquiunt) ac publice declaramus | quod neque nos, neque ulli de nostro consilio aut auxilio, directe aut indirecte, ullam aliam pacem introducemos, quam quae ultimorum Generalium Comitiorum praescripto probata nostrisque Oratoribus tam Romam quam in Gallias et Hispanias expeditis procuranda in mandatis commissa est, usquedum Generalia Confaederatorum Comitia aliter decreverint." Haec Concilium, quibus ex una parte suam conjurationem fucatae sinceritatis larva palliarunt, et ex altera illis promissis non stantes, ne mentiri viderentur, per iniquissimas inducias et legatorum frustrations Iberniam horrendo schismate in duas partes secarunt, deindeque Ormonistarum suorum (ut videbimus) conventiculum Kilkenniae celebrarunt, cuius tanquam Generali Regni Comitiorum autoritate non pacem illam ab ultimis Regni Comitiis praescriptam jam utique ab Ormonistis data opera desertam aut non procuratam, sed aliam iniquissimam cum suo Ormonio contraxerunt. In quo, atque in aliis multis eorum procedendi modis, et peccatum commissum et fraudulentissimam peccati patrati atque occulendi rationem frequentissime animadverto.

(917) Ex his actorum superius positionum laciniis multisque aliis eorundem locis, quibus hic brevitatis ergo supersedeo, manifeste liquet Concilium ab initio et in progressu usque ad legatorum ex Gallia redditum suam contrahendarum induciarum metu pro virili contexisse tot fraudulentissimis causationibus et praetextibus, quibus ita tunc summo conatu nuditatem operuerunt, ut postea magis detixerint, cum post legatorum redditum operam dederint, ut iniquissimum illum finem, quem toties antea sibi praestitutum pernegassent, palam et aperto Marte assequerentur. Qui autem hujus iniquae mentis consciū fuerint, | perpendendum est. Ac primo quidem hujus consilii reos fuisse liquet Muscrium et Brounum, qui legationem Gallicanam turpiter obierunt, et in Galliam profecti, juxta ac in Iber-

1508

v

niam regressi, viam Ormonio ad redeundum straverunt. Pro certo etiam tenendum est ejusdem conspirationis non modo complices, sed etiam principes extitisse septem ex duodecim Concilii Supremi membris, nempe Franciscum Briminghamum, Atheniae vel (ut alii scribunt) Athuniae Baronem, quem in subscriptionibus Athunrium vocitari vides, Lucam Dillonum, equitem auratum, Robertum Lynchaeum, militem Baronettum, Richardum Bellingum, Geraldum Fenellum, Patricium Brianum, et Robertum Devereux, nebulonum prope omnium a mundo condito coryphaeos, fraudum, perjuriorum, et malae fidei maculis notatissimos, et infames patriae atque Ecclesiae Ibernicae proditores nunquam nisi cum ingenti horrore nominandos, qui ab initio, in progressu, et usque ad finem diabolica plane obstinatione in sua animi nequitia perfracte perstiterunt, quorum Bellingum ante alios quis non horreat Romam a Confaederatis anno 1644 ad Innocentium Xm ita allegatum ut anno 1645 Nunnium in Iberniam conduixerit et majori conatu Ibernia deturbarit. De quo postea apud Belgium profugo cum P. Eduardus Whitaeus, Capucinus Iberius, forte obvius, suum sororium ibi tunc pariter exulem, Vicecomitem Dillonum interrogaret, quis esset? "Ille (inquit Vicecomes) est qui Nuncium Apostolicum in Iberniam duxerat, et ex Ibernia expedit." Sic Vicecomes, qui licet et ipse insignis Ormonista esset, in Bellingo tamen tantam | inhumanitatem improbavit. Porro tres Consiliarios Ultonienses praefata mente pessima nunquam ductos fuisse eventus docuit. Duos etiam ex tribus Consiliariis Momoniensibus, Episcopum Limericensem et Zepherinum Barronum, in eum scopum detestabilem ab initio non collineasse crediderim, licet inducias aliis praetextibus propinatas modo alibi tacto amplexi fuerint. Taffum autem copiarum Catholicarum in Momonia Praefectum Generalem, Prestonum quoque et alios multos Ormonii studiosissimos ab ipsis illarum controversiarum primordiis, si non occultae conjurationis conscos, certe ex proprio inordinatae passionis impetu, ea prava voluntate a caeptis disceptionibus ita fuisse affectos ut propterea inducias tanquam efficax assequendi finis jam dicti medium anhelarint praesumptio omnino valida suadet, fidemque habet non paucos alios primis illarum discordiarum mensibus ab armorum cessatione stetisse, ignorantes quo clam tenderent, cum septem Consiliarii Ormonio addictissimi contrahendis induciis alias rationes a bono publico petitas, hac prava meta non propalata praetenderent. Quibus omnibus addo re ipsa ab exordio eas fuisse temporum, rerum, et personarum

1509

circumstantias, ut pene pro indubitate haberetur futurum ut saltem Insequinnius Ormonium tanquam Proregem a Regina et Principe destinandum in progressus faciendi instrumentum advocaret, totaque factio Ormonica ea ratione per Ormonium in vicinia positum | ad ambos ab aliis Confaederatorum partibus Nuncio et Iberniae Clero adhaerentibus deficeret. Quod evidens dissuenda Confaederationis periculum effect ut ab Insequinno et partes Regias nugatorie amplectente, et cum Catholicis inducias contrahente, longe magis ruina metuenda fuerit, quam si harum duarum circumstantiarum neutra intervenisset. Quae causa fuit cur Nuncius et Iberniae Praelati mense Maio Concilium rogarint ut potius cum aliis haereticorum in Ibernia partibus quam cum Insequinno inducias pangerentur. Quamobrem armorum cessationem cum Insequinno celebratam tanquam vel hac ratione periculosissimam Nuncius et Iberniae Clerus prudentissime prohibuerunt, proindeque ob tantum tanti mali periculum inducias suapte natura in illis circumstantiis illicitas fuisse censeamus.

(918) Sed licet inducias ab initio nec suapte natura periculosas, nec a prava Ormonistarum mente et meta saepius tacta nec aliunde illicitas fuisse in confesso poneremus, omnino tamen constat in ipsas tanquam iniquissimas insurgendum fuisse ex quo legatis in Iberniam mense Julio ex Gallia regressis manifeste constitit septem Consiliarios et Insequinium totis viribus, et jam non arte modo, sed et aperto Marte contendisse, et induciis tanquam iniquitatis vinculo usos fuisse, ut posthabitatis ultimorum Comitiorum decretis, et spreto faederis juramento tunc suscepto, Ormonius in Iberniam revocaretur, omniaque | illa mala, quorum cavendorum causa armorum cessationem censuris prohibitam fuisse vidimus, succederent. Atqui ne tunc quidem induciis Concilium et Ormonistae destiterunt, sed solito fortius institerunt, et tanquam medio efficacissimo usi sunt ut ad finem illum sceleratissimum palam pervenirent bello civili accitis juxta conjurationis pactum in auxilium haereticis Insequinii viribus, quas Catholicorum facultatibus abunde concessis saginarunt, ut Eugenium O Nellum ejusque exercitum a Nuncio stantem, aliosque omnes per totum Regnum Nuncii et Cleri fautores vel opprimerent vel delerent, ipsumque Clerum suo jure frustrarent, imo Nuncium fide publica in Insulam anno 1645 invitatum, et de natione optime meritum, virum sanctum, nedum irreprehensibilem, per vim exploderent. Quae ultima eorum maligna intentio citra controvrsiam ex eo constat, quod in confesso sit eos ex tunc totis

viribus et palam mundo universo operam dedisse ut Ormonius revocaretur, pax iniqua cum ipso contraheretur, ipseque dissoluta Confaederatione Catholica in Proregis throno ad Regni clavum sederet. Ex quibus et ex malis exinde nascituri, quis non videt successurum ut Nuncius deturbaretur, adeo ut perinde fuerit, Ormonium cum praefatis circumstantiis in Proregem haereticum Nuncioque infensissimum accire, ac Nuncium Regno ejicere. Quae omnia | cum, ex quo legati ex Gallia mense Julio 1510 redierunt, palam et deposita larva gesta fuerint, crevit in im- v mensum iniquitas per hanc manifestam perversae mentis antea occultae sed tunc palam factae notitiam.

(919) Hanc occultae mentis notitiam tollendae confusionis ergo in triplici statu perpendo. Primus est qui duravit, ex quo de induciis agi caepit, usque ad tempus quo in Ibernia per litteras ex Gallia scriptas constitit quo pacto legati in Galliam destinati suam legationem apud Reginam Angliae et Principem Walliae ibi 13 Maii stylo novo absolverunt. Secundus deinde usque ad ipsum legatorum mense Julio redditum protractus est. Tres post eorundem redditum et Legationem plene relatam. Tria notitia magna, tria major sed tria longe maxima fuit. Quare longe magis inexcusabiles sunt qui saltem in hoc tertio notitiae statu non resipuerint. Clerus autem operam dedit ut malorum torrentem sisteret, sed eorum conatus partis Ormonicae malignitatem non sanavit, quae utique eo magis recruduit, siquidem Archiepiscopus Cassiliensis et Episcopus Imolacensis Nuncio remedium suggesserunt, hac eorum epistola, quam ex autographo propria Imolicensis manu scripto subnecto.

" Illustrissime ac Reverendissime Domine.

(920) " Ecclesiae ac laborantis patriae (credimus) zelo roga-
vit Illustrissimus Tuamensis hic Cassiliensem convenire, qui identidem et Imolensem vocavit, cum tamen ipse Tuamensis aliis (ut significavit) distractus negotiis occurtere nequierit. Nos muneri nostro minime satisfecisse putamus, si in tanta Reipublicae commotione, qua non tantum corporum sed et animarum imminet strages, conatum omnem non interponamus 1511 ut concordiae inter Confaederatos aliqua inveniatur via. Hoc nostrum unicum votum. Super quo Illustrissimam Dominationem vestram consulere duximus, ut siquid in illum finem conducere judicaverit, pro sua consueta sollicitudine ac integritate nobis opportune significare dignetur. Talem autem in praesenti negotio opinionum varietatem in ipso Clero esse in-

telligimus, rerum ac transactionum ignorantia hanc causante, ut unanimem iterum conciliare sensum ac os unum non nisi ex conventu et congregatione Cleri quantocytus indicenda speremus. Quod sicubi, et quoisque opportunum videbitur Dominationi Vestrae Illustrissimae, intimare poterit. Quo autem citius, eo melius; neque enim aliud rebus (ut jam sunt) desperatis superesse videtur remedium. Deus Opt. Max. diu servet incolumem Illustrissimam Dominationem vestram, cuius manus deosculamur.

Lorhae 2º die Julii 1648.

Dominationis Vestrae Illustrissimae ac Reverendissimae
Observantissimi :

Thomas Cassiliensis.
F. Terentius Imolacensis."

(921) Eodem etiam tempore alios nescio quos Regni Praelatos per litteras Nuncio scriptas probasse ut Synodus convocaret, et eum ab iisdem ex Baronis Atheniae suggestione rogatum ut ad reconciliandas partes postulata interponeret, colligo ex sequenti Nuncii epistola ad eosdem Praelatos mihi anonymos data. |

1511

v

(922) "Quandoquidem Dominationes VV. Illustrissimae una cum D. Archiepiscopo Cassiliensi probant celerem convocationem Cleri generalem, statui id perficere et modo edictum ac caetera praeparantur. Ibi sine dubio communibus votis poterunt ea ponderari quae Dominationes vestrae Illustrissimae ad me scribunt ex relatione D. Baronis Atheniae. Nam si responsum dare vellem, certe nihil dicere possem quam emendationem articulorum, qui spectant ad religionem, totam fere cessationem comprehendere, cum quicquid in ea concluditur, totum id tendat ad dehabilitationem Catholicae partis et elevationem inimici nostrae religioni infensissimi. Quod idem consideratum etiam fuit a Dominationibus vestris Illustrissimis in rejectione pacis Ormonicae. Quare si cessatio revocaretur, daretur statim locus etiam revocationi censoriarum, neque opus esset insistere frivole et jam rejectae appellationi. Spero Dominationes vestras Illustrissimas omni ope convocationem adjuturas, in qua persuadere mihi debo Spiritum Sanctum corda et ora pastorum ad Ecclesiae Sanctae utilitatem ac decus permoturum. Et illis manus officiose deosculor. Galviae 10 Julii 1648." Haec Nuncius, qui fidem liberavit suam, misso ad Regni Archiepiscopos per diversa exemplaria cum Synodi inductione in diem Augusti 15m hoc epistolio.

"Ad Archiepiscopos singulos.

(923) "Censui tandem dilatam toties Synodus Nationalem cogere | de consilio Reverendissimorum Dominorum hic existentium, ut desiderio sanctissimi Domini Nostri satisfiat, et praesentibus Regni tempestatibus quantum fieri potest consulatur. Proinde edictum mitto Dominationi vestrae Illustrissimae ut omnibus suis suffraganeis communicet, eosque ad tam insigne opus omni cura et praemeditatione aggrediendum exhortetur. Preces et orationes interim adhibendas istic curet ut Spiritus Sancti gratia dirigat sensus et corda omnium ad incrementum fidei Catholicae, bonum patriae, et unionem animorum. Et Dominationis Vestrae Illustrissimae manus deosculor. Galviae, 13 Julii 1648."

(924) Ex Archiepiscopi Cassiliensis suffraganeis Episcopus Waterfordiensis litterarum, quas ad Nuncium dederat, occasione responsum a Nuncio huc spectans retulit, quod cum et alia ad scopum nostrum pertinentia contineat hic habe.

"Illustrissime et Reverendissime Domine.

(925) "Non ignoro maximam aestimationem ac profectum rerum nostrarum, imo honorem et decus Sedi Apostolicae provenisse ex diligenti et exacta observatione, quam huc usque Dominatio vestra Illustrissima habuit super interdictum istius civitatis. De qua re non solum immensas illi ago gratias, verum etiam imposterum, quacumque re dabitur occasio, laudes et commendationes non silebo. Video proinde quod, si haec censura istic relaxetur, cessura sit statim in aliorum exemplum, et tamen epistola Dominationis vestrae Illustrissimae et illius advertentiae merentur | (ut fateor) peculiarem si non indulgentiam, attamen mentis applicationem. Quare statuo Congregationem plenam Cleri quam primum haberi, ubi de hac re communibus votis statuatur. Rogo ergo Dominationem vestram Illustrissimam ut ad hoc stabiendum quam primum se huc conferat una cum Domino Archiepiscopo Cassiliensi, cui pariter idem scribo, et quorum sententias praecipue in hac re duxi requirendas. Idem poterit Dominatio vestra Clero significare, circa quorum privilegia locutus sum hic P. Provinciali Franciscanorum, qui super iis dabit etiam suis fratribus litteras. Interim non solum Dominationi vestrae liceat secreto celebrare admissis iis, quos ipsi bene visum fuerit, sed etiam Regularibus obedientibus concedere ut pari modo alternatim unum Sacrum habere possint, prout, eodem modo, suo etiam Clero saeculari, dummodo semper id fiat januis clausis et publicando quod hoc fit de licentia, non

autem ex inobservantia aut aliis de causis. Quod si major pars civium (uti Dominatio vestra Illustrissima subjungit) cessationi contraria est, non video cur exemplo Wexfordiae eam tandem non revocet ac se a censuris eximat, agnoscendo pericula quae religioni imminent ex talibus induciis, prout recentes etiam epistolae ex Gallia satis manifeste aperiunt, ut amplius dubitari non possit necessariam esse constantiam et unionem Cleri, nisi velint omnino maximis difficultatibus involvi. Caetera D. Decanus nomine meo referet; et D. Vestrae Illustrissimae manus deosculor. Galvia 6 Julii 1648." |

1513

(926) Idem etiam Nuncius Decano et Canonicis Waterfordiensibus eodem die respondit his verbis :

" Perillustres et admodum Reverendi Domini.

" De iis, quae Dominationes vestrae ad me scribunt, satis prolixè respondi Reverendissimo Domino Episcopo, a quo (spero) audient aequalem in me sollicitudinem de iis, quae spectant ad earum commoditatem et de observantia legum ecclesiasticarum, quae Dei gratia in ista civitate ob diligentiam et obedientiam Dominationum vestrarum exemplo jam est omnibus aliis *Corporationibus* hujus Regni. Memor ero semper, et ubicumque se dabit occasio, Dominationum vestrarum et laudis meritorumque in hac re, omnino cupiens dari mihi facultatem hoc ipsum non verbis tantum sed re ipsa manifestandi. Et Deus illas servet incolumes. Galvia 6 Julii 1648."

(927) Episcopus autem Waterfordensis ad Nuncii litteras respondit his verbis :

" Illustrissime et Reverendissime Domine.

" Inter alias aerumnas et infortunia, quae mihi contingere possent, illud praecipue mihi adnumerandum est, quod ad sacras vestras manus deosculandas mihi nunc occludatur via; undique enim mihi pericula manifesta imminent. Inimicorum equitus circumquaque cursitat. Nihil audio nisi minas et exitium meum, si incidam in manus eorum. Non | solum haeretici sed et Catholici frendent in me dentibus suis, et malevolentiam suam celare nescientes illam apertis verbis produnt. Et hinc est quod cognati et amici mei et Clerus meus mihi hoc iter vehementer dissuaserunt. Itaque Illustrissimam et Reverendissimam Dominationem vestram exoratam deprecor, quatenus me proinde excusatum habere dignetur, et mihi suam benedictionem imperfiri, pro qua obtinenda harum latorem D. Patricium White, parochum Sancti Olavi Waterfordiae, ad vos destinare decrevi, qui etiam de parum firma mea valetudine et Cleri mei doloribus

1513

v

et angustiis coram latius disseret. Interim enixe supplicantes Illustrissimam et Reverendissimam Dominationem vestram ut pro sua humanitate et paterna sollicitudine gementes nos jam tandem tanta paena liberare dignetur, cum nulli sint quos magis feriat gladius Interdicti et cessationis a divinis quam Clerum meum pastoralem. Quid novarum rerum ex Gallia audiverimus, lator enarrabitur? et sic quam humanissime osculatur manus

Waterfordiae,

17 Julii 1648.

Illustrissimae et Reverendissimae D. Vestrae
Devinctissimus servus,
Fr. Patricius Waterfordiensis et Lismorensis."

(928) Dum Nuncius operam daret ut Synodus celebraretur, |
Concilium magnis cogitationum fluctibus agitabatur, metuens ne
illi, quos antea larvis, fucis et praestigiis inescaverat, jam ex
parte longe maxima in armorum cessationem tanquam ini-
quissima mente contractam insurgerent, et ad Nuncii partes
transirent, cognito Ormonium Concilii et Insequinnii conjuratione
rediturum, et legationem Gallicanam Romanamque nec
non ultimorum Comitiorum Generalium sanctiones, quibus
plerique nationem et Ecclesiam Ibernicam postliminio restituendam
expectassent, conjuratorum machinationibus effectu caruisse
post tot protestationes, quibus Concilium id mali non successurum
asseveraverat.

(929) In hoc rerum statu Concilium ita in perversa mente
palam exequenda persistere decrevit, ut partibus in suum scopum
reconciliandis operam dederit per Monerium, Regis Christiani-
ssimi tunc apud Iberos Agentem, qui 16 Julii Kilkenniae Mas-
sarium, Decanum Firmanum, rogavit, Nuncio scriberet resciturus
nunquid aequi bonique consuleret ut ipse Monerius Kilkennia
Galviam proficiseretur, ea propositurus quae ad concordiae
redintegrationem conducere viderentur. Cui respondit Nuncius
Monerium haud id melius quam in Cleri Synodo a se recens
indicta praestiturum. Porro Nuncius a Monerio non aliud ex-
pectabat, quam ut per vias politicas Concilii mentem secundaret
ad Cardinalis Mazarini, Coronae Gallicanae Ministri Principis, |
suggestiones quem in prima pace Ormonica anno 1646 et hac se-
cunda, quae cum eodem Ormonio (ut videbimus) demum contracta
fuit, intrudenda haud ultimas partes egisse invenio in Galli
utilitatem, cuius interasset, ut Ibernia intus quomodolibet
pacaretur, quo Regi Angliae in Parliamentum militaret, ne

1514

1514

v

Parlementarii extincta Monarchia et Republica erecta cum Rege Catholico, cui studebant, apertum faedus adversus Gallum percuterent. Praeterea Ormonius et Ormonistae in Gallum et Nuncii in Ibernia partes in Hispanum propendere censebantur. Denique inter ultima Comitia Generalia, dum hic ultimus Ormonistarum ludus politicus in partu esset, Nuncius ad Cardinalem Panzirolum Kilkennia 21 Novembris 1647 notis arcanis et Italice scribens : "Monerius (inquit) recens a Rege Christianissimo deputatus venit heri mihi communicatum, sibi in prima sua instructione a Cardinale Mazarino praescriptum esse ut omni cum fiducia mecum agat, meque nihil celet quod ad Regni statum pertinet. Super hoc autem omnia ad duo capita reduxit. Primum est D. Cardinalem in votis habere ut ego et litteris et Oratorum consulto destinandorum opera Sua Sanctitati repraesentem quantopere referret ut Sua Sanctitas cum Regina Angliae patrue tractaret, et cum sua Majestate de illis, quae hic ab ipsa in religionis securitatem facienda vel concedenda sunt, conveniret."

Reg.
pag. 521.

1515

Haec tunc Nuncius, deinde eidem notis pariter secretis et Italice indidem 28 Decembris 1647 scribens : "Agens (inquit)

Reg.
pag. 555.

Regis Christianissimi, dubitans forsan ne Clerus (non obstantibus sententiis, in quas itum est) Oratoribus in Galliam mittendis intercedere velit, hodie venit, eaque de re mecum movit querimoniam ; cui sincere protestatus sum nunquam Clerum apud se statuisse ut ille obex poneretur ; sed concepisse de personarum electarum qualitate suspicionem, ne cum Regina et Principe Angliae aliquid in religionis Catholicae praejudicium ita statuatur ut non expectentur vel certe inania reddantur quae Sua Sanctitas ad justam mensuram redegerit et proposuerit. Ille autem sermonem diffudit cum magnificis pollicitationibus, fideque sua mihi data asseveravit nihil in deliberationem venturum, nec Principem, nec Marchionem Ormoniae, nec alium huc mittendum, nisi expectatis ante omnia iis, quae Romae conclusa fuerint." Haec Nuncius. Quae, nec non eventus deinde secutus, aliaque non pauca effecerunt ut Nuncius tenuem in opera a Monerio reconciliandis partibus danda spem posuerit, praesertim cum ex Gallia didicerit Status Gallici Ministros se rebus Ibernicis juxta Ormonii et factionis ejus vota a Regina Angliae et Principe Walliae illic decernendis potenter immiscuisse, ut Ibernia in Galliae utilitatem gubernaretur. |

1515

(930) Clanricardius etiam, cui hanc provinciam a Concilio commissam fuisse, quis dubitet, duos viros nobilitate conspicuos, Terentium Mac-Coghlanum et Joannem O Kellum, ad Eugenium

O Nellum allegavit, ut cum ipso, et per ipsum cum Nuncio de partium concordia sed inquis conditionibus resarcienda ageretur. De qua re Eugenii epistolam postridie Nuncio scriptam ex autographo Latino his assuo :

" Illustrissime ac Reverendissime Domine.

(931) " Heri vesperi nocte jam concubia accesserunt huc duo perillustres viri, D. Terentius Coghlan et D. Joannes Kelly, missi cum tabellis ab Excellentissimo Marchione de Clanricard. Ex quibus intellexi meam desiderari opellam ad intercedendum apud vestram Illustrissimam ac Reverendissimam Dominationem pro restaurandis faedere et unione inter hujus Regni Catholicos. Illis ego ingenue fassus sum, me hac in parte totum dependere a nutu sanctae Romanae Ecclesiae. Nolle quidquam aggredi aut attentare, nisi quod vestra et Orthodoxorum in hac insula Praelatorum dictabit prudentia. Nolle etiam ullum ab eadem ob fidei et Patriae causam dictatum subterfugere aut tergiversari labore, etiam cum certissimo vitae meae discriminé. Magnopere tamen cupere faedus et unionem inter hujus Regni Catholicos, modo faederis et unionis conditions Illustrissimae vestrae Dominationi ac vestro placerent | Clero. Quapropter ego certe vestrorum servorum humillimus totum hoc negotium serio et ingenuo remitto maturiori vestrae Illustrissimae Dominationis judicio, cuius sententiae aeternum adhaereo. Interea sacras vestras manus demisse deoscular ego

Ex castris apud

Sangenstoune

24 Julii, 1648.

Illustrissimae ac Reverendissimae Vestrae Dominationis
Devotissimus servus

Don Eugenio O Neill."

(932) Negari non potest quin Nuncius indicendo Concilium Nationale, et Eugenius se per hanc epistolam Nuncii et Cleri Ibernici sententiae, omniaque submittendo, optimam redintegranda inter partes concordiae viam inierint. Verum res ipsa in medio posita loquitur nec Concilium, nec Clanricardium, nec Monerium, aliam voluisse reconciliationem quam tales, qua ad Ormonium revocandum et perversissimam mentem, de qua ad nauseam mentionem fecimus, valentius exequendam uterentur, cum certum sit ipsos in eam animi sententiam tunc recens solito pertinacius ivisse, legatis (ante scriptas ab Eugenio has litteras) ex Gallia eo animo Kilkenniam reversis (excepto Antrimio ab ea mente alienissimo), de quibus eadem ipsissima die D. Didacus de

1516

v

La Torre, Regis Catholici apud Ibernos Agens, ex eadem urbe Kilkennensi ad Nuncium: "Domini (inquit) legati, quibus (quantum apparet) male | satisfactum est, ex Gallia redierunt, eorum, qui Romam missi sunt, notitiis non expectatis, et jam agitur de convocandis omni cum festinatione Comitiis Generalibus." Sic ille Hispanice. Comitiorum autem illorum indictio novum erat artificium, quo Ormonistae ex tota Ibernia in unum convenient, et conjuraticem solemnius stringerent, subque Generalium Regni Comitiorum praetextu ea statuerent, quae ad refigendas ultimorum Comitiorum saluberrimas sanctiones, ad nova pestilentissima decreta condenda, ad Ormonium revocandum, ad pacem iniquam cum ipso contrahendam, ad Nuncium Regno deturbandum, ad Eugenium O Nellum ejusque exercitum et Nuncii tota insula partes opprimendas, ad Clerum deprimentendum, ad haeresim et haereticos postliminio restituendos, et denique ad Confaederationem Catholicam dissolvendam, aliaque mala prope infinita patranda tenderent. Qua sceleratissima voluntate occupati pseudo-Consiliarii hanc nefariam epistolam, quam ex autographo in medium afferro, eodem die, quo Didacum de La Torre et Eugenium O Nellum binas illas litteras ex diversis locis scripsisse dixi, ad Nuncium scripserunt *traditi in reprobum sensum.*

"Illustrissime ac Reverendissime Domine.

(933) "Cum Illustrissimam Dominationem vestram nostris et precibus et rationibus adductam a convocando Synodum Nationalem, tempore et loco tam incommodis, rebus adeo distractis, destitisse arbitrabamur, ad nos defertur illam brevi Galviae convocandam. Quapropter | ne muneri nostro deesse videamur, nobis nullo modo consentientibus id fieri iterum protestamur. Quid enim ex illa boni Iberniae evenire poterit, Illustrissima Dominatione vestra praesidente, quae autoritatem Regni a Confaederatis Catholicis in nobis stabilitam injuriis lacerat, et consilio et armis destruere nititur; quae rebelles fovet; viris a conventu Generali proscriptis favet, et implacabilem se ultro ostendit? Aut quid libere Galviae tractari poterit, ubi undique circumsonant arma, et indies a concionatoribus in nos armatis novi excitantur tumultus? Ubi Joannes Bourk et illi similes, Illustrissimae Dominationis vestrae nutu, si non imperio, conscribunt milites. Confaederatorum aedes et castra capiunt et civitati Galviensi de nostra causa optime meritae imminent? Si de Censuris injustis et jam antea temerarie promulgatis illic agi velit, et viam inire, qua vel metu vel authoritate,

1517

qua fungitur, alios Praelatos in suam sententiam allicere possit, et errorem, qui adhuc penes paucos est, in plures diffundere, Suae Sanctitatis Reverendum in terris nomen interponimus. Ad illius thronum appellavimus, judicem, qui partes agit, non admissuri. Et cum jam ad 4am diem proximi Septembri omnium Regni Ordinum Assemblea, penes quam summa Regni potestas est, indicta sit, illam de loco et tempore idoneis Synodo nationali | convocandae consulere expedit. Illustrissimae Dominationis vestrae manus deosculamur.

1517
v

Kilkenniae,

24 Julii 1648.

Illustrissimae ac Reverendissimae

Dominationis Vestrae

Addictissimi servi

Dunboyne. Lucas Dillon. Richard Blake, Richard Bellings. Gerald Fennell. John Walshe. P. Bryan. Robert Devereux."

(934) Hanc epistolam quis absque ingenti horrore legat ? Quanta hic mendacia pseudo-Consiliarii evomunt ? Quam insanam spirant inhumanitatem et barbariem ? Quot fraudibus sua perversissima palliare conantur consilia ? Quam horrenda armati impudentia ut sua notoria flagitia attenuent, optimi Nuncii officium sancte obeuntis innocentiam calumniis manifestissimis proscindere non erubescunt ? Nam (ut alia plurima hoc spectantia non repetam) nonne vel ipso Philopatro, vestro parasito, authore, Nuncius una cum epistola 13 Maii scripta vobis et universae vestrae factioni obtulit se et suas partes armorum cessationem amplexuras certis conditionibus tunc missis, quas superius propriis Nuncii verbis inserui, sed hic ipsissimis Philopatri verbis ut nullus tergiversandi locus supersit, earum primam repeto, " 1°. Concilii Supremi | proceres jurejurando se obstringent quod nec ipsi nec alii quilibet eorum impulsu vel auxilio, directe vel indirecte ullam aliam pacem introducent, quam illam quae ultimorum Generalium Comitiorum suffragiis convenire declarata est, cujusque obtinendae cura commissa est Oratoribus tam Romam quam in Gallias et Hispanias eo fine profectis. Jurabunt iterum se intercessuros omnibus et singulis cuiuscumque ordinis et conditionis hominibus, qui contrarium quovis modo aut praetextu attentabunt, suumque hoc juramentum publica declaratione confirmabunt." Haec Nuncius. Ad quae et vos et natio universa (ut etiam tunc in responsione ad hanc propositionem confessi estis) ex ultimorum Comitiorum

1518
Philop.
Vindiciar.
Lib. 1.
pag. 108.

2 Reg. 12.

statutis et juramento solemni tunc per totum Regnum suscepto tenebimini. Atqui haec scientes et prudentes legati vestri in Gallia (Antrimium semper excipio) et vos et vestra factio in Ibernia transgressi et transgressuri estis *in conspectu omnis Israel et in conspectu solis*. Respondebitis Reginam et Principem ejusmodi paci subscribere noluisse. Sed hoc effugium licet in confessu esset, Nuncius atque ejus partes urgent et objiciunt vos eo casu ex eorundem Comitiorum decretis et eodem juramento fuisse obstrictos ad conandum pro viribus ut agrorum nedum haereticis ereptorum et eripiendorum, sed etiam ad Catholicos spectantium et ipsorum praesidiorum (excepta Duncanania) et aliarum rerum oppigneratione et protectoris subventuri electione suppetias procuraretis, quibus nationem et Ecclesiam | Ibernicam in tuto poneretis. Urgent ergo Nuncius et partes ejus his institutum non fuisse, sed vos et in Gallia per legationis frustrationem et in Ibernia per induciarum conjurationem stravisse et sternere viam, qua haec omnia in fumum abeant, et Ormonius in Proregem revocetur, aliaque pax iniquissima intrudatur. Quae omnia cum notorie vera sint, cumque vos induciis ad haec exequenda et Insequinnii viribus tanquam medio usos fuisse et usuros esse liqueat, continuo constat inducias vestras fuisse iniquissimas, et quibus utique Nuncius atque ejus partes mense Maio subscripsissent et nunc mense Julio subscriberent, si velletis illis non uti tanquam medio ad tot bona amittenda et tot tantaque mala patranda in Ecclesiae Ibernicae et nationis excidium contra juramentum faederis. Haec cum manifeste vera sint, O pseudo-Consiliarii frontem perflicuistis; pudori nuncium remisistis; et vos et universa factio vestra itis viam regiam, qua Dei iram in Regnum universum concitetis. Sed pergamus.

Vindici.
Lib. 1.
Cap. 12.

1519

(935) Praefatam epistolam a pseudo-Concilio ad Nuncium scriptam Philopater Irenaeus in lucem edidit, sed pro ejus more non nihil adulteratam, praeter quam Concilium tres alias eodem spectantes scripserunt, unam ad Regni Praelatos, qua monebant ne ad Synodum pergerent, aliam ad Galviae Praetorem, qua praescribebant ne permetteret ut Synodus Galviae celebraretur, et 3am quae | ad Clanricardium Anglice scripta, mihi Latine tradita est, et hic sequitur:

“Excellentissime Domine,

(936) “Quamvis per litteras nostras ad Illustrissimum D. Nuncium, ad Galviae Praetorem, et ad Regni Praelatos datas, quarum apographa his includuntur, aliquatenus operam dederimus, ut nationalis Synodi in diem proximi Augusti 15 Galviam

convocatae sessionem impediremus, nihilominus is malorum ex tali conventu, tali tempore, locoque et sub tali persona secutorum metus nos occupat, ut nobis suadeat, nullam viam intactam relinquamus, quo eidem obstaculum ponamus. Unde Excellentiam vestram rogamus, ut ex iis, quibus patria melius perspecta est, una vel duae turmae equestris ad vias urbem, Galviam, ducentes disponantur, quibus praecipiatur ut quemcumque ad illam Synodum invitatum transitu intercludant, ita ut Praelati et Clerus humaniter tractentur, nullaque eorum nec personis nec rebus illata injuria remittantur. Sic Excellentiae vestrae omne bonum apprēcantes remanemus.

Ex Castro Kilkenniensi.

25 Julii 1648.

Excellentiae vestrae amicissimi :

Dunboinnius. Lucas Dillonus. Richardus Blakus.
Henricus O Nellus. Richardus Bellingus. Joannes
Walshaeus. Patricius Bryanus. Geraldus Fenellus.
Robertus Devereux." |

(937) Die autem Julii 28 Concilium super eadem re edidit Anglice hoc edictum, nequitiae, impietatis, fraudum et mendaciorum plenissimum.

1519

v

(938) "Quanquam experimur nos valde affligi ob expressiones, quibus uti cogimur, super violentis Illustrissimi Domini Nuncii modis procedendi adversus Regni Gubernium et justas nationis immunitates, nihilominus cum ad reddendam Deo et hominibus fidei in nobis positae rationem teneamur, et suaे Illustrissimae Dominationis actiones ad dogmata hujus nationis utilitati apparterent contraria quadrare videamus, compellimur (quo cursui quem ille tenet occurramus) mundo quantopere ejus actiones nobis displiceant manifestare, et suspiciones ac diffidentias de ejus processibus a nobis juremerito conceptas aliqua ex parte exprimere, sequentibus rationibus, quibus inducimur impreseentiarum ad inhibendum congressum Synodi Nationalis, quam sua Illustrissima Dominatio Galviae die proximi Augusti 15 celebrandam decrevit.

(939) "1°. Notum est Illustrissimum D. Nuncium declaratione a paucis Praelatis in armorum cessationem cum D. Barone Insequinniae conclusam obtenta, et injustis censuris temere insuper latis ita usum fuisse ut bellum civile inter Catholicos introduxerit, eodemque religionem Catholicam atque hoc Regnum evidenti ruinae periculo exposuerit. Nunc autem observato multos Praelatos et totam nobilitatem, atque eos, qui facultates

1520 habent, omnesque civitates et municipia | intra fines nostros, qua nos, mente duci ad suppressandos eos, qui armata manu Regimini adversantur suffulti ejus autoritate et subsidiis ad nostram causam promovendam missis, quae contra piam Suae Sanctitatis voluntatem in dissidiis fovendis atque augendis collocantur; ille assistentibus paucis seditiosis hanc convocat Synodum Nationalem, eo tendentem ut potestate illimitata, quam sibi assumit, et suorum judiciorum jam in P. Georgium Dillonum et P. Valentium Brounum, haud aliam ob causam quam quod ejus sententiae circa inducias non astipulantur, summa cum severitate exercitorum terrore, eorum, quae injuste et modo inaudito adversus eos, qui Regimini adhaerent, gesserat, approbationem extorqueat, et (quantum potest) Suae Sanctitatis, ad quam appellavimus, sententiam de nostra causa ferendam anticipet.

(940) “^{2°}. Illam Synodum convocat Galviam, locum non idoneum, quia in remota Regni parte situm, a viis illo ducentibus non tutum, et in Provincia, quae nunc belli sedes evasit, positum, ubi, ipso approbante, concionatores pro suggestu in Regimen frequenter invehuntur, suaque Illustrissima Dominatio tam propria quam quorundam e Clero seditiosorum apud rudis et seductae multitudinis partem authoritate antea magistratui et municipii primoribus injuriam irrogavit. |

1520 **v** (941) “^{3°}. Justa nobis est causa metuendi ab aliqua molitione urbis intercipiendae, et tempore, quo non nulli in ejus vicinia male affecti rebellem in modum authoritati nostrae refragantes arma sumpserunt, ibidemque suos fautores habent, et jam captis ac direptis non nullis castellis ad Galvienses pertinentibus, suum in cives odium et expilandi municipii votum produnt. Quam opportunitatem ejusmodi congressus, ad quem omnes ablato per citationem salvo conductu promiscue invitantur, tali proposito suppeditabit, hisce distractis temporibus, quibus forsitan declararetur municipium, quod authoritati nostrae morem gerat, censuras incurrisse, proindeque ejus diripiendi actum habendum pro meritorio.

(942) “^{4°}. Cum Illustrissimus Dominus Nuncius se partem efficerit et pro Eugenio O Nello adversus statutam a Faederatis Catholicis autoritatem nunc armato faciat; quae aequitas expectanda sit a Nationali Synodo, in qua ille praesidebit.

(943) “^{5°}. Absurdum est ut Synodus eo convocetur tempore, quo nullus Regni angulus ab horridis belli effectibus vacat, et loca omnia indicibilibus dissidiis plena sunt, nemoque a famis

miseria eximitur, quam illud municipium et regio vicina supra modum patiuntur.

(944) "6°. Cum Comitia Generalia, suprema inter Confaederatos Catholicos authoritas, jam indicta sint, et Regni Ordinibus 4° Septembris proximi conveniendum sit, necessarium esse | ducimus ut super tanti ponderis negotio prius consulantur.

1521

(945) "Quare mandatur et virtute juramenti faederis stricte praecipitur et injungitur, ut Confaederatorum Catholicorum sive e Clero sive e laicis cuiuscumque gradus, qualitatis, aut conditionis, nemo ad Synodum seu congressum ab Illustrissimo D. Nuncio indictum, et Galviae 15° Augusti proxime futuri celebrandum, se conferat, aut ibi (si jam illo perrexit) moram contrahat, sed inde statim discedat, nec suos illo procuratores mittant, sed ipsos, si jam missi sunt, revocent, sub paena ita cadendi Catholicorum Confaederatorum protectione, ut amplius in ipsos animadvertisendum sit velut in nostrae unionis et juramenti faederis desertores. Cujus rei Praefecti Generales, praetores, magistratus, et alii officiales Regimini obsecundantes notitiam capiant et conformiter procedentes intercludant, ac sistant omnes et singulos eunes ad ejusmodi congressum vel Synodum loco et tempore praefato celebrandam, secus de contrario responsuri. Datum in Castro Kilkennensi 28 Julii 1648, et regni Supremi Principis nostri, Caroli, Dei gratia Regis Magnae Britanniae, Franciae, et Iberniae, anno vigesimo quarto.

Dunboynnius. Lucas Dillonus. Richardus Blakus.

Richardus Bellingus. Geraldus Fenellus. Joannes

Walshaeus. Patricius Brianus. Robertus Devereux."

(946) Postridie hujus diei Episcopus Ardachadensis ad Nuncium scripsit his verbis : |

"Illustrissime ac Reverendissime Domine.

1521

v

"Laetatus sum maximopere in his quae scripsit ad me de convocatione Nationalis Concilii Galviae 15 Augusti, sperans inde et praesentibus et futuris malis remedium applicandum ; sed proh dolor, quantum colligere valeo, non erit liberum neque tutum eo ire. Nam Supremum Concilium non tantum mandatis Episcopos prohibet ire, sed etiam forti manu. Milites enim destinati per ipsos sunt ad iter Praelatorum impediendum. Licit conscientia mea mandata ipsorum declinare in hoc puncto dictet, tamen manus militum in via evadere perdifficile appareat. His angustiis et difficultatibus obviare et debitae obedientiae alia via melius correspondere non video, quam constituendo Reverendum P. Georgium Dillonum Societatis Jesu, meum

valeo

legitimum procuratorem. Et ut certo intelligat Illustrissima Dominatio vestra conformitatem meam cum vestro mandato, conabor quoad vires, non obstantibus dictis difficultatibus, personaliter comparere. Interea libentissime orabo pro faelici successu praefati Nationalis Concilii, quod procul dubio cum assistentia Spiritus Sancti diriget Illustrissima Dominatio Vestra, cuius manus humillime deoscular,

Vestrae Illustrissimae Dominationis
Addictissimus servus,
Fr. Patricius Ardaghadensis."

Kilkenniae,

29° Julii 1648.

(947) Haec epistola, a me ex autographo in medium allata, Nuncii mentem in convocanda Synodo Ardaghadensis extollit, et fatetur suam conscientiam sibi dictare | ut prohibentis Synodus Concilii Supremi mandata spernat. Mirum ergo est quod non solum eousque contra sanctae obedientiae praeceptum praesertim epistola 6° Junii superius posita ipsi a Nuncio intimatum Kilkenniae pedem fixerit, sed etiam nec tunc postquam illud prohibenda Synodi mandatum et illatam a Concilio Supremo Praelatis vim Kilkennia alio se contulerit, ut se in ejusdem pseudo-Concilii sententiam pedibus haud ivisse opere demonstraret, et omnem a se coram Deo, Angelis, et hominibus culpam, culpaeque suspicionem amoliretur. Id autem ille non praestitit, sed Kilkenniae etiam postea permansit, eaque ibi in Nuncii causaeque ejus praejudicium gessit, quae (sicut videbimus) conceptam de se antea suspicionem magis magisque fundarunt. Denique Ardaghadensis inter hanc induciarum et censurarum controversiam ita Nuncio non militavit et tanta in tegendis (quantum potuit) sensis, ne Nuncio innotescerent, sagacitate ambulavit, ut talem ego in nullo alio totius Iberniae Praelato compererim.

(948) Archiepiscopus Cassiliensis, qui antea cum Nuncio de sedandis motibus acturus Galviam profectus, deindeque in suam Momoniam reversus erat, Limerico ad Nuncium 8 Augusti litteras dedit affirmans praefatis atque aliis Concilii Supremi mandatis id factum, ut milites viam insiderent, nec sibi nec aliis Praelatis Galviam ad Synodum proficisci integrum foret, rogavitque ut Nuncius Synodum alio loco magis tuto celebrandam indiceret. Eodem | etiam die Episcopus Ardfeartensis, Richardus O Conaldus, Nuncii partiumque ejus studiosissimus, manu propria Nuncio scripsit his verbis :

" Illustrissime et Reverendissime Domine.

(949) " Senectus haec mea per se gravis et molesta comites affert molestiores, dolores scilicet saeve per ossa grassantes, qui desiderio meo et conatibus ad Galviense suscipiendum iter vehementius obstant quam omnes simul obices ab extrinseco, mandatum etiam Supremi Concilii stricte et imperiose praecipientis, ne quis Praelatorum eo proficisci audeat. Quibus ego in similibus negotiis, quippe mere spiritualibus, minime deferendum ratus, Illustrissimae Dominationis Vestrae pracepto, imo nutui, sicut corde et animo paratus sum, ita corporaliter prona obtemperarem obedientia, nisi progrediendi (quod jam caeptum est) facultatem acutus iste et pertinax dolor impediisset. Quod in finibus nostris notum frivola excusationi non obtenditur, potestque de eo appositis suadere rationibus, qui has defert D. Doctor, Joannes Hussey, Ardfeartensis Vicarius Generalis, quem ut in Concilio propediem Galviae in Spiritu Sancto nationaliter congregando vices meas obeat, Canoniceque per omnia suppleat, omnibus melioribus viis et modis, quibus possem, tenore praesentium nomino et constituo, Illustrissimam Dominationem vestram serio rogans, ut eum pro meo | substituto recipiat, eique congruos dignetur pro re nata favores impendere. Dominationem vestram Illustrissimam diutissime Deus conservet in columem.

8 Augusti 1648.

Illustrissimae Dominationis Vestrae

Humillimus servus

Richardus Ardfeartensis et Achadeoensis."

(950) Postridie ejusdem diei Episcopus Limericensis ad Nuncium litteras dedit, significans se cum Cassiliensi ad Synodus non obstantibus Concilii Supremi prohibitionibus libenter fuisse profecturum, sed milites in via dispositos se aditu interclusisse. Porro 13 Augusti Archiepiscopus Tuamensis eodem spectantes dedit ad Nuncium litteras his verbis :

" Illustrissime ac Reverendissime Domine.

(951) " Arrepturus iter Galviam, hodie praeventus sum una epistola Synodi Nationalis prorogationem in aliud tempus indicante. Unde me contineo et hisce Dominationis vestrae Illustrissimae manus deosculor. Verum est quod aliqui mihi hac vice Galviam proficiscenti plenis buccis minabantur. Ego tamen non facio animam meam me praetiosorem, neque ullae minae personali captione minores sufficerent aut sufficient ad me impediendum a praestanda a me debita Sanctae Sedi Apostolicae obedientia variis vicibus solemniter jurata per me, aut

1523 ab exhibendo | Dominationis vestrae Illustrissimae personae,
 v quam veneror, debitum obsequium, licet me zelotypum fatear.
 Zelotypiae causas in Synodo eram dicturus, qua modo dilata,
 eas sileo donec Dominationem vestram Illustrissimam videro.
 Quod spero futurum quam citissime potero aut mandaverit
 vestra Dominatio Illustrissima, cujus sacras manus iterum
 officiose deosculor.

Dominationis Vestrae Illustrissimae
 Servus inutilis

Joannes Tuamensis electus."

Tuamiae,

13 Augusti 1648.

(952) Eodem die Tuamensis alteram huic ad Nuncium attexuit epistolam, qua inter alia scripsit Episcopum Aladensem, sibi tunc comitem, haud obstantibus Concilii Supremi mandatis profecturum ad Synodus, nisi Nuncius suum ejus cogendae mandatum suspendisset. Caeterum invenio Concilium 25 Julii nominatim scripsisse ad Archiepiscopum Dublinensem, prohibens ne ad Synodus pergeret, nec dubito quin non modo generaliter omnibus (quod est certum) sed etiam nominatim plerisque Praelatorum id ipsum interdixerit. Quorum singulis scribere poterat Nuncius, quod 11 Augusti Archiepiscopo Cassiliensi litteras respondens : "Circa impedimentum (inquit) et pericula, de quibus Dominatio vestra Illustrissima loquitur mihi in sua epistola, nescirem quid responderem, et superfluum

1524 etiam fortasse fuerit, cum tali | negotio convocationis ecclesiasticae satis gravatae sint conscientiae Praelatorum in jure ipso." Haec ille, et Limericensi scribens ; "Quod (inquit) Illustrissimo Domino Cassiliensi respondendum duxi super periculis et impedimentis allegatis, idem Dominationi vestrae Illustrissimae dicendum etiam videtur." Haec ibi, ex quibus colligendum videtur Nuncium voluisse ut Praelati spretis Concilii mandatis et violentia ad Synodus proficiisci conarentur. Verum ipse nefariae Concilii violentiae humiliter et patienter cessurus, et malum in bono superaturus, Synodi convocationem revocavit. Porro an inter Praelatos fuerint qui in hoc negotio Concilii prohibitiones ratas gratasque habuerint, easque suae a Syncdo abhorrendi voluntati in velum praetenderint, judicandum relinquent ei, a quo et de quo dictum est illud : *Homo videt ea quae parent, Dominus autem intuetur cor.* Pro certo tamen tenendum est Praelatos, qui a Nuncio starent, omnes percupisse ut Synodus celebraretur, haud dubitantes quin ibi clarius sole meridiano

¹ Reg. 16.

demonstraretur, inducias meram fuisse conjurationem, ipso rei exitu jam palam proclamante, quod Nuncius et Iberniae Praelati pro ipso facientes in illa armorum cessatione ab initio horruerant. Aliis autem Praelatis, qui Nuncii partes non sequerentur, haud dubitandum erat quin in Synodo pateret et in rem notoriā nēdūm judicatam transiret, quam turpiter et ignave | defecerint. Quare 1524 pauciores illos ad celebrandam Synodus properasse non jura-
verim, praesertim cum tunc Concilii perjuria, perfidiam, et initam cum haereticis conspirationem re ipsa indicante non resipuerint, sed postea eandem conjurationem corde, ore, et opere promoverint. Caeterum satis hic laudari non possunt Galvienses, qui posthabitū Concilii Supremi et aequē impiis Clanricardii minis decreverunt Synodo apud Galviam celebrandae utramque portam aperire, sicut in suo Diario ad 5m Augusti tradit ipse Nuncius, qui ipsos et alios ut angustiis illis liberaret, Synodus demum haud celebrandam duxit.

(953) Allatae sunt ad Nuncium non nullae quaestiones ex Episcopi et Cleri Laghlensi parte Synodo proponendae, quarum tertiam, quartam, sextam, septimam et octavam, quod rerum tunc statum indicent, propriis ipsorum verbis hic habes :

(954) “ 3°. Quaeres quam paenam incurunt improprietarii Catholici possidentes bona ecclesiastica sine Ordinarii admissione aut ejus licentia petita, aut qui dicta bona tenent aut recipiunt ab haereticis sine Ordinarii licentia, nulla ei consideratione data ?

(955) “ 4°. Utrum Catholici improprietarii teneantur dare certum stipendum parrochis et quantum ex centum vg. libris per annum, et quam paenam incurunt renuentes eis aliquid dare ? |

(956) “ 6°. Utrum improprietarii Catholici teneantur dare 1525 jam curatis quantum ante commotionem dederant Ministris haereticis ?

(957) “ 7°. Quomodo procedendum iis Catholicis, qui terram mensalem Episcoporum possident et non solvunt eis quantum haereticis Episcopis ante commotionem solverant, et utrum tuta conscientia dictas terras aut alia jura ecclesiastica possidere possunt sine consensu Ordinarii Catholici, jus suum tantum derivantes a pseudo-Episcopis.

(958) “ 8°. Quomodo procedendum cum iis, qui sub praetextu juris bona ecclesiastica tenent et jus suum ostendere contemnunt, et quid faciendum cum ipsis improprietariis, qui oblationes et mortuaria secum detinent, et nihil parrocho solvunt ? ” Haec illi.

(959) Praefatis Cleri Laghlenensis quaestionibus subnecto schedulam ab Episcopo Ardfeartensi missam et manu propria scriptam his verbis :

" Illustrissimo ac Reverendissimo Domine D. Joanni Baptista Rinuccino, Archiepiscopo et Principi Firmano, Nuncio Apostolico Extraordinario.

(960) " Exponitur Illustrissimae ac Reverendissimae Dominationi vestrae qualiter sedes Ardfeartensis et Achadoensis tempore immemorabili unitae antiquitus fuerint multis dotatae praediis, arcibus, et redditibus Episcopali assignatis mensae, praeter ea, quae Capitulorum et fabricarum usibus destinabantur. Labentibus | autem in deterius saeculis, et charitate frigescente, multorum abundavit iniquitas etiam Catholicorum quorumdam nobilium predicta praedia et redditus magna ex parte violenter usurpantium, et quod reliquum supererat grassante haeresi et pseudo-Episcopis de divino culto minime sollicitis profana dilapidatione alienatum est, usque adeo ut Episcopo tantum non relictum sit, quantum unius cappellani congrue sufficeret sustentationi, fabricis vero nihil, Capitulo Ardfeartensi parum, Achadoensi extincto. Unde nisi aliter provideatur, illum Episcopatum dissolvi et Limericensi ac Corcagiensi respective uniri necessarium censetur, irremediabili licet populorum detimento, cum ille in se quinquaginta millaria longitudinis et triginta adminis latitudinis contineat, distetque multum a predictis sedibus et itinera sint omnino montana ac velut inaccessa, et (quod silentio praetereundum non videtur) dictus Episcopatus in Provincia semper habitus sit primus post Cassiliensem, ut constat ex archivis et Parlamentis Dubliniensibus, in quibus Episcopus Ardfeartensis sedet immediate proximus Metropolitano. Itaque humiliter suggeritur Illustrissimae Dominationi vestrae expedire potius et cultui divino ac diaecesanorum saluti et commodo magis esse consentaneum, ut tam antiqua et spatiosa sedes | non dissolvatur, sed ei veniatur in primis Prioratus de Balibeg Ordinis Canonicorum Regularium S. Augustini, Corcagiensis et Chuanensis diaecesis, quem Prioratum cum suis praediis, decimis, et annexis omnibus obtinuit ipse Episcopus Ardfeartensis ex dispensatione Apostolica, durante vita. Sunt et alia etiam minuta beneficia, quae similiter in perpetuum uniri debent cum predicto Episcopatu, scilicet Prioratus de Ratuoig et Prioratus seu beneficiolum de Innis-Fahlinn ejusdem Ordinis, Ardfeartensis et Achadeoensis diaecesis, eoque vel maxime, quod nullus Catholicus

1525

v

1526

praedictos Prioratus seu beneficia per litteras (ut vocant) patentes obtineat, sed haeretici, quibus Pontificiae sanctiones suffragari minime consueverunt. Per istam denique unionem haeresi et usurpatione cessante, Episcopo, fabricis, et capitulis, maxime Achadeoensi nunc extincto aliquatenus providebitur nulla Catholicis illata injuria." Haec ibi, quae, quando scripta fuerint, mihi (ut verum fateor) non constat, licet conjectem ad Synodum, de qua nunc agimus, destinata.

(961) Non solum bini Episcopi Laghleniensis et Ardfeartensis, sed etiam totius (credo) Iberniae Praelati hujusmodi quaerelas circa bonorum ecclesiasticorum dilapidationem movere poterant. Ex quibus liquet quam tepide complures ex Confaederatis Catholicis Ecclesiae causam in hoc bello tractarint, cum post praeclaros progressus praedia Deo et Ecclesiae sacra | magnam partem a pluribus ex ipsis Faederatis titulo ab haereticis Angliae retro Principibus derivato possiderentur, praesulibus, parrochis, monachis, et aliis ecclesiasticis incassum conquerentibus. Quibus corruptelis licet a belli initio visum fuerit connivere, quo Catholici omnes, etiam illi, qui bona ecclesiastica modo jam dicto possidebant, fidei causam libentius promoverent, et hi ab aliis Faederatis ad haereticos proprio ducti commodo non desciscerent, id tamen ad duritiam cordis eorum decretum fuit, cum speraretur futurum ut ipsi sponte sua propriae animarum saluti consulturi male parta bene restituerent, vel certe revecto causae Catholicae triumpho restituere cogerentur, exceptis qui Sedis Apostolicae dispensatione (siqui tamen tales erant) niterentur in contrarium. Ob quam rationem politicam et conniventiam utinam Deus illis, qui hujusmodi usurpationis bonorum ecclesiasticorum alias hac ex parte insontes essent, non succensuerit, et eorum in hoc bello conatus ideo non prosperarit. Reque ipsa politia illa ab ipso prudentiae tramite aberrasse videtur. Nam illi bonorum ecclesiasticorum possessores Catholici, si a belli initio latifundiis Deo dicatis excussi fuissent, ad publica Faederatorum munia non anhelassent, sed vel privatam domi vitam duxissent, vel certe Dubliniam aut Londinum aut alio, ubi minus nocere possent, se contulissent, expectantes futurum ut haeretici | triumpharent, ipsique eorum viribus et favore illos fundos vindicarent. Quae manifesta atque aperta eorum defectio Faederatis longe minus praejudicasset. Secus enim factum est ut bello Catholicō nomen dederint, redditibusque alias in Cleri sustentationem et militiae Catholicae sumptus impendendis incrassati, in civilia et militaria Faederatorum

1526

v

1527

munera publica frequenter irrepserint, in maximam triumphi Catholici remoram, cum timerent ne si Ecclesia Iberica in integrum restitueretur, ipsi solito magistratus haeretici brachio, quo possessionem continuarent, destituerentur. Quo factum ut Ormonistae numero creverint, et demum per Ecclesiae bona Ecclesiam et ecclesiasticos depresserint. Ex adverso autem si bona illa Clero ab initio restituta fuissent, ecclesiastici, quae a laicis in usibus prophanis collocabantur, in belli Catholici sumptus impendissent, ipsique et necessarii causam Catholicam constantius promovissent, et denique Praelati monastici, quibus magno numero in Ibernia ex antiquo Regni jure in Parlamentis sedendi et suffragandi jus competeteret, in magnum rei Catholicae profectum publicis Faederatorum concessibus interfuisserint, secus Ormonistarum sagacitate bonis unaque illo jure destituti, ne Clerus Clerique partes inter deliberationes publicas numero praevalerent.

(962) Ad Concilium Supremum redeo. Cujus in impedientia | Synodo Nationali malignitatem et violentiam quis non horreat? Quae ejus audacia eo spectabat ut Clerus induciarum iniquitatem populo non ostenderet tunc praesertim ostensu facillimam. Clerus enim in ea Synodo declarasset inducias eo potissimum fuisse a se damnatas et prohibitas, quod essent Concilii et Insequinnii conjuratio in eum potissimum tendens finem ut non illa pax religioni et nationi summopere profutura, quam solam contrahendam ultima Regni Comitia statuerant, sed alia iniqua celebraretur, nec Catholicus sed Ormonius contra eorundem Comitiorum sanctiones in Proregem destinaretur, nec alia multa ab iisdem Comitiis ordinata atque in legatorum instructionibus superius positis magnam partem contenta effectum sortirentur, sed in maximum religionis, Cleri, et nationis damnum altera Regiminis ratio perniciosa sub Ormonio introduceretur. Quae omnia Concilium mensibus superioribus futura pernegaverat ut Synodi prohibitae tempore constiterit inficiations illas fuisse falsissimas, legatione Gallicana consulto ita jam frustrata ut propterea Romana quoque ad nihilum reciderit, Concilio aliisque Ormonistis Ormonii ex Gallia trajecturi redditum palam anhelantibus, ut mala malis accumularent. Cumque Concilii partes | essent ut Muscrium et Brounum jam in Iberniam regressos oblegationem Gallicanam turpiter obitam securi percutiendos curarent, et inducias in praefatum finem pessimum a se nunquam pactas fuisse opere demonstrarent, proindeque omnium ac praesertim ultimorum Comitiorum Generalium decretis exequen-

dis insisterent, tantum abest ut id praestiterint, ut etiam Inse-
quinnii vires haereticas suis associarint, et Nuncio, Clero, Clerique
partibus bellum truculentissimum indixerint, ne id praestare co-
gerentur, et ut suum sceleratum finem violenter assequerentur
quem Massarius, Decanus Firmanus, post legatorum regressum
et ante Ormonii redditum in suo tractatu tunc adversus inducias
Kilkenniae contexto tetigit his verbis: "Quod (inquit) alter
finis praecipuus hujus faederis sit revocatio et exaltatio Marchionis
Ormoniae in Proregem, et proinde quod sit factum pro commodo
et bono privato et non pro publico demonstrant litterae, non
modo Illustrissimi et vigilantissimi D. Nuncii Galliarum et D.
Tirelli, Agentis hujus Regni, scriptae Parisiis (ubi haec omnia
fuerunt tractata et concordata), sed etiam constat ex diversis
aliorum patriae zelantissimorum monitis, relationibus, et scriptis,
quae nunc majori ex parte ob omnium oculos verificata cernuntur
in aliis hujus negotii circumstantiis et accidentibus. Et propter
hunc principaliter finem fuerunt omnia ad satisfactionem Inse-
quinnii tam prodigaliter quam praejudicialiter in articulis (ut
supra) concessa, ut ipse libentius ad reductionem et susceptionem
Ormonii | concurreret, et totam machinationis molem promoveret
pro suo quoque commodo particulari. Ideoque post redditum
DD. Muscrii et Brouni fuit parata Corcagiae domus ad illum
suscipiendum et disposita caetera omnia ad eundem effectum
necessaria. Sunt insuper plurimi fide digni viri nobiles et gene-
rosi, quorum nomina hic sileo ne injuste graventur, qui ex Gallia
huc redeuntes irrefragabile ferunt testimonium de hoc et aliis
particularibus, idque tam manifeste ut non possit de eo amplius
dubitari. Et nisi propter constantissimam Cleri resistentiam
et validam D. Eugenii et caeterorum bonorum Catholicorum
oppositionem timeret Ormonius manifestum periculum quod
denuo majori cum turpitudine et dedecore ipse expelleretur e
Regno, nunc appulisset in hanc Insulam, essetque trepidans et
dominans cum suis factionariis, quanquam totum sit contra
determinatam Comitiorum Generalium resolutionem, et contra
omnes omnium ordinum instructiones et expressum mandatum a
Comitiis datum illis Agentibus, et contra tota alia Regni statuta
jurejurando confirmata. Sed dicant (quaeso) isti Domini ad
quid redierunt in patriam, antequam juxta Comitiorum jussa
et decreta responsum acciperent ab aliis Agentibus Romam
missis? Estne hic fidei et Patriae zelus? Estne vera corres-
pondentia erga specialem universi Regni confidentiam in eis
collocatam? Estne gratitudo, honor, et reverentia, quam

1528

v

1529

Summo Pontifici, Patri et benefactori suo, tota debet Ibernia? Suntne isti effectus sperati et expectati a tam speciosa missione? At vero totam hanc telam texuerunt isti Consiliarii phrenetici (ut dixi) in ordine ad privatas suas commoditates et fines, non autem pro bono publico, eamque adhuc continuant et intendunt in honorem et utilitatem familiae Butlerorum, consanguineorum, amicorum et sequacium, ut totis viribus exalent caput illius familiae, Marchionem Ormoniae, facta jam (ut in abjurata pace fecerant) distributione inter ipsos, eorumque amicos et fautores, etiam haereticos, omnium officiorum et dignitatum Regni, absque respectu quod de his qui foris seu extra nos sunt, nihil ad nos; prout in cap. multi quaest, 1a, et cap. de infidel. de divort. et quod sub capite haeretico simul et hostili, Catholica Romana fides, religio, et hierarchia ecclesiastica nunquam possit prosperare, sed plurimum pati, imo debeat perdi et certissime extingui. Et sane videtur clare quod Deo vero renunciaverint, aut saltem primas homini haeretico, secundas vero Deo partes tribuant et reddant, dum idolum istud, infidelemque suum Dagan toties jam pronum et in faciem in terras dejectum et in pulverem fere redactum, adminus deformiter truncatum, denuo reducere et in locum Arcae Dei vivi, Orthodoxae scilicet fidei et religionis restituere connituntur." Haec ille.

(963) Ex his, quae post legatorum mense Julio ex Gallia

regressorum et ante Ormonii ad Octobris initium indidem advecti redditum scripta fuisse video, colligere est Concilium illo temporis intervallo machinationem in Gallia structam et a legatis in Iberniam reversis eidem Concilio relatam haud omnibus comunicasse, ne multi eorum, quos antea suis fraudibus, mendaciis, et technis deceperat, ad Nuncii partes deficerent. Qua Concilii circumventione non obstante molitionem re ipsa patuisse liquet, sed non ita quin aliis coloribus a conjuratis pingeretur. Secus enim quorsum tunc Massarius in ea machinatione apud Galliam circa Ormonium in Proregem destinandum probanda operam

1529

v

(sicut hic vides) collocasset? Ea sane in tota hac conjuratione erat Concilii simul fides pessima et impudentia, ut ex una parte totis viribus conspirationem semper provexerit, et ex altera nullam ejus partem suos adversarios non celarit, nisi quam celare et cum celare non posset. Sed legatorum in Galliam destinaturum et tunc mense Julio in Iberniam reversorum primus, Antrimiae Marchio, sicut in Gallia praecclare se gesserat, ita in Iberniam redux machinationem sincere aperuit. "Qui (sunt D. Doctoris Enos verba) statim a suo Parisiis in Iberniam reditu

totam conjurationis seriem in Palatio Episcopali Fernensi pro animi sui candore mihi aliisque recensuit. Caeteris enim legatis prius ipse Reginam accessit, atque ab illa, quae pro Faederatorum voto expectari poterant, impetravit omnia. Supervenientes autem postea alii duo legati, Muscrius et Brounus, omnia susque deque everterunt, clanculariaque Parisiis conventicula cum Praesbyterianis cogentes suppressionem Nuncii Apostolici et Cleri, Eugenii, ejusque exercitus, nec non Faederatorum omnium Praesbyterianis non adhaerentium in se suscepserunt, atque Reginae nostrae sponderunt, modo Ormonius in Iberniam redux ad Regni clavum denuo promoveretur." Haec ille.

(964) Inter alia autem, quibus Concilium suam conspirationem roborandam duxit, haud ultimum fuit quod sui fautores e Clero populoque non paucos ante legatorum redditum in 20m Junii Kilkenniam convocarit, Nuncio tamen Praelatis praecipiente ne ad eum congressum a potestate laica et sibi adversante et Concilii nationalis convocationi intercedente indictum confluenter. Reque ipsa absurdissimum erat Concilii institutum ex una parte contemnentis plerorumque Praelatorum lata in inducias decreta et prohibentis ne liberam Clerus Synodus | celebraret, et ex altera parte invitantis Praelatos et theologos Kilkenniam, quo conventuri tantum essent ipsius Concilii fautores, ut altare adversus altare erigeretur, et paucioribus ecclesiasticis in potiorem et saniorem Cleri partem plena fieret insurgendi licentia. Porro Concilium aliqui laici Concilio studentes, Ormonistae omnes, quoddam juramentum ab omnibus suscipiendum formaverant, et ad ejus jam editi primos dies illis ipsis e Clero, qui Kilkenniae Concilio assisterent faverentque, obmurmurantibus, atque haud Catholicum esse affirmantibus, deinde appendicem adjecerunt, et juramento secundum appendicem intelligendo non pauci subscriperunt. Utrumque actum Anglice editum hic Latine verto ex ipsa charta tunc Kilkenniae excusa.

1530

(965) "Ego A. B. juro et protestor coram Deo, Sanctis, et Angelis ejus me pro virili juramentum associationis observaturum, et authoritatem Supremi Concilii, nec non statutum per Generalia Faederatorum hujus Regni Catholicorum Comitia Regimen defensurum, non obstante excommunicatione praesenti ab Illustrissimo D. Nuncio et quatuor Episcopis contra authores et defensores cessationis armorum cum Insequinniae Barone conclusae, eique adhaerentes fulminata, et non obstante qualibet alia excommunicatione, quae eodem fundamento nitatur, imposterum ferenda. Ab eis etiam a quibus lata est ad Suam Sanctita-

*Jura-
mentum.*

tem tanquam ad aequum Judicem appello. Et insuper juro me, etiam cum vitae discrimine, pro viribus suppressorum omnes et singulos, qui dictae cessationi armata manu repugnaverint. Ita me Deus adjuvet.

Appendix. (966) "Quo occupetur omnis scrupulus, qui nasci posset ex jurisjurandi, quod nuper administrandum direximus, | 1530 clausula, videlicet, non obstante excommunicatione praesenti ab v Illustrissimo D. Nuncio et quatuor Episcopis contra authores ac defensores cessationis armorum cum Insequinniae Barone conclusae eique adhaerentes fulminata, et non obstante qualibet alia excommunicatione, quae eodem fundamento nitatur, imposterum ferenda. Quanquam ulteriorem propositi, quam quae ipsius juramenti verbis continetur, explanationem edere supervacaneum judicavimus, nihilominus quo omnibus fiat satis, nullaque vel carpendis nostris actionibus via vel juramentum subterfugere volentibus reliqua sit excusatio, per praesentes declaramus nos generali excommunicationis vocabulo non aliam intelligere quam quae jam lata est, aut forsan imposterum per Illustrissimum D. Nuncium et hujus Regni Clerum aut alterutrum propter dictam cessationem durante aut pendente nostra appellatione feretur.

Ex arce Kilkenniensi 27 Junii anno 1648.

"Mediae Occidentalis Comes. Fingallius. Montgaret-tus. Netervillus. Ludovicus Clanmallierus. Galmoius. Athunrius. Trimlestonus. Dunboynnus. Ossoriae Superioris Baro. Lucas Dillonus. Robucus Lynchaeus. Richardus Barnevallus. Thomas Nugentius. Richardus Everardus. Patricius Netervillus. Lucas Fitz-Geraldus. Richardus Bellingus. Patricius Goaghush. Joannes Walshaeus. Patricius Brianus. Geraldus Fenellus. Zepherinus Barronus. Robertus Devereux. Georgius Comminus. Jacobus Cusakus. Laurentius Doudallus. Guillelmus Horus. Mauritius Fitz-Geraldus. Robertus Sheeus. Marcus Chevers. Michael Dormerius. Thomas Rauciterus. Franciscus Dormerius. | Michael Bolanus. Robertus Meadus. Piercius Creaghush. Thomas Henes. Walterus Walshaeus. Richardus Strange. Petrus Shorlocus. Edmondus Brays. Thomas Cantwellus. Walterus Archerus."

1531

(967) Ex his quadraginta quatuor laicis subscriptis duo primi erant Comites, quatuor sequentes Vicecomites, quatuor alii his subnexi Barones, quinque his subjuncti cum septimo censu Equestris, et reliqui omnes promiscui Ordinis inferioris.

Inter eosdem quadraginta quatuor non nisi Athunrius, Lucas Dillonus, Robucus Lynchaeus, Richardus Bellingus, Patricius Brianus, Geraldus Fenellus, Zepherinus Barronus, et Robertus Devereux erant ex Supremo Concilio *Consiliarii residentes*. Alii aliquot erant Consiliarii non residentes, alii neutro modo Consiliarii. Quid autem Consiliarii residentis, quid non residentis notione intelligendum sit, superius indicavi? Porro mihi a fulminatis censuris nullum praeterquam hoc occurrit Concilii actum, cui Zepherinus Barronus manum apposuerit. "Qui (inquit Doctor Enos) consulto juramentum praestitit, ne suo in Concilio privaretur suffragio et authoritate. Semel deinde atque iterum ad Concilium accedentem suoque munere fungentem, demum illum penitus ejecerunt, eam dumtaxat ob causam quod sacrilegis et tyrannicis laicorum Consiliariorum decretis et mandatis subscribere detrectavit, et ne ad Concilium deinceps rediret, Laesae Majestatis suum in Concilio parem accusarunt, Laesae Majestatis et Faederationis Catholicae proditores insignes." Sic ille. Caeterum ex universa Momoniae Provincia, quam illa induciarum controversia specialiter spectabat, procerum nemo inter praefatos juramento subscribentes reperitur praeter solum Dunboinniae Baronem, ipsumque Ormonii | contribulem, et aliorum Ormonistarum vafritie deceptum, sicut ipsum postea acto publico confitentem et paenitentem videbimus. Ex Lagenia autem fuere subscriptentes illi duo Comites, quatuor Vicecomites, Baronum duo, nempe 2us et 4us, equitum tres, aliorumque plerique, ut Vicecomitum duo nempe Montgarettus et Galmoius, paternum ex domo Ormonica genus traxerint. Denique illi juramento nisi Ormonii studiosus subscrispit nemo, multique illorum Lageniensium fuere ipsissimi, qui anno 1646 nefariam in expeditione Dubliniensi cum Ormonio, tunc hoste aperto, et Clanricardio contra Nuncium, Clerum, Eugenium O Nellum, atque ejus exercitum conjurationem aliquandiu occultam ac demum apertam coierant, sicut suo loco retulimus. Porro praefatus Galmoiae Vicecomes, Petro Butlero Thomae cognomento nigri, Ormoniae Comitis, filio naturali per lineam paternam prognatus tunc recens illa dignitate, aliique non pauci similibus illecebris allectati erant, ut escis illis adducti viam Ormonio ad redeundum alacrius munirent. Caeterum praefatum juramentum non solum eo tendebat ut inducias, proindeque conjuratio sub induciarum velo propinata, in causeae Catholicae ruinam sustineretur, adeoque hac ex parte iniquissimum erat, sed etiam alio ex capite peruria perjurii accumulabat,

Justitiae.
Cap. 36.
num. 8.

1531
v

cum ex prima ejus parte jurantes ad juramentum associationis observandum et ad statutum per Generalia Regni Comitia regimen defendendum, et ex altera parte ad inducias et pseudo-Concilii molitiones pro virili tuendas tenerentur. Haec enim duo adeo sibi repugnabant, ut eo potissimum inducias damnatae et censuris prohibitae fuerint, quod medium | extiterint efficax a pseudo-Concilio excogitatum et potenter adhibitum ad efficiendum ut iis, quae Generalia Regni Comitia potissimum ultima decreverint, evacuat, aliud iniquissimum Regimen sub Ormonio intruderetur. Quod totum ita successit ut non nisi inducias contractis et haereticis Insequinnii viribus Concilio adversus Eugenii O Nelli copias ex induciarum pacto militantibus successisset, cum alias Eugenii copiae facillime peregrissent ut Comitorum Generalium, praesertim ultimorum, decretis exequendis insisteretur. Sed illa juramenti perplexitas et contrarietas jam dicta a pseudo-Concilio nequissime excogitata fuit, ut populo fucum faceret, et dum praefatis decretis toto nisu enervandis per inducias operam dabat, non enervandis sed exequendis insistere videretur. Utcumque autem tolerabile est, quod ante demonstratam ipsis operibus eorum mentem omnino aliam, hae praestigiae apud rudem multitudinem fidem obtinuerint, sed stupendum est quo pacto legatis ex Gallia reversis, conjuratos suae impudentiae non puduerit paenitueritque, et machina populata, populus illud pseudo-Concilium non lapidaverit. Tantum autem abest ut id contigerit, ut etiam Concilium perfricta fronte, jam legatis in Iberiam reversis, omnes industriae et animi nervos solito fortius intenderit, ut juramentum iniquissimum arte et Marte executioni mandaretur, constitutis Commissariis, qui id intruderent, utroque brachio civili et castrensi in auxilium advocato. Ut autem Clerus, cuius constantia Concilio negotium magis facessebat, paenis in foro | ecclesiastico infligendis ab hoc juramento suscipiendo minus deterreretur, Concilium aliud nefarium edidit decretum, quo quibuscumque ex utroque Clero saeculari et Regulari jusjurandum illud suscepturis nullum non spopondit patrocinium, quo atque aliis artibus integrum apostatarum gregem in suas partes attraxit, et in legitimos Praelatos sollicitavit. Mihi occurrit modus, quo in diaecesi et civitate Limericensi super hac causa processum est. Ubi Concilii mandato 20 Julii Kilkenniae dato assumpti sunt in illius juramenti intrudendi Commissarios ejusdem civitatis Praetor, aliique, sicut me docent monita seu instructiones Commissariis a Concilio praescriptae, quas D. Joannes Creaghus, S. Theologiae Doctor,

1532

v

Limericensis Vicarius Generalis, Praetori, cui charus esset, per aliquot horas subduxit et Nuncio Galviam transmisit Latine redditas, quas et hic subdo :

“ In castro Kilkennensi 25 Julii 1648.
“ Per Supremum Concilium.

“ *Instructiones datae Commissariis constitutis ad ministrandum annexum Juramentum in civitate et diaecesi Limericensi.*

(968) “ Ubi hanc Commissionem receperitis, statim vos ad Reverendissimum Dominum Episcopum Limericensem conferatis, et postquam vos ipsi hoc juramentum annexum coram sua Reverendissima Dominatione suscepereritis, et nomen aut nomina eorum, | quos sua Illustrissima Dominatio idoneos 1533 duxerit, qui vobis in commissione associentur, inserueritis, ac de iis, quae vestrum mandatum continet, et de hisce documentis eum feceritis certiorem, nec non de necessitate strictoque ac severo modo in iisdem procedendi, cum id praecipuum sit remedium declinandi ruinam Regni intentatam maxime per non nullas machinationes quorundam de Clero osorum regiminis ; rogabitis ut Sua Dominatio diem illam aut sequentem suo Clero saeculari in illa civitate dicat ad comparandum coram Sua Dominatione certa hora et loco intra civitatem, ut iisdem quae-dam magni momenti negotia pro Ecclesiae bono et Confederatorum Catholicorum tranquillitate communicare valeat ; similiter et ut sua Dominatio moneat reliquum Clerum saecularem suae diaecesis, quatenus in eundem finem conveniat in ea loca, quae sua Dominatio idonea judicaverit, die aut diebus per suam Dominationem assignandis.

(969) “ 2. Temporibus ad hujusmodi conventus respective tenendos assignatis vos aderitis, et post lectam publice vestram commissionem, et datam personis quae tunc convenerint notitiam de necessitate emittendi hujusmodi juramentum, nec non de proposito et intentione Concilii procedendi omni modo cum rigore adversum eos, qui hujusmodi juramentum suspicere detrectaverint aut emittere distulerint, juramentum iisdem exhibebitis. Si quis autem eorum Juramentum ipsum suspicere negaverit, aut emittere distulerit, statim hujusmodi virum (per viam facti) tanquam seductorem, aut ut personam de seducendo a fidelitate Majestati Regiae debita populo maxime

1533 suspectam apprehendetis, quoad habita per nos ejusmodi |
 v negationis aut dilationis suscipiendi juramentum notitia (ut
 promittitur) mandatum dederimus ad examinandam ejusmodi
 personam et ad procedendum adversus eandem coram suo
 Ordinario, aut ad aliud tribunal, prout ejusmodi Ordinarius
 dignum judicaverit.

(970) " 3. Conferetis itidem vos idque nomine nostro ad Religiosorum respective Ordinum in illa civitate moderatores, et lecto vestro mandato ipsis exponetis quod Concilium primo omnium cum eorum Provincialibus ageret, ut illis intervenientibus et eorum opera, juramentum ab eorum Religiosis respective subditis susciperetur, nisi in mora, quam ejusmodi applicatio secum traheret, manifestum esset periculum Regno et rei Catholicae, praesertim cum quidam Provinciales ob fines suos privatos sese Regimini opponant. Unde Concilium urgente necessitate cogitur, supremam in civilibus cum habeat a Regno potestatem, *ad praecipiendum* ex nunc modernis locorum superioribus, ut, nulla interposita mora (prout fidelitatem Regiae Majestati profitentur, et juramentum associationis inviolatum volunt) coram vobis juramentum illud suscipiant, ac, vobis praesentibus, idem suis respective Religiosis subditis ministrant. Si qui autem ejusmodi locorum superiores praedictum juramentum suscipere aut recusaverint aut distulerint, vel (sicut praelibatum est) suis ministrare noluerint, ejusmodi superioris personam (per viam facti) apprehendere debetis (sicut praemissum est), et per vos ipsos juramentum Religiosis ministrare, parique ratione procedere cum reliquis illius diaecesis Religiosis, et tempus aut tempora assignare ad eos | conveniendos, sicut expedire judicaveritis.

1534

(971) " 4. Ante susceptum vel inter suscipiendum juramentum admoneatis tam superiores quam subditos, ut si Regnum tutum et Confaederatos salvos velint, statim omnes et singulos prodant, quos juramenti transgressores aut cujusvis partis aut membra *edicti protectionis* praevericatores esse noverint. Quod si hujusmodi superior exemplariter in tales non animadverterit, aut si ipse criminis in Rempublicam repertus fuerit reus, tales Religiosi, sive omnes sive eorum aliquis vos de rebus omnibus certos faciat, ut via ineatur aut modus, quo damnis eventuris obex ponatur.

(972) " 5. Cum omnes juramentum suscepserint, aut prius quam suscepserint, vel saltem inter illud suscipiendum, moneantur et peremptorie et suo periculo, ut monita in *protectionis edicto*,

quod ecclesiarum valvis et conventuum nec non Religiosarum respective domorum portis affigere debetis, praescripta observent, deindeque iisdem declaratis quod re vera ac serio *Concilium obedientes proteget* ab omnibus adversariis et a cuncta ipsis inferenda violentia per quemcumque eo quod hac in parte censuris sese opponant, subditorum officiis ea in re satisfacientes. E contra vero quoad actualem legum paenitentiam et paenarum executionem procedet adversum inobedientes, quibus publica censurarum observantia imputabitur in manifestam erga civilem magistratum inobedientiam, populi a fidelitate Regiae Majestati debita seductionem, scrupulorum in conscientiis procreationem, et divisionem in Confederatorum cordibus.

(973) "6. Parochiarum respective, vicorum sive platearum | illius civitatis laicis citra tempora et loca ad conveniendum assignabitis, ipsis dictum juramentum ministraturi, ejusque, qui id suscipere noluerit aut susceptionem distulerit, personam incarcerabitis, et ejusmodi respective hominum nomina ad nos remittetis, ut ad procedendum adversus eos mandatum demus sicut justitiae consonum videbitur.

(974) "7. Post octo ad summum dies a receptione hujus nostrae Commissionis et harum instructionum, exactam et particularem vestri in illa civitate processus in et super praemissis rationem ad nos remittetis. Rationem quoque vestri Processus in reliqua diaecesi ad nos quam citissime, adminus in vel citra diem Augusti proxime futuri 15^m transmittetis. Qui autem de Clero aut ordine laicali praedictum juramentum suscepit, ei subscriptant, quo una cum vestri processus ratione (sicut praelibatum est) ad nos omnia referantur.

"Dunboynius. Lucas Dillonus. Richardus Blakus.
Richardus Bellingus. Geraldus Fenellus. Patricius Brianus. Joannes Walshaeus."

(975) In hujus mandati et monitorum exequendorum Commissarios assumpti fuere a Concilio Praetor Limericensis, Dominicus Whytaeus nomine, alter Dominicus Whytaeus, Eques auratus, Guillelmus Boorkus Pollardopolitanus, Jacobus Laci de Broofe et Cornelius Clancius armigeri, relicta in mandato lacuna Limerici adimplenda ab Episcopo Limericensi, cuius arbitrio commissum erat a Concilio, ut iisdem Commissariis in illa lacuna alium vel alios associaret. Ex qua circumstantia | colligimus quantum illi Consiliarii in Episcopo spem collocarent eo ipso tempore, quo sacrilege prohiberent, ne ad Synodus a Nuncio indictam se conferret. Porro non dubitandum est quin

1534

v

Vol. IV.

1535

Concilium simili modo in aliis Faederatorum civitatibus, oppidis, et tractibus parem eodem tempore ad impium illud Juramentum intrudendum diligentiam et violentiam adhibuerint. Praefatus autem D. Joannes Creaghus, qui instructiones illas et annexum mandatum, quod brevitatis studio non insero, Limerico Galviam ad Nuncium miserat, annexis a se litteris : " Inivimus (inquit) modum, quo effectum hic non habeant, licet frendeant adversarii, qui nos delaturi sunt Concilio et pariter Praetorem, si ipsis constaret harum copias esse per me missas aut sumptas." Haec ille 6 Augusti 1648.

(976) Non est cur dubitemus turbas et motus pene innumerabiles per hoc impium juramentum et violentissimum ejus intrudendi modum toto Regno fuisse concitatos, Concilio, ne Nuncius et partes ejus triumpharent, vim inferente, et Catholicis eo magis juramentum illud detestantibus, quod tunc magis quam antea in conjurationis technas penetrarent. Porro hic silentio non praetereundum est quod vir religiosissimus et eximia vitae sanctitate praeditus, Fr. Joannes Verdunus, inter Capucinos Laicus, mihi retulit. Is enim tunc Kilkenniae in Capucinorum hospitio se tenebat, cumque semper, ac praesertim tunc dierum, inter tantas Ecclesiae Ibernicae tempestates contemplationi summopere deditus esset, sole meridiano clarius intellexit, et Deo caelitus | illustrante, vidi partes Nuncio adversantes indomitae passionis glaucomate excaecatos a recto aberrasse, et fore ut eorum culpa bellum illud in Ecclesiae Ibernicae nationisque excidium desineret. Quare peculiariter secum decrevit Nuncii partes usque ad mortem propugnare. Circa quam ejus animi sententiam petii quid fecisset si R. P. Barnabas Barnevallus, Capucinus et Capucinorum Ibernorum tunc Commissarius Generalis, caeterique per Iberniam Capucini a Nuncio defecissent. At ille : " adeo (inquit) constanter in eam sententiam, non homine sed Deo docente, iveram, ut si Capucini omnes, etiam praelati, imo si totius Regni Clerus populusque usque ad me unum ad partes Nuncio adversantes descivissent, ego tamen ab eo consilio nunquam deflexissem." Porro cum Concilium in urbe Kilkennensi quosdam instituissent Commissarios, qui impium Juramentum omnibus vicatim et ostiatim ministrarent, et recusantium nomenclaturam referrent, inter alios ad Capucinorum hospitium ea mente accesserunt, praesertim D. Thomas Walshaeus, Sancti Patricii apud Kilkenniam Curio, caetera vir doctus sed in hoc impius, et P. Laurentius Matthaeus, Carmelita, qui Joannem ad hospitii portam offendentes examinant, cuius

esset spiritus, et Concilii nomine rogant ut Juramentum suscipiat. At Joannes sancto quodam furore possessus et incredibili septus constantia : "Quinimo (inquit) pro Nuncii causa paratus sum sanguinem et vitam | profundere, nec aliud alii Capucini sentiunt." Cui Commissarii : "dic (aiunt) nomen huic refragantium syllabo intexendum." At his Joannes : nomen (inquit) meum est illud : *Pulvis es et in pulverem reverteris* : quo dicto divina zeli flamma percitus exprobravit illis vecordiam et pudendam ignaviam, quod ecclesiastici cum essent, contra Sedis Apostolicae legatum, sanctum aliunde virum, nec in ea controversia pro Ecclesia Ibernica restituenda minus sancte procedentem, adeo sordidum et quo haeresi in throno iterum collocandae janua aperiretur, mandatum exequendum suscepissent. Neque enim (inquit) usquequaque mirum est, homines saeculares quamlibet Catholicos vel ignorare in hac controversia quid praestare debant, vel praestare nolle, si non nesciant. Sectantur enim saeculum, cuius saepe sectatores tamdiu bonos profitentur Catholicos et Dei atque Ecclesiae causam tuentur, quandiu per hoc nec emolumenta perdunt, nec naturalis affectio aliud suadet. Cum autem in his tentantur, mox fluctuant, titubant et haud raro retrocedunt. Haec siquidem est mundana, carnalis, ac diabolica sapientia, quae in hujus scholae discipulis utcumque est tolerabilis, si cum homine ecclesiastico fiat comparatio, qui cum se Deo consecraverit, et divinis rebus sancte administrandis mancipaverit, nec aliam agnoscat uxorem, liberos, posteritatem, cognationem, possessionem quam Deum vivum, et cum psalmista dicat : *portio mea Dominus*. Nedum in fidei atque Ecclesiae detrimentum claudicare non debet, sed etiam in votis habere, ut singulis vitae momentis millena | pro Christi Ecclesia et religione 1536 tuenda patiatur martyria. Idque si negligat et contrario spiritu transversus agatur, in gregis Catholicici caula non ovem, multo minus pastorem, sed lupum rapacem gerit.

(977) Multa his similia ex abundantia cordis optimi in illos Commissarios Joannes eructavit. Quibus illi auditis, erubescentes ora viri Dei, non ausi sunt corripi entem redarguere, sed conscientia perseque nte, magno suo dedecore evanuerunt, nec unquam postea cum simili provincia ad Capucinos remigrarunt. Porro Joannes postea vincula, mortis sententiam, carceres, et exilium ab haereticis passus, hanc historiam mihi Carolopoli in Gallia retulit, ubi in Capucinorum nostratium conventu, me assistente, vitam sanctissimam 15° Martii 1655 sanctissime finivit, cum Germaniam, Galliam, et Iberniam quadraginta

circiter et duos annos, quibus in Capucinorum Religione vixerat, caelesti morum probitate illustrasset. Cujus et ipse tunc pro meo modulo vitam scripsi, quae plurimis eximiae sanctitatis argumentis variegatur. Porro ex quo rediit vir Dei ex Ibernia Carolopolim, ipse maxima de ejus sanctitate vitae possessus opinione, conatus sum ex ejus ore elicere praecipuas gratias et favores spirituales, quos anteactis vitae diebus a Patre Luminum receperisset. Cui multa, ne denegaret, proposui, ac praesertim id gratitudinis in Deum virtutem postulare, me quoque sub secreti obligatione ejus arcana nemini dicturum donec expirasset; sed nihil profeci. Tantopere ille humilitatem coluit. Quare in multas me facies et occultas industrias verti, ut saltem aliud agens et incautus mihi aliqua aperiret. Verum | ille tantopere humilitati continuo exercendae invigilabat, ut operam luserim. Id unum meis instantiis fractus et fatigatus, et sancta impatentia impulsus semel respondit, nempe si totum quod in eo genere posset communicaret, fore ut justo volumini materiam suppeditaret, sed se nunquam commissurum ut ea rescirem.

(978) Itaque cum per meam industriam nihil obtinuisse, nocte demum ante ejus mortem post absolutas in choro horas matutinas et consuetam Ordinis orationem mentalem, Deo inspirante P. Christophorum O Kearneum, Capucinorum Iberorum tunc Commissarium Generalem, in choro pro suo more sacras vigilias agentem, conveni, rogavique ut ad Dei gloriam mandato Joannem ad ea arcana communicanda compelleret. Quod et fecit. Quare is ubi ob paelati praeceptum nequit resilire: obediam (inquit) sed instantissime supplico Reverentiae vestrae ut quae dixero, neminem non celet, saltem donec expiravero. Itaque fassus est sibi apud Kilkenniam in Ibernia Christum Dominum in Eucharistiae sacramento cum tota humanitatis extensione partium extra partes apparuisse, idque in statu gloriose, quem ipse verbis explicare non valeret, seque in ea apparitione et post incredibili inebriatum fuisse spiritus voluptate. Rogatus in quo gradu orationi per totam vitam esset deditus? Fassus est unum animae suae centrum a primo Religionis ingressu fuisse semper orationem, ut, per Dei gratiam delectabiliter praecipitantem, sicut lapis deorsum, ignis sursum, et res quaeque ad suum centrum, ita ipse continua interim spiritus efficacia in rerum | divinarum contemplationem semper actus fuerit, ex quo Religionis habitum suscepserat, nec orationis unquam ab eo tempore concepisse fastidium, sed in ea potius quotidianam animae reperisse oblectationem. Rogatus an illas a Deo rece-

perit futurorum revelationes? Respondit, ex quo semel Capucinum induerat, nullam plane ullius momenti sibi obtigisse rerum mutationem, quam non ante a Domino per revelationem didicisset ac ea contigeret. Causatus autem debilitatem et pretiosissimi usque ad imminentem mortem temporis brevitatem, petiit a singularum revelationum enumeratione exemptionem, quam ut nimis rationi consentaneam Commissarius indulxit. Quod si hoc mandato, dum vires haberet minus colliquatas, ad singulas revelationes, quas duos fere supra quadraginta annos in Ordine receperat, minutim referendas fuisse compulsus, dubio procul integrum historiam conficerent. Sed haec jam culpa nostra, qui citius haud compellendum curavimus, et ipsius humilitate delitescunt, perpetuaeque oblivionis tumulo sepulta jacent. Inter quas revelationes mihi persuasum est fuisse illam evidentissimam notitiam, quam de causa Catholica apud Iberniam iniquissimis Concilii Supremi atque adhaerentium machinationibus pessundanda Kilkenniae hauserat, et mihi ante extremum morbum communicaferat. Nam licet ea fuerit humilitate, ut mihi se id per revelationem divinam didicisse non dixerit, sed aliam modestiorem notitiae explicandae viam inierit, circumstantiae tamen efficiunt ut verissimam revelationem fuisse credam, ejusque summae | animi demissioni ascribam quod expresse non dixerit 1538 fuisse revelationem.

(979) Itaque (ut ad narrationis filum redeam) Concilium Supremum cum legatis ex Gallia reversis legationem illam frustratam fuisse et Ormonium redditum didicisset, tantum abest ut illi malorum torrenti se opposuerit, ut etiam se conspirante totam illam machinam adhibitam esse plus solito demonstrarit. Tunc enim Synodo celebranda intercessit, et suorum Ormonistarum conventiculum, quo conjurationem fortius stringeret, in 4m Septembris indixit, et postridie quam legatos ex Gallia appulisse Regis Catholici Orator Nuncio per litteras Kilkennia scriptas significasset, postridieque quam Concilium praefata duo per litteras 24 Julii scriptas Nuncio intimasset, idem Concilium in scelerato juramento intrudendo strenuam operam jam praestitit. Qua maligna ejus mente antea quidem utcunque palliata, sed tunc oculatis omnibus palam facta, prudentes crediderunt futurum ut saltem tunc a plerisque Catholicorum desereretur et saltem bello succumberet, quod jam nobis recensendum restat.

(980) Ante hoc Catholicorum bellum civile natum invenio Eugenium O Nellum 29 Martii 1648 in Comitatu Kildariensi duas

1538

v

Parlamento Anglicano militantes intercepisse haereticorum turmas equestres, et armis spoliasse, caesis 24 et captis triginta; deindeque | nuncium receptum est eum Kildariae castellum aut (nam hic fluctuo) ecclesiam in praesidium ab haeretico inductam cepisse. Ortis autem domesticis Catholicorum discordiis qualiter Prestono ad Concilii mandatum persequente Eugenius ex Lagenia in Conaciam Athlonia copias, et suum Ultoniensium multitudinem cum armentis transfuderit, jam tetigi. Inter haec Valentinus Blakus, miles Baronettus, et Richardus Blakus, eques auratus, ambo Galvienses, qui strenuam Galviae navarant operam ut spretis censuris induciae admitterentur, et municipium illud Concilio Supremo audiret, dum eandem causam valentius promoturi Galvia Kilkenniam proficerentur, a militibus Ultoniensibus sub Eugenio O Nello Mariamburgi praesidiariis itinera subinde insidentibus capti, equis, armis, et pecuniis spoliati, atque in custodiam dati sunt. Quo auditio Concilium 22 Junii Nuncio scripsit enixe rogans ut sua apud Eugenium autoritate eorum libertatem et bonorum restitutionem procuraret. Contigit autem et hoc anno 1648 ad exeunt Martium Eugenii uxor, Rosa, O Dochorti filia, ex Belgio in Iberniam trajiciens, in pyratarum Anglicorum manus inciderit, quae se cujusdam Darcae, Capitanei Iberni Parlamentarii non exosi uxorem esse simulans, rebus spoliata sed libere dimissa est, et ad ultimos Momoniae fines in terram exposita, exinde Limerico Galviam transiit; ubi (antequam praefati duo Galvienses ab Ultoniensibus | diriperentur) cum nuru et trimulo nepotulo unico ex filio pariter unico pedem fixerat. Quare unius ex praefatis duobus uxor auditio maritum ab Ultoniensibus ita fuisse male multatum, cepit illum infantulum, Hugonem O Nellum, in vico Galviensi ludibendum, et domum suam duxit. Quinetiam Concilium mandavit ut Eugenii quoque uxor et nurus caperentur. Sed Galvienses generose non acquieverunt. Caeterum Eugenius id effecit ut Blaki libertate donati sint. Quo facto, et ejus nepotulo restituto, illa tempestatis pars ita sedata fuit, ut Blaki Kilkenniam profecti bonum in malo superarint, praesertim Richardus Blakus, actorum postea a pseudo-Concilio et pseudo-Comitiis conditorum infamia notatissimus.

(981) Inter haec Clanricardius a Concilio in Conaciae Praefectum Generalem salutatus, et eo animum intendens ut Confaederatione Catholica dissuta Ormonius in Proregem rediret, suis diplomatibus promulgatis, Conaciae Comitia indixit. Ad quae inter alios Richardus O Ferallus, antea rebus Catholicorum

pacatis eodem anno in illius Provinciae Praefectum Generalum cooptatus, sed tunc, quod Nuncio ejusque partibus studere censeretur, praefectura a Concilio abdicatus, accessit, et Conaciae primoribus, quot quot interessent, exposuit se in virium Conaciensium imperatorem antea cooptatum, totis viribus contendisse, ut Conacienses de Scotis ex vicina Ultonia identidem irruentibus triumphum eveherent, | sed ipsos provinciales, non 1539 omnes, nec plerosque, sed eos penes quos rerum summa ibi esset, sibi et comprovincialibus defuisse, quod vectigalia publica in suscipiendas a se illius anni expeditiones exigissent, nec in eum finem, qua par esset quantitate et modo, impendissent. Itaque perditio ipsorum esset ex ipsis, ipseque lavaret inter innocentes manus suas non culpa propria sed Concilii imperio ex causis facile conjectandis exauthoratus. Omnibus autem salutem plurimam dixit, nescio quorsum aut qua lege Clanricardio pollicitus futurum ut ad certum dierum numerum si non Clanricardio certe non in ipsum bellaret. Ex quo colligendum videtur tunc animo fluctuasse, nec secum statuisse in quam sententiam iret. Sperabatur enim partes ad concordiam reddituras, multosque ab initio pessimus induciarum finis latebat.

(982) Concilio autem semper in pejus proficiente, et conjugationis cum Insequinno atque Ormonio coitae caeptis desistere nolente, proindeque concordia jam hanc ob causam desperata, Clanricardius nihil non tentavit ut universam Conaciam, jam exercitus Ultoniensis (ut praelibavi) sedem, in Eugenium O Nellum ejusque vires concitaret, multum confidens haud paucorum odio in Ultonienses saltem ob anteriores eorum depraedationes. De qua re Nuncius : " Negari (inquit) non poterat, quin toto belli tempore populus a copiis Ultoniensibus adeo aspere fuerit tractatus ut maximum sibi odium conciliarint. In qua re praefatus Praefectus Generalis (Eugenius) deliquisse | videbatur, praebens occasionem suspicandi quod reos haud aliam ob causam non puniret, quam ne a sui sequacibus desereretur." Sic Nuncius, qui tamen alibi tradit has Ultoniensium depraedationes ex alio fonte descendisse, nempe quod ipsis stipendia militaria non numerarentur, cum tamen in Iberniae defensionem egregie bellarent. Utut sit Clanricardius eo maiores in Conacia copias scripsit, quod Conacienses ab Ultoniensibus sibi ruinam metuerent, et ad exeuntem Junium non solum Taaffi vires ex Momonia, sed etiam haereticam Anglicanamque Insequinnii militiam, praesertim equestrem, indidem in auxilium accivit juxta induciarum articulum 3m, quo Concilium et In-

Relat :
Cap. 22.

1540

sequinnius adversus omnes illam armorum cessationem haud amplexuros mutuam sibi opem pepigerant. Et sic demum res ipsa demonstravit articulum illum fuisse pactum in Nuncium et Iberniae Clerum populumque Catholicum quatenus Nuncio adhaerentem, ac denique in Eugenium O Nellum ejusque copias Ultonienses. Eugenius etiam interea nullum non movit lapidem ut se ad aggressores repulsandos praepararet. Quo tempore ipse duoque alii suarum copiarum officiales principales ex castris ad Nuncium communes dederunt litteras his verbis :

“ Illustrissime et Reverendissime Domine.

(983) “ Mittimus ad Illustrissimam vestram Dominationem D. Nicolaum Bern, hujus exercitus Vicarium generalem, expositurum 1540 v quas intelligimus iniri | vias ab hostibus et praeparari machinationes in ruinam Cleri, religionis, et hujus exercitus, et quibus viis nos credamus eos praeveniri posse. Rogamus ut praefato Domino Nicolao fidem plenam adhibere dignetur sua Illustrissima Dominatio, cujus manus officiose deosculamur.

Illustrissimae ac Reverendissimae Dominationis vestrae
Ex castris prope Athlone, Addictissimi servi :
24 die Junii 1648. Dom Eugenio O Neill.
Rory Maguir.

Philip O Relly.”

(984) Vias illas, quibus Eugenius et hi duo chiliarchi hostium aggressiones cavendas duxerant, haud alias fuisse crediderim, quam quas re ipsa mox inierunt, quippe ad exeuntem Junium Rogerus Maguirius, quem epistolae 2° loco subscrispsisse vides, ex Conacia per Athloniam cum duobus peditum millibus et trecentis equitibus ab Eugenio in Comitatum Wexfordensem atque alios Lageniae tractus destinatus est, quo multis ibi ejusdem causae fautoribus a Concilio oppressis auxiliaretur, et recentem eorum delectum haberet, ut exercitum auctitaret, ipseque Eugenius copiis reliquis fluvium ad Roscomanum trajectis, in eam Conaciae partem se recepit, ut cum Richardo O Ferallo ejusque viribus Conaciensibus ante has turbas in Scotos conscriptis ibique castrametantibus de faedere adversus Concilium, | Clanricardium, Insequinnium, et Ormonium ex Gallia expectatum percutiendo ageret. Ubi ita suam causam, tanquam non suam, sed Ecclesiae, nationisque Ibernicae communem, oravit, ut Joannes de Burgo illius exercitus Conaciensis sub Richardo Ferallo legatus generalis, 2 Julii Nuncio in Galviam scripserit his verbis, quae ex autographo in medium afferro :

“ Domine Illustrissime ac Reverendissime, Nuncie Apostolice.

(985) " Purissimus zelus fidei Catholicae et Apostolicae Romanae exaltationis et non mundi gloria nec bonorum saecularium adquirendi vana cupiditas me in hoc Regnum, quamvis nativum solum, induxit. Saepius tamen his praeteritis diebus, litteris Illustrissimi D. Comitis de Clanricard, cognati mei, ad suam viam sectandam provocatus, salutem animae meae carni et sanguini firmiter gratia divina praeposui, ac in manibus perlustris D. Doctoris Clery votum Deo vovi, me vobis in omnibus obtemperaturum, ac contra omnes haereticos et pravos Catholicos fidem indirecte destruentes serio bellaturum. Quam declarationem litteris D. Eugenio O Nello nudius tertius significavi, hocque alii non infimae notae nobiles nostris solidis persuasionibus similiter voverunt praefato Doctori, quorum nomina hic brevitatis gratia scribere | supersedeo. In praefatis epistolis ad D. O Nell ejus exercitui meum conjungere vel hic inde hostem debellare, ejus arbitrio sive potius imperio praecipiendum reliqui. Si tamen conjunctim vel disjunctim praeliandum sit, pulvere tormentario, globis, et chordulis indigemus. Quare dignabitur Illustrissima Vestra Dominatio singulari prudentia et providentia dicta necessaria quamprimum per manus fidelissimi nostri D. Clery transmittere, cum pro certo sciam D. Eugenium, ad quem omnibus diebus novi milites concurrunt, dicta petita nobis non posse suppeditare. Illustrissimae Dominationis vestrae sanctissimam benedictionem humiliter postulando sacras vestras manus ex corde deosculor.

1541

v

Datum Conga 2° mensis Julii 1648.

Illustrissimae Dominationis vestrae

Humilis et obediens servus

Don Juan de Burgo."

(986) Ad has magnificas Joannis pollicitationes respondit Nuncius his verbis : " Quantum (inquit) gaudii suscepimus ex litteris Dominationis vestrae referet abunde D. Doctor Clery, qui eas mihi retulit. Certe nihil possum audire gratius nec non pro nostra religione jucundius, quam tales viros (prout semper Dominationem vestram aestimavi) Ecclesiae patrocinium et fidei correntis suspicere. Deus Dominationem vestram et ipsius socios ad bonum hujus patriae servet diutius incolumes, et mihi viam ac modum ostendat | illis semper inserviendi et gratitudinem Apostolicae Sedis in dies magis manifestandi. Quae occurrunt circa pulverem et alia idem D. Doctor narrabit. Cui me in omnibus remitto, propitium illi Deum rogans, et manus

1542

ex toto corde deosculans." Haec Nuncius, Galviae, 5 Julii 1648.

(987) Addam etiam hic unam post alteram binas Eugenii O'Neilli epistolas tunc circa Joannem aliosque nobiles illos Conacienses (de quibus ipse Joannes in praefatis suis litteris loquitur) ad Nuncium exaratas his verbis :

" Illustrissime ac Reverendissime Domine.

(988) " Intelligo D. Locumtenentem generalem, Joannem de Burgo, D. Morganum Flaherty, et D. Joannem Brimingham cum aliis ipsis adhaerentibus in negotiis ipsis commissis bene et sincere progredi. Quare vestram obsecro Illustrissimam Dominationem quatenus dignetur habere specialem curam procurandi ipsis omnia necessaria, quando sese vestrae excellentiae applicabunt. Interim Illustrissimae vestrae Dominationis manus deosculor, et omnia bona voveo.

Illustrissimae ac Reverendissimae Dominationis vestrae
Obsequentissimus servus

Ex castris Don Eugenio O'Neill.
25 Julii 1648.

" Illustrissime ac Reverendissime Domine.

(989) " Accepi Illustrissimae vestrae gratiae litteras. Video a multis respici reliquias illius parvae pecuniae jam pridem promissae et debitae officialibus hujus exercitus. Deus scit in quanta necessitate ipsi sunt, et quantas difficultates ego sustineo ut ipsos alam in spe. Caeterum sum contentus ut Dominatio sua Illustrissima det de illa pecunia ducentas libras in monetas armis vel munitione illis vexillis seu officialibus adhaerentibus hactenus D. Joanni Burgo. Rogo vero (si fieri possit) mittat mihi aliquam quantitatem munitionis cum D. Joanne Burgo vel aliis officialibus inde huc venturis. Interim Illustrissimae ac Reverendissimae Dominationis vestrae manus officiose deosculor et omnia prospera voveo.

Illustrissimae ac Reverendissimae Dominationis vestrae
Ex castris Obsequentissimus servus,
28 Julii 1648. Don Eugenio O'Neill."

(990) Eodem mense Julio D. Terentius O'Brien Tribunus legionem in Nuncii et Eugenii favorem cogere decrevit, quo fine Eugenius scripsit Nuncio his verbis :

" Illustrissime ac Reverendissime Domine.

(991) " Harum lator D. Colonellus Terentius O'Brien, qui pro propugnatione fidei Catholicae et religionis avide et magno

cum desiderio inservire semper desiderat, jam ad suam legionem colligendam in illas vadit partes. Ad quod propositum nihil magis necessarium videtur quam arma et munitio. Me igitur exhortatur ut in sui | favorem vestrae gratiae scriberem. Quare 1543 vestram Illustrissimam Dominationem humiliter obsecro ut ei ad illud propositum auxiliari dignetur. Interim vestrae Illustrissimae gratiae manus officiose deosculor, et prospera omnia voveo.

Vestrae Gratiae addictissimus servus,
Don Eugenio O Neill."

Ex castris
20 Julii 1648.

(992). Quid Terentius O Brien in partium Nuncio adhaerentium obsequium postea praestiterit inferius non silebimus. Interea ab oblivionis injuria vindicandum est, partem ecclesiasticam haud leve circa nonas Julias passam fuisse detrimentum, mortuo Terentii agnato, Dermitio O Brien, Tomoniae Comitis principisque, Cornelii O Brien per Thadaeum, filium, nepote, Ecclesiae (inquit Nuncius) *semper fidelissimo*, quod ex modo, quo se circa pacem Ormonicam an. 1646 gesserat, ex parte demonstratum vidimus. Quare ei morbi prolixitate languenti Insequinnius, contribulis, castella eripuit, adeo ut Dermitius alio moriturus se transportandum curavit.

(993). Quod ad praefatum D. Joannem de Burgo pertinet, ille et Morganus O Flahertius, aliique nobiles Conacienses, quos in Conacia ad Nuncii et Eugenii O Nelli partes transitionem fecisse vidimus, in eam suam Provinciam interius penetrarunt, ubi duo circiter militum millia sub vexillis ducentes in agri Galviensis et Maioensis Castellis aliquot juxta | flumen expugnandis, quae ad ipsos Catholicos Concilio et haereticis adhaerentes (credo) spectarent, haud segnem operam collocarunt, ut se suosque a Concilio, Clanricardii, atque Insequinnii tyrannide, et bello ab ipsis crudeliter illato tuerentur, cuius Prestonus pars magna fuit. Is enim induciis 20 Maii contractis, et censuris 27 Maii fulminatis, ubi Nuncium, Eugenium O Nellum, et copias Ultonienses, nec non Ultoniensium multitudinem inermem, armentaque vires illas sequentia, usque ad Athloniae portam persecutus esset, et militiam in Lageniae confinio Athloniae proximo, quatenus locum illum occasione nata adoriretur, disposuisset, et Eugenium Athlonia discessisse intellexisset, ad primam mensis Julii septimanam audenti insultu debiliorem Athloniae partem sibi vicinam et citra flumen positam expugnavit, vulneratis suorum circiter ducentis et totidem peremptis,

Diar. ad
15^m Iulii
1648

1543
v

interque hos uno chiliarcho et centurione, sed ita ut ipsum Athloniae propugnaculum intactum reliquerit.

(994). Interea Concilium nullum non movebat lapidem, quo suam conjurationem sub induciarum nomine ubique propagaret, cumque Wexfordienses arte et Marte (sicut antea retuli) ad eas post strenuam renitentiam admittendas coegisset, illi a Nuncio ad Nuncium humiliter appellarunt, missoque Galviam cum appellatione P Joanne Longo supplicarunt ut ad commiserationem moveretur. Ad quos Nuncius 5° Augusti 1648 Galvia scripsit hanc epistolam :

"Praetori et Ballivis Wexfordiensibus.

1544 (995) " Observantiam ac devotionem Dominationum vestrarum erga Sedem Apostolicam, quam expressistis in vestro recursu mihi et | Reverendissimis Episcopis praesentato, adeo laudavi ut libere profiteam nihil mihi gratius, ex quo sum in hoc Regno, accidisse. Neque unquam deero compensare hunc zelum Dominationum vestrarum erga res religionis et respectum censurarum pari videlicet amore et propensione erga istam civitatem, cui quemadmodum ero semper benevolentissimus pater, ita eam in peculiarem Romanae Sedis protectionem accipiam. Desideris DD. VV. responsum per manum D. Cancellarii Dubliniensis recipient, in quo praecipuum (spero) agnoscent voluntatis meae erga illos affectum, simulque paternam animarum vestrarum sollicitudinem. Dominationes vestrae in caepio erga Romanam Sedem obsequio prosequantur, relatura a Deo etiam in posterorum faelicitate magnam remunerationem in terris, quemadmodum nunc in caelis sibi majorem promittere ex voto possunt. Civibus omnibus una cum Dominationibus vestris prosperitatem precor, et me paratum ad omnium commodum libertissime subscribo, et benedictionem Apostolicam impertior. Galviae 5 Augusti 1648."

(996) Postridie Nuncius et Praelati delegati, ad quos etiam Wexfordienses appellasse conjecto, in eorum favorem censuras Wexfordiae relaxandas duxerunt et absolutionem impertierunt hunc in modum.

(997) " Nos, Joannes Baptista Rinuccinus, Dei et Apostolicae Sedis gratia Archiepiscopus et Princeps Firmanus, et in Ibernia Regno Nuncius Apostolicus extraordinarius, et nos Archiepiscoporum et Episcoporum subdelegati. Quandoquidem in libello supplici per modum appellationis ad | nos transmiso a perillustribus DD. Praetore et Ballivis Wexfordiensibus una cum civibus, iidem nobis exposuerunt statum et conditionem illorum talem

fuisse ut per vim et metum cadentem in constantem virum coacti sint cessationem cum Barone de Insequin nuper factam proclamare, ac propterea humiliiter a nobis petant ut eorum deplorabili statu considerato nostras censuras suspenderemus et siquas incurserunt, ab iis absolverentur, assignantes pro causa non sibi debere imputari inobedientiae, quod evitare non poterant. Nos considerando quod semper fideles Ecclesiae filii fuerunt, et tales perseverare intendunt, eorum supplicationi paterna benignitate annuimus, dummodo juraverint in manibus admodum Reverendi D. Vicarii Generalis et R. D. Doctoris Enos de parendo mandatis Ecclesiae. Quo juramento praestito ab iisdem Reverendis Dominis absolutionem ab excommunicatione de praeteritis ad cautelam nostro nomine recipient, ac nostras censuras quoad suos effectus suspendere duximus et suspendimus de futuro in dicta civitate de Wexfordia et castro S. Mariae, cum reincidentia in easdem, casu quo rationes in appellatione allatae a nobis reperiantur insufficientes. Non intendentis per hoc nostrum decretum comprehendere eos omnes et singulos, qui vel praedictos timores incusserunt et incutient, vel ante allegatas causas cessationi adhaeserunt, aut eidem quoquo modo faverunt. In quorum fidem etc.

Datum Galviae 6 Augusti 1648.

1545

Joannes Baptista Archiepiscopus Firmanus, Nuncius Apostolicus. Joannes Rapotensis. Walterus Clonfertensis. | Fr. Boetius Rossensis. Robertus Corcagiensis et Cluanensis. Fr. Terentius Imolacensis. Fr. Antonius Clonmacnosiensis Episcopus."

(998) Jacobo Prestono, Praefecti Generalis Prestonii filio, et Waltero Dongano Equitibus auratis cum ipsorum copiis, Wexfordiam obsidentibus et ad inducias admittendas cogentibus, Rogerus Maguirius et Ludovicus O Morrus cum aliquot militum millibus ab Eugenio O Nello missi totis viribus contenderunt ut municipium obsidione liberarent. Verum haud ita tempori adfuerunt, ut induciis Wexfordiae proclamandis intercedere possent; utrinque tamen percupiebant et Rogerus et Jacobus ut pugnarent. Ad manus autem ut ventum est, caesis pluribus Prestonianis et reliquis dispersis, junior Prestonius suaे saluti per fugam consuluit. Quo auditio Prestonius, pater, sive filii jacturam vindicaturus, sive alia mente a Concilio vocatus, in agrum Caterlaghensem migravit, relicta apud illam Athloniae partem a se recens expugnatam una legione praesidiaria, et binis legionibus in vicinia Midiensi dispositis, ut, quod acqui-

sierat, conservaret, et propugnaculum Athloniense, quod expugnandum supererat, ex ea parte commeatu atque annona intercluderet. Quibus circiter diebus Clanricardius Concilio militans, ubi in suis castris Conaciensibus non nullam moram contraxisset, deindeque solito lateris dolore detentus Portumnae, domi suae, aegrotasset, demum bene valens, ad illud Athloniae propugnaculum obsidendum se accinxit. Taaffum autem et copias

1545

v

Momonienses sub ipso et Concilio stipendia | facientes, quas cum haereticis Insequinnii viribus in auxilium acciverat, magna cum difficultate cymbis, quarum duas praesidiarii propugnaculum defensantes demerserant, in alteram Sineni, fluminis celeberrimi, castrum alluentis, ripam trajecit, et obsidionem omni ex parte firmavit. Ex qua post aliquot deinde dies in Comitatum Maioensem et alio equitatum direxit, qui annonam apportandam curarent, sed a nobilitate Conaciensi in eum male affecta semel atque iterum equi capti sunt, commeatu intercluso, eodemque tempore jussit ut milites domum quandam Athloniae propugnaculo vicinam expugnarent, exinde arcis muros commode dejecturus. Verum praesidiarii in obsidentes impetum fecerunt, praesertim in illos Insequinnii milites haereticos, Anglicosque, quorum circiter ducentos, magno exercitus Clanricardiani, potissimum ipsius Clanricardii, planctu, interemerunt. Quo non obstante Clanricardius operam dedit ut suffossis cuniculis et pulvere nitrato propugnaculum dejiceret. Hoc viso Athloniae Gubernator, Theobaldus Magaulius, fide publica egressus, cum Clanricardio colloquium initit. Ex quo die apud populum et Nuncii fautores in suspicionem venit, et suspicioni eventus respondit. Nam Magaulius 29 Julii ditionem pactus est, et ultimo ejusdem mensis post viginti circiter dierum obsidionem ea lege propugnaculum dedidit, ut nescio quam reciperet mercedem, Eugenio O Nello inconsulto, qui antea ex Conacia cum copiis in Comitatum Longfordensem progressus, in ea vicinia ita viribus | auctitandis operam dederat, et aliquot Catholicorum Ormonistarum castella expugnaverat, ut non nullas Felicis O Nelli, Equitis aurati, qui Prestoni sacer cum esset, a socero et Concilio stabat, turmas equestres dissiparit, spoliatis eorum quadraginta, ipsoque Felice, quem non nulli ex Eugenii viribus per multa millaria persecuti sunt, vix Birram per fugam dilapso. Quibus bonis successibus animatus Eugenius jam paratus erat ad feren-dam Athloniae praesidiariis opem, sed praefata Magaulii proditione factum ut ejus conatus successu caruerit, in maximum causae Catholicae praejudicium.

1546

(999) Inter hanc contestationem Praelati, sacerdotes saeculares et Religiosi inter se nunc opinione nunc affectione dissident. Quorum ii, qui a Concilio starent, ab adversa parte haud injuria excommunicatorum et apostatarum stigmatibus notabantur, viceque versa qui pro censuris in conjuratos ficerent, a pseudo-Concilio Supremo ejusque fautoribus velut Reipublicae incendiarii sacrilege capiebantur, maleque multabantur. Nec ultimam hoc loco mentionem meretur D. Walterus Enos, S. Theologiae Doctor, quem Wexfordia ad Nuncium et Congregationem, a quibus accitus esset, accessisse vidimus, quibus nec non Eugenio O Nello, ubi suam praesertim in condendis Anglice quibusdam actis et scriptis operam accommodasset, Athlonia Wexfordiam rediens incidit Rossae in manibus eorum, qui a Concilio ad eum praehendum | missi essent, sed dilapsus est ; 1546 iterumque captus, et iterum dilapsus *sic evasit manus eorum in nomine Domini.* Alioquin fidem habet fuisse male tractandum, quod ante has controversias duobus libris in pacem Ormonicam anno 1646 conclusam Anglice scriptis atque in lucem editis, ejusdem pacis authores et universam factionem Ormonicam atro carbone notasset, et hoc rursus anno 1648 istas inducias contrahentem per acta jam dicta calamo confodisset. Quo nomine vir doctus et eximio zelo flagrans, declaratus est a Concilio reus laesae Majestatis, sicut alicubi lego. Similem etiam tempestatem expertus est R. P. Thomas Mac-Kiernanus, Franciscanorum strictioris Observantiae in Ibernia tunc Provincialis, qui mense Sextili ineunte captus huic epistolae postridie a Nuncio ad Clanricardium scribendae occasionem praebuit.

" Illustrissime Domine.

(1000) " Heri in Castro de Ballinclare captus fuit P. Provincialis Franciscanorum a praesidiariis militibus, qui ibi manebant, et licet iidem dixerint se id fecisse de mandato Dominationis vestrae Illustrissimae, ego tamen non possum in animum inducere virum non minus pium quam Catholicum jussisse ut manus in hominem Religiosum injicerentur, qui immediate subditus est Apostolicae Sedis, neque ullus laicus, sine Dei offensa, et citra incursum plurium excommunicationum, potest in illum autoritatem exercere. Quapropter debo Dominationem | vestram Illustrissimam meo nomine rogare, ac nomine Suae Sanctitatis requirere, ut mandet iisdem praesidiariis illum statim dimittere, et mihi restituere, qui, si ipse in aliquo deliquerit, paratus sum causam cognoscere, et si opus fuerit, corrigere. Expecto ut Dominatio vestra Illustrissima talem se gerat in hac re ecclesia-

stica, qualem semper existimavi, eique interim faelicitatem precor, ac manus deosculor.

Galviae,

2 Augusti 1648.

Dominationis vestrae Illustrissimae
Addictus servus,

Joannes Baptista Archiepiscopus Firmanus."

(1001) Ad hanc epistolam, quam non nisi apud Philopatrum lib. 2°. p. 152 reperio, respondit Clanricardius his verbis :

" Illustrissime et Reverendissime Domine.

" Epistolam tuam 2 currentis Augusti datam accepi, in qua conqueri videtur de capture P. Provincialis Franciscanorum a praesidiariis Castri de Clare, ac eundem sibi restitui petit ac requirit. Captus quidem fuit, me inscio, de mandato tamen Supremi Concilii, cuius jussu etiam conducendus est Kilkenniam. Ad Concilium itaque poterit se applicare Illustrissima vestra Dominatio pro libertate dicti Patris, cum ejus ordini contraire mihi non liceat. Personas ecclesiasticas veneror, nec in minimo |

1547 vellem eorum immunitatem infringere, quamvis non ignorem v exemptions et immunitates earumdem ordinatas et concessas fuisse in decorem et reverentiam suae functionis, non autem ut impune quaeque committant. Nescit etenim Ecclesia Sancta patrocinium dare criminibus, aut Deus pacis tutelam elargiri seditiosis.

Multa sparguntur de dicto Patre, quod author et instigator sit multarum actionum, quae a laicis perpetrateae certam mortis paenam inducerent. Quod si praetextu seu titulo immunitatis ecclesiasticae hujusmodi impune praeteriri oporteat, actum erit de Republica ac temporali jurisdictione, nec facile credo in aliis Catholicorum Principum dominiis, maxime in Italia, ita permissum, aut historiae et relationes omnes mentiuntur. Meo etenim videri, tanta violentia, tamque inaudita innovatio rerum, quae medullam utriusque salutis et fortunae hominum simul invadit, haud poterit medium esse opportunum, aut aptam sternere viam ad stabilienda Catholicae matris Ecclesiae jura, aut ad eam, quam profitetur, fidem et religionem propagandam, quae saeculis anteactis mansuetudinem suadere, concordiam praedicare, charitatem fovere, seditionem extinguere, Christiani populi praeervationem curare, potestatibus saecularibus non derogandum docere, ac virtutem cunctam nutrire consuevit. Haec utinam infelix hoc saeculum praestaret, in quo (proh dolor) sub specie pietatis plurimi a trita veterum consuetudine degenerare non verentur. Parcat Illustrissima Dominatio

vestra. Zelus non praesumptio loquitur. Inclusa schedula cum in ea contentis dubiolis mihi porrecta fuit a quibusdam, qui enixe cupiunt de eisdem tanquam transcendentibus eorum capacitatem, uti etiam (fateor) et meam, edoceri, ut cognoscant quid intersit inter ecclesiasticam et temporalem authoritatem, et sic tandem quilibet, quod suum est, sine interruptione exercere valeat. Informor a fide dignis quod aliqui Praelati ibidem cum Illustrissima Dominatione vestra commorantes, et plures alii illis inferiores e suggestis licentius ac falso nimis de me, meisque actionibus obloquuntur, ut me odiosum ac infamem redderent. Deus illis parcat, et ego numquam vindictam quaeram de perpetratis in meam personam. Eosdem tamen et cunctos alios admonitos vellem, ne in Regiam et publicam authoritatem, quam gero, aliquid non eis de jure aut laudabili consuetudine indultum attentent. Alias certo sciant me justam non praetermissurum animadversionem, sed talem usurum coercitivam et punitivam potestatem, quali in Italia, Gallia, et Hispania de facto (et, ante suppressionem, in hoc Regno) ministri Principum juxta approbatas leges uti soleant. Agat (quaeso) Illustrissima Dominatione vestra | ne exasperer, dum ipsi utramque faelicitatem exopto, et manus reverenter deosculor.

1548

v

Ex campo apud Mote,

8 Aug. 1648.

Vestrae Illustrissimae Dominationis
Addictissimus servus.

Clanricarde."

(1002) Hanc epistolam ex ipso autographo transcripsi, proindeque proba scio apud Philopatrum *Vindiciarum* lib. 2. pag. 153 reperiri, pro ejus more non nihil adulteratam. Dubiola etiam illa, de quibus tunc a Clanricardio missis in epistola mentionem fieri vides, ex eodem Philopatro habe.

Lib. 2.
p. 156.

"*Quaestiones D. Nuncio a Clanricardiae
Marchione positae.*

(1003) " 1. Qua potestate vel authoritate Nuncius Regiae Majestatis subditos a fide sua et obedientia statuto Regimini Regnique ordinibus debita abducat ?

(1004) " 2. Qua potestate vel authoritate Tribunos et Centuriones creet, militemque conscribat, qui nihil in communem hostem molitus, Catholicorum Majestatis subjectorum Castella passim expugnet, praedas agat, omnia compilet ?

(1005) " 3. Qua potestate vel ratione hominibus perjuris faveat, eosque contra rectores universique Regni ordines in armis teneat ac tueatur. |

1549 (1006) " 4. Qua potestate manifestos ac proscriptos perduelles in retinendis ac propugnandis validis munitionibus contra eos, qui Regni clavum tenent, animet ac sustentet ?

(1007) " 5. Qua potestate Regiae Majestatis obsequium professos ejusque proinde in hoc Regno praefectis adhaerentes, quos potest excommunicatos carceribus mancipet, aliosque omnes promiscue excommunicet ? "

(1008) Haec dubia mihi non nisi apud Philopatrum occurrunt. Quare Philopatrum ea pro solita mala fide haud deteriora effecisse non juraverim. Utut sit, Clanricardii genus et ingenium spirant, eaque et epistola jam dicta quot verba tot prope continent ineptias falsis fundamentis nixas, quae etiam ipse Clanricardius falsa fuisse vix ignorarit, cum (ut superius ex ipsius epistola demonstravimus) nunquam Concilio perjurii maculis notatissimo militare caeperit, nisi cognito sceleratissimas inducias non inducias sed conjurationem fuisse inter Ormonistas et haereticos Insequinnianos atque alios trium Regnum Puritanos malignissime coitam ut a Comitiorum Generalium praesertim ultimorum statutis saluberrimis et juramento Faederis arte et Marte resiliretur, et Ormonius in Proregem revocaretur, paceque cum eo iniquissima inita et Confaederatione Catholica dissuta, haeresis et haeretici gradatim postliminio restituerentur, imo fide et Clero, ac fautoribus prope exterminatis, fierent novissima | pejora pejoribus. Quid totum ita successit, ut singulariter

v ineptierit Clanricardius praefatas absurditates Nuncio scribens, quales impius Henricus 2us Angliae Rex S. Thomae Cantuariensi, Boleslaus Poloniae Rex S. Stanislao, imo Henricus 8us martyribus a se contrucidatis, ejusque profligatissima filia, Regina Elizabetha, sanctissimis Praelatis atque aliis ecclesiasticis ad ipsius prescripta martyrio deletis, et caeteri omnes Ecclesiae persecutores Clero partique Clero adhaerenti suis temporibus objecerant. Denique Clanricardiae Comiti, hujus Clanricardiae Marchionis patri, ab immanissima Regina, Elizabetha, in Iberniae Catholicos impie stanti, et huic ipsi Clanricardiae Marchioni ab hujus belli initio patrissanti, aliquis omnibus Ecclesiae hostibus hujusmodi falsae recriminationes semper fuere familiares, ut suam impietatem aliquo justitiae tegumento palliarent, justo judice in majorem peccatorum ab ipsis patratorum paenam permittente, ut culpas humili et sincera paenitentia non abluerent, sed falsis

sui purgationibus et innocentium adversariorum accusationibus,
 atque adeo gravioribus peccatis tegerent. Porro quo spiritu
 hujusmodi statistae ducantur, et quo pacto viris ecclesiasticis
 cum ipsis agendum sit, delineatum legimus in zelosissimo pro-
 pheta Elia, et sceleratissimo Rege Achab, qui cum vidisset eum
 ait : "Tune es ille qui conturbas Israel ? Et ille ait : Non ego
 turbavi Israel, sed tu et domus patris tui, qui dereliquistis
 mandata Domini et secuti estis Baalim." | Ad Clanricardii autem
 quaestiones non est cur respondeatur, cum certissimum sit
 septem Consiliarii non obedientiam sed furcam fuisse millies
 debitam, eosque, qui in ipsos et haereticos atque insignem haere-
 ticorum fautorem, Clanricardium insurrexerant, similes fuisse
 Mathathiae et filiorum Machabaeorum. De quibus in consimili
 casu legimus : "Respondit Mathathias et dixit magna voce :
 Etsi omnes gentes regi Antiocho obediunt, ut discedat unus-
 quisque a servitute legis patrum suorum, et consentiat mandatis
 ejus ; ego et filii mei, et fratres mei, obediemus legi patrum
 nostrorum. Propitius sit nobis Deus ! Non est nobis utile
 relinquere legem et justicias Dei. Non audiemus verba regis
 Antiochi, nec sacrificabimus, transgredientes legis nostrae man-
 data, ut eamus altera via." Sic ille. Concilium autem, Clan-
 ricardius, et Ormonistae omnes comparandi sunt illis, de quibus
 scriptum est : "In diebus illis exierunt ex Israel filii iniqui, et
 suaserunt multis, dicentes : Eamus, et disponamus testamentum
 cum gentibus quae circa nos sunt, quia ex quo recessimus ab
 eis, invenerunt nos multa mala. Et bonus visus est sermo in
 oculis eorum. Et recesserunt a testamento sancto et juncti
 sunt nationibus, et venumdati sunt ut facerent malum."

(1009) Quod autem Clanricardius Nuncio objicit, eum scilicet
 tribunos et centuriones creasse, militemque conscripsisse, in-
 eptiarum cumulus est. Nam aliud est tribunis et centurionibus
 et militibus Dei atque Ecclesiae causam defensantibus studere,
 aliud | creare et conscribere. Horum primum Nuncius plurimos
 et maximos Ecclesiae Sanctos imitatus praestitit, sed a secundo
 abstinuit ; quinimo arma ejus usque adeo spiritualia fuere, ut
 inter hoc bellum civile ab Ormonistis iniquissime concitatum,
 insomnis et genuflexus Galviae noctes inter lachrymas et dev-
 otissimos rugitus transigere soleret, Deum et S. Patricium, Ib-
 erniae Apostolum, omnesque Sanctos precibus fatigans, et rogans
 ut Ormonistae ab ipsorum insanis et perfidia resipiscerent, et
 Ecclesiae causa haeresi atque haereticis per eorum ignaviam
 non succumberet. Ipseque in Italiam postea regressus, et hac

3. Reg.
18.

1550

1. Mac.
2. 19.1. Macab.
1. 12.1550
v

sua spe ob Ormonistarum peccata et duritiam cordis frustratus cuidam Capucino Iberno apud eum magno haec confidenter aperuit, addens Deum sibi tantam in S. Patricii intercessione inter illas sacras vigilias et humiliations spem infudisse, ut postea miratus sit, quorsum S. Patricius triumphum non concesserit. Quare identidem de S. Patricio sancte conquerens, repetebat *se existimasse nunquam futurum ut S. Patricius suae causae deesseset.*

(1010) Risu autem et fletu simul dignum est quod Clanricardius sua illa nugatoria epistola ad Nuncium scribit. "Ad Concilium (inquit) poterit se applicare Illustrissima Dominatio vestra pro libertate dicti Patris, cum ejus ordini contraire mihi non liceat." O praeclaram obedientiam, antea nunquam sed nunc Concilio a Clanricardio debitam. Ab hujus belli initio et in progressu, Clanricardius semper | nunc hostis apertus, nunc neutralis, nec Cleri Ibernici, nec Ministrorum Apostolicorum, nec Comitorum Generalium, nec Conciliorum Supremorum monitis, exhortationibus, aut mandatis morem gesserat, sed sceleratissimis haereticis opem ferebat, cum posset. Favebat, cum subvenire non posset, licet haud ignoraret bellum a Catholicis fidei causa susceptum ab Urbano VIII. et Innocentio X° usque adeo fuisse approbatum, ut stupendum sit, quo pacto homo Catholicus vel fidei nuncium non remiserit, vel eam cum Catholicis propagare non contenderit. Quot in facies se Confaederati verterant ut hunc hominem ab hac cordis duritia dimoverent, sed ille in sua animi pertinacia obstinatissime perstigit. Jam vero huic Concilio Supremo, imo non Concilio Supremo sed septem Consiliariis in sensum reprobum traditis, causae Catholicae proditoribus, Ormonii et Insequinnii mancipiis, ita toto pectore obtemperat, ut ad ejus nutum Franciscanorum in Ibernia Provincialem Nuncio Apostolico deneget, sed custodiae mancipet, et respondeat sibi non licere ejusdem pseudo-Concilii praescriptis vel (ut ipsius verbo utar) *ordini contraire.* Denique ut hujus septemviratus longe profligatissimi mandata exequatur, exercitum ex Catholicis vel ipso jure millies excommunicatis et haereticis Insequinnianis, Catholicorum carnificibus, pari ratione magis excommunicatus contrahit, et cum hac nefaria praedonum | abominabilium manu Clerum partesque ter Catholicas Clero adhaerentes adeo invadit, ut non solum laicorum Catholicorum sanguine Iberniam cruentet, et eorum facultates suis latronibus in tyrannidis mercedem decernat, sed etiam nec ecclesiis nec ecclesiasticis reverentiam exhibeat. Quorsum haec mutatio

1551

v

dexteræ non excelsi? Nempe nunc mutata est belli et Concilii facies, mens, et meta. Ab initio enim et in progressu haeresi et haereticis bellum indicebatur. Nunc vero pseudo-Concilium ad haereticorum iniquissimos descivit ut Ormonium in Proregem revocaret. Post cujus discessum ex Ibernia ita Clanricardius luctum professus est, ut barbam neglexerit, nec radendam statuerit donec Ormonius in Regnum rediisset, sicut mihi paulo post Parisiis retulit quidam, natione Gallus, tunc dierum in Ibernia Ormonistis familiaris. Denique Insequinnius atque ejus exercitus cum pseudo-Concilio in hunc aliasque fines Ecclesiae et nationi Ibernicae exitiales conspirarunt, et propterea Clanricardius jam fatetur sibi non licere ejusdem Concilii *ordini contraire*. Haec Catholicorum justa paena est, qui Dei et fidei causam a septennio anteriori tam enerviter tractarunt, ut hunc serpentem hactenus in sinu foverint. Caeterum retundenda est calumnia, qua Clanricardius R. P. Thomam Makiernanum in praefata sua epistola traducit. "Multa (inquit) sparguntur de dicto Patre, quod author et instigator sit multarum actionum, quae a laicis perpetratae certam mortis paenam inducerent." Haec Clanricardius, qui ejus locus de conatu et opera a P. Thoma ad causam Catholicam magno zelo promovendam adhibita intelligendus est, sicut vel ex Philopatro, Ormonistarum omnium advocato, liquet. Sed haec magna Thomae virtus multis et praeclaris aliis ejus virtutibus associata in Clanricardii statera peccatum fuit, et tantum delictum, ut *a laicis perpetratum certam mortis paenam induceret*. Sed mendaces filii hominum in stateris.

(1011) Barbaram illam procellam in Clerum Ibernicum ab Ormonistis concitatum sensit inter alios Thomas Flemingus ex Ordinis Seraphici strictioris Observantiae alumno Archiepiscopus Dubliniensis, nobilitate, pietate et doctrina insignis, qui cum in more sancto poneret ut ad sui instituti Franciscani conventus identidem diverteret, et hi tunc in Ibernia ex parte longe maxima pro Nuncio facerent, pseudo-Concilium observato quod ille iisdem vestigiis insisteret, et a suis Franciscanis in ea sententia confirmaretur, litteris 4 Augusti scriptis, iisque non imperio vacuis, rogavit ut in Franciscanorum strictioris Observantiae conventu Kilkenniae amplius non diversaretur, sed inde in suam antea Kilkenniae vel certe aliam ibi domum saecularem se reciperet, cui tamen promisit se ibi Dublinensi de rebus ad vitam sustinendam necessariis provisurum, quod ille a sua diaecesi ab haereticis partim occupata, partim direpta, nullum pene nisi animarum lucrum, cui inhiabat, reciperet.

1552

Vind.
Lib. 2.
p. 151
et seqq.

1552

v

(1012) Jam tempus postulat ut ad Eugenium O Nellum redeamus, qui haud segnem operam dedit, ut Richardum O Ferallum, ante natas has discordias virium Conaciensium Imperatorem, sed a pseudo-Concilio, ut Clanricardio eam provinciam concederet, exauthoratum, in suas partes illiceret. Richardus autem Clanricardio hac aestate pollicitus est se per aliquot hebdomadas omni in eum hostilitate abstenturum. Nec fidem febellit. Illo autem temporis intervallo exacto Eugenii, cum quo in Conacia colloquium habuerat, et Nuncii, qui P. Richardum O Ferallum, Capucinum ipsi charissimum, ad eum Galvia miserat, rationibus persuasus, nec non censurarum metu percusus, suapteque sponte in causam Catholicam et publicum nationis bonum propensissimus, cum sua legione, in qua mille circiter milites recenserentur, Nuncii et Eugenii partibus palam adhaesit, et ex Conacia Eugenium ejusque exercitum in Lageniam secutus est.

(1013) Athlonia autem ad Julii finem in Clanricardii potestatem per Magaulii, Gubernatoris, perfidiam permissa, Eugenius cum suis copiis in interiore Lageniam penetrare statuit, ut Prestonii alias Athiam, quam Eugenius ad annum 1646 haereticis eripuerat, expugnaturi consilia dissiparet. Cui Eugenii expeditioni Taaffus obicem positurus, ex Athloniae obsidione jam finita cum copiis praecucurrit, et cujusdam Castelli, fluioli, terraeque situ in Midiae et Comitatus Longfordiensis confinio vallatus operam dedit ut Eugenium progressu intercluderet. Verum Eugenius, inter pugnam caesis non paucis ex Taaffi copiis et fugatis reliquis, Castelloque igni cremato, cum octo circiter peditum millibus et mille equitibus ita processit, ut ad diem Augusti 4^m cum exercitu Mariamburgum, praesidium suum, pervenerit. Quo ejus accessu consternatus Prestonius Athiae obsidionem Kalendis Augusti caeptam praeceps deseruit, ducentis circiter suorum antea peremptis a praesidiariis juxta Nuncii Diarium, quod (ut semel dicam) aliaque ejus scripta in hoc bello civili multisque aliis memoriae prodendis sequor.

(1014) Eugenius, ubi Mariamburgi noctes binas respirasset, movit, et Rogeri Maguirii, quem ante paucas hebdomadas in Lageniam praemiserat, quiique in ea Provincia vires ex causae Catholicae fautoribus auxerat, copiis coaluit. Exinde cum integro exercitu jam magis numeroso Kilkenniam versus cursum direxit. In qua vicinia pree caeteris Vicecomitis Montgaretti, aliorumque primae classis Ormonistarum Castella, villas, pagos, et praedia rusticana vastavit praedabundus. Interea ipsi urbi

Kilkenniensi et in ea pseudo-Concilio, tot malorum authoribus, tantum incussit metum, ut parum dubitem quin Concilium Archiepiscopo Tuamensi per internuntium vel Clanricardius 1553 morae nectendae gratia suggesserit ut de partibus reconciliandis apud Nuncium ageret, licet Tuamensis se nec a Concilio nec a Clanricardio instigatum aperuerit, qui Concilio totus studens eodem tempore, quo Eugenii exercitus, quo dixi modo, omnia terrore repleret, hanc Nuncio epistolam eo spectantem scripsit, homo perversissime artificiosus in causae Catholicae praejudicium.
"Illustrissime ac Reverendissime Domine.

(1015) "Contigit quod apud D. Joannem Bermingham, harum latorem, pernoctassem. Sermonem habuimus de praesentibus Regni procellis, et conclusimus apud nos unicum remedium ad religionis incrementum et Regni faelicem pacem consistere in unione Confaederatorum procuranda. Quod eo facilius futurum intelleximus, si Dominatio vestra Illustrissima se interponere vellet hac vice, qua grassatur inter Confaederatos inimicus Dubliniensis. Obtulerunt se D. Joannes Bermingham et D. Jonathas de Burgo, amici D. Generali, Eugenio O Neill, et Ecclesiae filii obedientes ad hanc unionem sollicitandam apud D. Eugenium si vestra fulcirentur auctoritate. Quod audacter ipsis promisi, confidens in V. Dominationis Illustrissimae zelo et paterna pastorali cura. Quare obnixe rogo vestram Dominationem Illustrissimam quod dignetur hanc occasionem oblatam non solum non respuere, sed promovere, et ipsis plus coram vestra Illustrissima Dominatione dicturis fidem adhibere. Et eidem sacras manus humillime deosculor.

V. Illustrissimae ac Reverendissimae Dominationis

Tuamiae, Inutilis et humili servus

14 Augusti 1648. Joannes Tuamensis electus." |

(1016) Ad hanc epistolam respondit Nuncius his verbis: 1554
"Domini Joannes Bretingham et Jonathas de Burgo venerunt hodie ad me et colloquendo de unione Confaederatorum, ostendi eis me semper illam omnibus viribus optasse, et porro curaturum semper. Ac proinde laudando zelum illorum, promisi etiam litteras ad D. Eugenium, quae idem significant. Cum vero etiam de modo aliquid loquerentur, declaravi id potius proponi debere ab iis, qui D. Eugenio adversantur, cum ipse nihil aliud praetendat, quam ire contra Dominum Insequinnium et alios adversarios Catholicae religionis prout ego a principio optavi; nec justum sit eum impediri. Quo obtento, ac remotis, quae contra honorem Ecclesiae et praecipue contra Synodum National-

em male gesta sunt, non dubito quin stabilis unio reformari possit in utilitatem religionis, pro qua omnes laborare debemus. Spero quod Dominatio vestra Illustrissima inveniet me semper eodem tenore loquentem, et ideo nihil aliud addens, manus illi officiose deosculor. Galviae 16 Augusti 1648" Haec Nuncius, ad quae Tuamensis respondit his verbis :

"Illustrissime ac Reverendissime Domine.

(1017) "Vestrae Dominationis Illustrissimae ac Reverendissimae epistolam datam 16 hujus mensis Augusti accepi 18 ejusdem. In ea docet se omnibus viribus Confaederatorum unionem optare et semper optaturum. Illustrissime ac Reverendissime Domine, aliud est eam optare et ad eam pervenire pro viribus procurare. Doleo quod ultimum sit ab omnibus neglectum. Qui dedit velle Dominationi vestrae Illustrissimae dabit proficere et perficere mediante | sua gratia. Duo enim quae scribit necessaria ad stabilem unionem, nempe admissionem D. Eugenii O'Neal contra Baronem de Inchiquin, et revocationem gestorum contra honorem Ecclesiae, judicarem (salvo semper meliori judicio) in tractatu consolidationis ruptae unionis proponi debere, et non praemitti. Comitia Regni Generalia jam pridem indicta approxinquant, ante quae, nisi tententur omnes viae reconciliationis, non potest humanitus aliud sperari, quam Confaederatorum hujus afflicti Regni exterminium, cuius culpam sine dubio strenue refundere conabitur magna Comitiorum pars in nos ecclesiasticos, nec immerito quidem, si defuerimus nostro paterno muneri erga greges a Deo nobis commissos, quos omnipotentia Divina dirigit in viam salutis, et eandem enixe precor ut diu conservet Dominationem vestram Illustrissimam, cui manus sacras officiose deosculor.

Dominationis vestrae Illustrissimae ac Reverendissimae
Tuamiae, Addictissimus servus
18 Aug. 1648. Joannes Tuamensis electus."

(1018) Quid ad has litteras Nuncius responderit, hic habe :

"Miratus sum valde potuisse in mentem venire D. Vestrae Illustrissimae quod saeculares refundant causas praesentis turbationis in ecclesiasticos, quando notorium est, ipsos iniquissime ac sacrilege | impedivisse Synodus Nationalem, in qua, assistente Spiritu Sancto, debebant omnia componi. Propensior ergo sum ut existimem Dominationem vestram Illustrissimam non immemorem recentis suae obligationis erga Sedem Apostolicam jam parasse cumulum responsionum, quibus opponat se, ubicunque oportuerit, pro muro Israel, et culpam omnium malorum

retorqueat in veros authores, qui pertinaciter cessationi inquisimae adhaerere, ac religionem Catholicam in summo periculo constituere voluerunt. Ego certe salvis conscientia et honore non ingrediar in tractationem aliquam, nisi prius redditam libertate Synodi, et amotis omnibus impedimentis, ut stabilitis prius coram tota Ecclesia, quae ad statum spiritualem pertinent, possint deinde Reverendissimi Episcopi, quocumque volunt, se conferre ad caetera determinanda, prout ordo juris et ecclesiasticae leges postulant. Et illi manus deoscular." Haec Nuncius prudentissime.

(1019) Dixi me vix dubitare quin Concilium vel Clanricardius Tuamensi suggesserit ut tunc cum Nuncio de partibus reconciliandis ageret, non alium in finem, quam ut moras necterent, vel certe ut aliquem sub hoc praetextu fucum Nuncio facerent, et interea suis machinationibus exequendis utramque manum ad molirentur. Certum enim est Concilio decretum, nihil non tentare, ut suum Ormonium jam a Regina Angliae et Principe Walliae destinatum et ad Galliae maritima (ut ipse Philopater fatetur)⁹² et ^{Vindic : Lib. 2. pag. 93.} remigrandi occasionem expectantem in Proregem revocarent, | et ¹⁵⁵⁵ a Comitorum Generalium praesertim ultimorum decretis ac ^v juramento faederis resilirent, ac Regimen ex diametro oppositum Ecclesiae Ibernicae nationique exitiale intruderent. In hunc finem inducias contractas fuisse constat, ut Ormonistarum et Insequinnii vires in unum corpus coalescerent, et quibuscumque restituiris nefarium bellum indicerent. Quid Nuncius unquam petuit quam ut ab hac sceleratissima conjuratione recederetur, et juramento faederis ac praefatis decretis exequendis insisteretur, quorum succum et medullam vidimus superius insertam monitis trium Legatorum in Galliam destinatarum et legatione scienter et prudenter frustrata in Iberniam mense Julio reversorum, ut eorum duo, notorii proditores, Muscrius et Brounus, malis illis jam tactis ad exitum perducendis apud nefarium pseudo-Concilium viam sternerent. Quod et potentissime factum. Quae omnia, cum non solum vera, sed etiam nunc mense Augusto in Ibernia notorie vera essent, stupendum est Tuamensem usque adeo non resipuisse, ut etiam tunc se impudentissimi Concilii cavillationibus circa partes reconciliandas Nuncio proponendis instrumentum praebuerit. Quis hic vel summam judicii cæcitatem vel voluntatis malignitatem non videt, praesertim cum Tuamensis, conjuratione postea magis facta notoria, non propterea (ut videbimus) ab errore animum avocaverit, sed pertinacie pertinaciam et scandalis scandala accumulaverit petitis

1556

Num.
16. 31.

partium reconciliationem? Ecce januam apertam. Non alias petit Nuncius conditiones, quam ut ultimorum Comitiorum decreta, | in quae Regni Clerus populusque unanimi consensu jura averat, insistatur. Quid rationi magis consentaneum? Itaque insistite et partium concordia absoluta erit. Superest quod respondeatis in tam clara luce veritatis? Verum non insistitis sed resistitis et resistetis usque in finem. O magnam Dei patientiam, qui vos non puniit sicut Core, Dathan, et Abiron, sub quorum pedibus "dirupta est terra et aperiens os suum devoravit illos cum tabernaculis suis et universa substantia eorum; descendenteruntque vivi in Infernum operti humo, et perierunt de medio multitudinis."

1556

v

(1020) Quo enim magis innotuit inducias meram fuisse coniurationem in praefatos fines perversissimos coitam, eo minus sunt excusabiles, qui ab ipsis steterunt; (id autem et ante satis, et mense Augusto satis superque innotuisse liquet), quos etiam magis inexcusabiles reddidit altera circumstantia: nempe eodem ipsissimo tempore exercitus Scoticus florentissimus ex Scotia in Angliam progressus Regnum illud novo belli incendio turbabat in Regis gratiam, coalescentibus magno numero ipsis Anglis Regi studentibus, adeo ut duorum illorum Regnorum haereticorum inter se dissidentium neutrum haereticis Anglicis et Scoticis, in quos hactenus Confaederati Catholici bellarent, copias aliudve auxilium in Iberniam transmittere valeret. Quibus circumstantiis non obstantibus, Clerus Ormonicus a Concilio Kilkenniam mense Junio invitatus libellum Anglicanum in Concilii favorem compositum non nisi eodem mense Augusto approbavit, deindeque ibidem in lucem edidit. Quare de illo | impio turbidorum ingeniorum faetu hic pauca quidem dicam, sed quae ad ejus detestationem ingerendam sufficient.

(1021) Ac primo quidem a sex tantum Consiliariis, nempe Athunrio, Luca Dillon, Richardo Bellingo, Roberto Devereux, Geraldo Fenello, et Patricio Briano, per epistolam mense Junio scriptam rogatus fuit Episcopus Ossoriensis ut cum aliis ecclesiasticis de dubiis tunc propositis responderet, cum tamen nullum Concilii actum valeret nisi septem ex duodecim residentibus Consiliariis subscriberent. Haud ignoro Joannem Walshaeum eidem epistolae subscrisisse sed Consiliarium nullo jure intrusum. Quod ad ipsa dubia spectat hic sequitur:

(1022) "I. An et siquae, quaenam pars articulorum indiciarum cum D. Barone Insequinniae initarum sit contra religionem

Catholicam, aut justum excommunicationi fundamentum praebat?

(1023) "2. Utrum teneat Appellationem per nos factam et infra tempus a Jure Canonico limitatum interpositam, concessis Apostolicis, suspendere monitoriam excommunicationem et Interdictum, ejusque effectus et consequentias cum omnibus aliis actis et censuris eodem spectantibus.

(1024) "3. Cum jam mandatae typis Illustrissimi Domini Nuncii propositiones a sua Illustrissima Dominatione tanquam medium, quo armorum cessatio conscientiae legibus consentanea redderetur, oblatae fuerint, utrum responsa, quae ad easdem fecimus, quaeque jam pariter excusa sunt, adeo deficiant, aut tam parum satisfaciant, et in quo ut justa excommunicationis fundamenta praebere possint?

(1025) "4. An qui faederis juramentum suscepit, perjurium committat rejicendo armorum cessationem contra positivum Concilii mandatum? |

(1026) "5. Utrum reperto hanc excommunicationem et interdictum esse contra Regni legem, sicut temporibus etiam Catholicis viguit, quam etiam omnes hujus Regni Praelati ex faederis juramento observare tenentur, possint Illustrissimae eorum Dominationes contra positivum Concilii mandatum promovere et publicare illam excommunicationem aut interdictum. 1557

(1027) "6. Utrum dispensatio dari possit ulli personae aut Confaederatorum parti ad violandum faederis juramentum absque Comitiorum Generalium consensu a quibus institutum est tanquam associationis et unionis Catholicae vinculum et ligamen, cuius mutationem aut dissolutionem sibi solis per expressa decreta reserverunt.

(1028) "7. Nunquis Confaederatorum specie praesentium Illustrissimi D. Nuncii actorum Supremi Concilii imperium possit detrectare."

(1029) His quaestionibus mense Junio propositis et per duos circiter menses discussis, interea mense Julio legati antea a Confaederatis in Galliam ad Reginam Angliae et Principem Walliae allegati in Iberniam redierunt cum responsione a Principibus jam dictis mense Maio data et superius posita, ex qua et ex litteris Lutetia Parisiorum scriptis, nec non ex ipsorum legatorum, praesertim Antrimii, relatione innotuit tam illam legationem, quam illa frustrata Romanam in fumum abiisse, et consequenter Gallicam legationem juxta ac inducias meram fuisse larvam, et

1557 sub larva pestilentissimam conjurationem, | eo tendentem ut a Comitiorum Generalium, praesertim ultimorum, quae ante alia omnia causae Catholicae de securitate providerant, decretis faederis juramento roboratis recederetur; Ecclesiae infensis simus, Ormonius in Proregem revocaretur; pax iniquissima cum ipso contraheretur; et Confaederatione Catholica dissuta regimen fidei, Clero, et fautoribus, imo sensim sine sensu Catholicis omnibus, exceptis paucis ex primae classis Ormonistis, exitiale intruderetur. In quem finem post legatorum regressum et duorum ex ipsis Ormonistarum, Muscrii scilicet et Brouni, suggestiones ex Ormonii adhuc apud Galliam cunctantis officina pseudo-Concilio atque aliis complicibus inspersas, prohibita per insigne sacrilegium Synodo Nationali, promoto per vias violentissimas juramento schismatico, atque ingeminato a schismaticis et stipendiariis haereticis belli civilis incendio, Ormonistarum Comitia indicta fuere et conjuratio, antea minus solemnis, solemnior, robustior et truculentior redderetur, quo machinationes omnes aperto Marte effectum sortirentur. Quae nova et major nefariae conspirationis demonstratio post praefatas clero Ormonico jam dicto quaestiones mense Junio Kilkenniae propositas et ante libellum Anglicanum, quo demum responderunt, mense Augusto approbatum, deindeque in lucem editum, hausta effecit, ut vix fide pessima non processerint totam hanc evidentiam luce meridiano | clariorem altissimo silentio per universum libellum praeterentes, scienter prudenterque dissimulantes, et perinde de induciis respondentes, ac si hae convictiones ad controversiam non pertinuissent, et nunquam intervenissent, cum tamen in libelli prologo se omnes chartas ultro citroque circa hanc controversiam a Concilio et ad Concilium missas revolvisse fateantur, proindeque sciverint inter multas rationes validissimas, ob quas induciae repudiatae essent, hanc a fine pessimo petitam fuisse longe potissimum demum ante libellum ipsorum nec absolutum tantis probationibus demonstratam. Quae eorum mala fides eo magis perspecta esse videtur, quod verbis generalibus rem lambant hunc in modum.

(1030) "Unde (inquiunt) sequitur illos nihil dicere, qui objiciunt Illustrissimum D. Nuncium et Episcopos nullam talem urgentem contrahendarum induciarum necessitatem praevidiisse, nec judicasse ullam ex ipsis proventuram utilitatem, (quae praecipuae sint rationes allegatae in appellatione contra censuras) sed potius, excogitatas fuisse ea mente ut ultima pax rejecta introduceretur, et ob alias consequentias ad eandem rem spectan-

tes, et consequenter ipsos judicasse nullam in (Concili) allegationibus reperiri veritatem. Nam etiamsi ipsorum *suspiciones* coram Deo (quales non sunt) veras esse concederemus, nihilominus hinc nihil inferri posset quo appellationis justitia in foro exteriori, juxta quod solum procedunt, dejici valeret." Haec illi, deindeque pag. 26. paucis interpositis addunt Concilium praefatis suspicionibus de perverso induciarum fine jam dicto conceptis satis obviasse per sua responsa ad | Nuncii propositiones 13 Maii missas 23 ejusdem 1558 mensis data, nec non per suam declarationem 22 Maii editam v unaque Nuncio transmissam, per quam palam fecit nullam a se pacem contrahendam, praeterquam illam quam ultima Comitia Generalia legatis in Gallias et ad Summum Pontificem destinatis obtinendam in mandatis dederant. Verum illi schismatici Theologi Kilkennienses considerassent sui libelli editi tempore fuisse notum et notorium quo modo duo legati, Ormonistae, in Gallia suis mandatis exequendis suapte sponte destiterint, et ipsis mense Julio domum regressis, nedum antea, Concilium post illa acta edita viam ex diametro oppositam tenuerint, sicut ex evidentiis jam tactis liquet, quibus illi diluendis scientes prudentesque supersedisse videntur, haud ignorantes nunquam melius quam altissimo silentio diluendas et earum dissimulatione. Ne tamen nihil dicere videantur, ita ab objectionibus praefatis abstinent ut verbis generalibus duo sustineant: 1°. Concilium et fautores in contrahendis induciis haud prava ipsis imputata ductos fuisse intentione. 2°. Etiamsi concederent ea prava intentione ductos fuisse, illam tamen ad rem nihil facere, cum induciae non ob pravam contrahentium intentionem, sed ob iniquitatem ipsis in se consideratis imputatam prohibitae fuerint, quandoquidem haec mala intentio nec in Praelatorum decreto 27 Aprilis adversus inducias lato, nec in censoriarum sententia in prohibitionis rationem allegatur. Quibus addunt | Concilium et 1559 fautores per novendum in eadem sententia ad deliberandum assignatum illam malam intentionem in bonam mutare potuisse, reque ipsa protestatos fuisse se nunquam illa mala voluntate ductos, imo faederis juramento et Comitiorum Generalium decretis instituros. Denique concludunt non defuisse millenos qui ab induciis steterint, non ob malam illam Concilio imputatam intentionem, sed in finem bonum et in sui conservationem, proindeque hos ob malam in contrahendis induciis intentionem excommunicari non potuisse, imo neminem, cum haec prava intentio in foro externo probari nequiret. Haec summa est eorum, quae super hoc controversiae capite dicent in suis ad iam

et 2am quaestionem responcionibus, sed longe magis ad sui libelli calcem, ubi sua maligna ingenia torquent ut aliud excogitent, quo suis induciantibus patrocinentur.

(1031) Verum quis eorum vel spississimam ignorantiam, vel fidem pessimam, vel utramque non videat? Prava enim intentio duobus modis considerari potest. 1°. Ita ut sit merus actus internus, et intendentem nec ad medium noxiun applicandum, nec ad finem in foro externo malum assequendum impellat. Quo casu ipsorum cavillationes locum habent. 2°. Ita ut ad illa mala in foro externo nota et prohibita ducat, qui noster casus est, cum certum sit inducias contractas fuisse ut sub illa larva Ormonistae et Insequinniani haeretici in unum corpus coalescerent, et Nuncio, Iberniae Clero, eorumque fautoribus invitis, aperto Marte media perversissima adhiberent, quibus finem pessimum toties tactum assequerentur, sicut de facto successit, et jam ex parte successisse et magis successurum hi Theologi Kilkennienses in tanta evidentiarum luce non ignorant, cum probe tunc mense Augusto scirent Concilio decretum, ut ad assequendum illum finem usque ad finem omnes animorum nervos intenderent. Itaque induciae non solum ob iniquitatem ipsis insitam, sed etiam ob finem pessimum modo jam dicto intelligendum fuerant et damnatae et damnabiles et Nuncii atque Iberniae Clerus illam induciarum malignitatem a fine pravo petitam ad nauseam repetierant, sicut suo loco vidimus. Quod autem Concilio verbis et protestationibus hanc pravam mentem perneganti, sed operibus et mediorum applicatione impudentissime confitenti, fidem non habuerint, atque resistendum duxerint, genuinos egerunt animarum pastores ob eximiam prudentiam et zelum domus Dei aeterna laude longe dignissimos.

(1032) Ex his colligendum est Concilium illis theologis (sicut ex quaestionibus propositis liquet) genuinum induciarum casum non proposuisse, sed semper etiam in consulendis mense Aprili exindeque duobus quorundam Ormonistarum Momoniensium et Lageniensium conventiculis Comitiorum Provincialium nomine notis et in omnibus actis publicis ab induciarum fine illo perverso agnoscendo pro virili cavisse, proindeque illorum conventiculorum et horum theologorum Kilkenniensem, atque aliorum omnium id genus responsiones ad casum falso a Concilio propositum factas nullius esse valoris, cum non casum re ipsa controversum, sed longe aliud diffinierint. Ex iisdem etiam liquet theologos illos vix fide pessima calamum non tractasse, cum scientes prudentesque in omnes se facies verterint, ut Concilii

1559

v

1560

in proponendis casibus et in assequendo fine pessimo toties tacto malitiam secundarent, praesertim eo tempore, nempe mense Augusto, deindeque, cum jam ob evidentias jam dictas res ipsa in medio posita illam sceleratissimam induciantium conjurationem altius loqueretur, quam ut nisi ab impudentissimo et perfidiosissimo Concilio negari posset. Itaque totus ille libellus vel ex hoc solo capite corruit, ne hili quidem faciendus, nec dignus, qui legatur, nisi ut Concilii quaestiones proponentis et theologorum ad ejus genium respondentis dolos et technas memoriae mandemus, in aeternum eorum opprobrium et ignominiam. Libelli tamen brevem anatomiā et dissectionem hic breviter habe.

(1033) In prologo fatentur se omnia controversiae acta ab initio usque ad tempus illud, mensem scilicet Augustum, utrinque scripta diligenter revolvisse; quod eorum malam fidem arguit, cum (ut demonstravi) exinde constet, ipsos irrefragabilia Nuncii ejusque partium fundamenta dissimulasse. Ibidem fatentur se non ignorare Decanum Firmanum 27 Maii per edictum superius positum ex Nuncii mandato et auctoritate sub pena excommunicationis latae sententiae ipsi Nuncio reservatae prohibuisse, ne quis de illis controversiis suam opinionem contra Congregationis Ecclesiasticae declarationem 27 Aprilis latam diceret, sed, si vellet, se ad ipsam Congregationem, | Nuncium scilicet et Praelatos delegatos, ipsique assistentes, conferret, rationes melius discussurus. Verum illi prohibitionem illam spernunt ob varias rationes adeo frivolas ut dubitandum non sit, quin illam excommunicationem ipsis peculiarem incurrerint. Deinde ad quaestionum a Concilio propositarum im respondent (quod falsissimum esse jam non repeto) induciarum articulos non fuisse illicitos, proindeque censuris fulminatis materiam suppeditare non potuisse. In qua decisione facienda suum judicium contrariae declarationi a Congregatione Ecclesiastica 27 Aprilis editae et delegationi a Praelatis 2 Maii factae eandem confirmanti arrogantissime praeferunt.

(1034) Ad 2am quaestionem respondent tribus modis: 1°. Censuras 27 Maii a Nuncio et delegatis in armorum cessationem tanquam articulos 27 Aprilis a Clero damnatos continentem fulminatas fuisse atque adeo nullas esse ob errorem in substantia materiae prohibitae, quod articuli illi postea correcti et non nisi secundum illam castigationem induciarum posterius contractarum pacto inserti fuerint. Quod tantum abest a veritate ut posteriores articuli longe fuerint deteriores, sicut manifestissime ostendi, et hic non repeto. 2°. Censurarum sententiam esse

1560

v

nullam, quod contineat *errorem intolerabilem*, quem Canones et Canonistae intervenire diffiniunt,* quoties per censorum sententiam praecipitur aliquid quod sit contra conscientiam. Ibi autem id praestari probant quod Concilio non obediendum praecipiatur. Et in hoc se ridiculos esse ostendunt, cum *error intolerabilis* sit quando aliquod in censorum sententia prohibetur, quod citra controversiam licitum est, vel quando praecipitur quod citra controversiam malum est. Magistratui autem civili saepius | resistendum esse, omnium saeculorum concordat authoritas. Unde in harum censorum sententia error intolerabilis hac ex parte non fuit, nec esse potuit. 3°. Respondent appellationem fuisse talem ut censuras suspenderit. Quod fuse probare conantur. Verum appellatio non nisi morae nectendae gratia a Concilio interposita fuit, ut interea, lite pendente, omnes suas machinationes executioni mandarent. Quare Nuncius et delegati eam tanquam frivolam et nugatoriam prudentissime rejecerunt.

(1035) Ad 3am quaestionem respondent Concilii responsa ad Nuncii propositiones 13 Maii missas 23 ejusdem mensis data rationi fuisse consentanea, ut justum censuris fundamentum non superfuerit. Quod falsum esse suo loco vidimus.

(1036) Ad quartam respondent eos qui Concilio adversus censorum non obedirent, esse perjuros, quod ex faederis juramento licitis eorum praescriptis obtemperare tenerentur. Verum Concilii praescripta ad induciarum conjurationem promovendam tendentia non fuisse licita satis ostensum est, usque adeo ut non obedientia sed furca se dignos effecerint, et Concilium fautoresque citra dubium perjuri fuerint. |

(1037) Ad quintam respondent affirmative; sed quae fuerit illa Regni lex, cui censoriae repugnarent, non assignant, nec assignare poterant nisi forsitan aliquam legem iniquam nullo modo observandam paenalibus Reginae Elizabethae statutis anumerandam.

(1038) Ad sextam respondent ne Suam quidem Sanctitatem in faederis juramento dispensare potuisse; sed de hoc non agebatur. Quinimo Nuncius, Praelati, fautoresque haud aliud anhelabant quam ut faederis juramentum et Comitiorum Generalium decreta eodem sacramento roborata observarentur, a quibus Concilium perjurio recessisse certissimum est. Quare haec eorum responsio in ipsis et Concilium militat.

* Cap. venerabilibus.—potest quoque de sent. excommun. in 6° et cap. per tuas §. nos igitur ext. eod.

(1039) Ad septimam respondent, omnes Faederatos, non obstante Nuncii procedendi modo, teneri ad praestandam Concilio obedientiam, ad quam neminem studiose non exhortantur, usqueadeo ut ipsos Religiosos adducere conentur ad rebellandum in suos Praelatos ut Concilio obsequantur. Quae doctrina, quam impia sit et a vero atque aequo aberret, ex iis, quae jam diximus, satis superque constat.

(1040) Huic seditionis schismatico, et falsissimis fundamentis nixo libello subscripserunt tanquam authores et de quaestione a Concilio propositis respondentes, David Rothus, Episcopus Ossoriensis. P. Joannes Roweus, Carmelitarum discalceatorum in Ibernia Provincialis. Nicolaus Taylor, S. Theologiae Doctor. Guillelmus Shergoll Sac. Theologiae professor, Praebend. Houth, Vic. For. Fingal. Fr. Joannes Barnewall, Sac. Theologiae Lector. Fr. Petrus | Walsh, Sac. Theologiae Lector. Fr. Simon Wafer S. Theologiae Lector. Lucas Cowley, Archidiaconus Ossoriensis et Protonotarius Apostolicus. Laurentius Archboldus, Vicarius For. in Decanatu Brea, Tuaney et Glandagh. Fr. Christopherus Plunkett, Guardianus conventus S. Francisci Dubliniae. Fr. Joannes Dormer, Guardianus Ordinis Sancti Francisci in conventu de Casteldermot. Fr. Bonaventura Fitz-Gerald, Guardianus Ordinis S. Francisci conventus Kildarensis. Fr. Laurentius Matthaeus, Praeses Carmelitarum Kilkenniae. Paulus Naish, praebendarius. Joannes Shee, Praebendarius Main, et Jacobus Sedgrave.

1562

(1041) Libellum autem approbarunt per varia acta 4°, 7°, 10°, 12°, et 17 Augusti data, et per alia, quibus dies apposita non est, 1° Thomas Deasseus, Episcopus Midiensis. 2° Thomas Rothus Decanus S Canici. 3° Jacobus Talbottus, S Theologiae Doctor. 5° Jesuitae sex, nempe Henricus Plunkett Jesuitarum Kilkenniae Superior, Guillelmus Sanlegerius alias Salingerus vel a Sancto Leodegario, Robertus Bathus, Guillelmus Dillonus, Christopherus Mauricius, et Joannes Usherus. 6. Jacobus Talbottus, S. Theologiae professor, aliquando visitator Ordinis S. Augustini in Ibernia. 7. Fr. Thomas Talbottus, strictioris Observantiae Franciscanus Licentiosissimus; cum aliis quinque ejusdem instituti alumnis, nempe Fr. Thoma Babe, Fr. Ludovico Fitz-Geraldo, Fr. Paulo Sinotto, et Fr. Jacobo de la Mare. 8vo denique Sebastianus Flemingus, Thesaurarius Ecclesiae S. Patricii Dubliniensis. |

(1042) Ipsius libelli fundamenta omnino falsa superius cor- 1562 ruisse vidimus. Jam restat ut hos, qui subscripserint et approba- v

rint, delineamus. Ac 1° quidem Episcopus Ossoriensis adeo tunc decrepita erat aetate ut libellum illum mendacia sub fucatis sed subtilibus veritatis coloribus propinanentem haud attente ponderare, multoque minus componere potuerit. Et licet gravissime tentatus subscriptserit, postea tamen (ut propria Episcopi Clonmacnosiensis manu scriptum lego) anno 1650 mense Februario palinodiam cecinit. Quod ad Midiensem spectat, ad primum belli biennium perfracte caeteris Regni Praelatis et Confaederatis adhaerere noluit, ut propterea suspensus fuerit. Qua censura diu innodatus etiam post Ministrum Apostolicum, Scarampum, anno 1643 in Iberniam ab Urbano VIII. destinatum, et post bellum illud decretis Pontificis approbatum in sua impia sententia atque obstinatione aliquandiu persitit, licet demum errores retractaverit postquam Scarampus eodem anno 1643 ²⁷ Augusti in Urbem scripsisset, instans ut authoritate Pontificia in ipsum apud Iberniam procederetur. Verum non nisi labendi occasionem, qua disciplinae ecclesiasticae severitatem non metueret, expectasse videtur, quam demum anno 1646 ob Catholicon discordias circa pacem Ormonicam natas arrepturus Nuncii et universi Cleri Iberni, tam saecularis quam Regularis, sententiam, qua pacem illam rejectam fuisse vidimus, adeo sprevit ut de ipsis ac de Confaederatis pene omnibus illius iniquissimae pacis proscriptoribus Olivero Desseo, suo Vicario | Generali loquens dixerit *aut deliro aut insaniunt illi.* Quae verba capitissima impius Philopater in ejus encomium citat. Porro idem Middensis hoc anno, ubi Kilkenniae Clerum in inducias insurrexisse vidisset, data opera Congregationi Ecclesiasticae interesse noluit, ne Praelatorum declarationi in easdem ²⁷ Aprilis conditae vel subscriberet, vel detrectando in primi erroris suspicionem veniret. Rogatusque a Nuncio ut tunc Kilkenniae commorans se ibi conveniret, causatus est se surdastrum nolle ei extollendae identidem vocis molestiam creare. “Caeterum quod instrumenti subscriptionem spectaret, nihil se habere commodius quod diceret, quam quod alias a quodam nobili Iberno in causa non absimili pro subscriptione his verbis *non probo, nolo, intercedo,* vernacule positum comperit, et cum ad visendum Reverendissimum Nuncium urgeretur, *Occurremus in caelo*, inquit, et hoc dicto urbe profectus est.” Sunt Philopatri ipsi patrocinantis verba. Verum censuris fulminatis Middensis ita, Kilkenniam regressus, ibi pedem fixit ut libellum illum Anglicanum in Concilii favorem editum approbaverit, et pro virili per omnia Concilio militarit. Cujus calculus circa librum illum ob hominis

1563
Vindic.
 Lib. 2.
 p. 132.

Vindic.
 Lib. 2.
 pag. 133.

genium et ingenium errabundum flocci faciendus est, praesertim cum sicut Ossoriensis ita et ille adeo esset tunc decreitus, et capularis senex, ut libellum illum tam spinosas controversias continentem nec legere nec suis ponderibus | librare valeret.

1563

v

(1043) Quod ad alios omnes subscriptentes et approbantes, quos cum phaleratis titulis a se in subscribendo sibi arrogatis citavi, pertinet, R. P. Paulum King, tunc Kilkenniae Franciscanorum strictioris Observantiae Guardianum, et paulo post simili officio in S. Isidori Conventu Romae functum, audi. Qui in sua prolixa epistola 4 Maii 1649 data et in Belgio typis tunc mandata de libello illo et suffragatoribus loquens : “Etenim (inquit) deliriis hisce immorari nolo, quae suo tempore sufficienter patebunt in refutatione infamis istius libelli, cui titulus : *Quaeres.* Qui in arce Caterlagh infaeliciter primum conceptus, infaelicissime tandem in urbe Kilkennia a praefatis Ordinum suorum immorigeris apostatis in lucem editus fuit. Nec est quod de ejus vel impressione vel autoritate multum cures. Nam (ut bene doctissimus P. Poncius, Franciscanus, animadvertisit) omnes ejus tum authores tum approbatores simul in unam massam redacti, si mores et eruditionem spectes, ne unum quidem votum sufficiens conficerent.” Haec ille testis oculatus. Et paucis interjectis :

“Illi vero (inquit) approbatores, qui non nihil autoritatis habere videntur, libello isti, non qualem jam typis mandatum vides, subscripterunt, ut ipsem ab ipsismet audivi.” Haec P. Paulus, ex quibus liquet libellum fuisse post approbationes mutatum. Cujus genuinus author habetur non tota illa subscriptentium caterva majoris fidei astruendae ergo | addita, sed

1564

omnium unus, P. Petrus Walshaeus, strictioris Observantiae Franciscanus, merus apostata, qui utique aliis sui instituti alumnis praesertim (sicut videbimus) in capitulo Provinciali anno 1650 paenitentibus et a censuris absolutis, nec tunc nec postea usque in diem hanc resipuit, sed usque adeo in pejus profecit, ut ad annum 1662 exindeque Londini sacrilega illa dogmata in lucem ediderit, quae suo loco fusius tangemus, quibus etiam tunc Kilkenniae anno 1648 eum possessum fuisse, et illa prava doctrina occupatum faetidi illius libelli sentinam excogitasse fidem habet. Porro ad eundem libellum nihili faciendum conductit, quod pseudo-Concilium actis publicis ex omnibus Regni angulis suos theologos Kilkenniam convocat, omnique arte eos allectarit, nec tamen post duos menses in illis artificiis collocatos potuerit alios ad infame illud opusculum suis calculis probandum adducere quam praefatos Anglo-Ibernos, eosque suorum Anglo-Ibernorum laic-

1564

v

orum Concilio adhaerentium causa a recto ita deviantes, ut eorum sententiam milleni Iberniae ecclesiastici, inter quos plurimi scientia et vitae probitate praestabant, pluresque Episcopi atque alii Praelati tanquam blasphemam detestarentur, quorum vel infimi calculus praefatis omnibus, qui libello subscriperant, praferendus. Nec hic notatu indignum | est libellum illum eodem tempore approbatum, quo Eugenium O Nellum cum suo exercitu per Lageniam movisse vidimus, qui cum maximum Ormonistis timorem inter illam digressionem militarem incuteret, variae a Concilio, quibus ejus conatus frustrarentur, viae illicitae initiae sunt, adeo ut credendum sit illos theologos Ormonicos omnes vel pene omnes Lagenienses, postquam antea per duos menses consensus suspendissent, demum passionis furori ab Eugenii copiis Ormonistas late populantibus concitato ita succubuisse, ut subscriperint, quo non solum animum vindicem exercent, sed etiam sui suorumque defendendorum causa plures pravis dogmatibus veritatis speciem praeseferentibus ad Concilii partes amplectendas sollicitarent.

(1044) Ad Eugenium O Nellum ejusque exercitum redeo ; qui quo magis progrediebatur, eo magis crescebat. Ea autem erant partium studia, ut Nuncio atque Eugenio per totum Regnum antiqui Iberni, quorum majores ante Anglorum invasionem Iberiam possiderant, plerumque adhaeserint, Concilio vero Anglo-Iberni, quorum majores post eandem invasionem ex Anglia in Iberiam trajecerant, ut plurimum studuerint. Quae regula adeo tenebatur ut tamen Concilio multi aborigines, et Nuncio atque Eugenio multi Anglo-Iberni obsecundarint. Denique quoquot vel

1565

Relat.
Cap. 32.

veterum Ibernorum vel Anglo-Ibernorum Concili parts | sequerentur, jam ab aliquot illius belli annis Ormonistae vocabantur, quod Ormonio faverent, eumque in Proregem introducendum contendenter. Porro dictam Eugenii excursionem bellicam perstringens Nuncius et ab eo tempore exordiens, quo ille pervenerat Athloniam mense Junio : " Ibi (inquit) magis exacta habita notitia omnium, qui in Momonia adversus Baronem arma sumpturi erant, et Marchionem Ormoniae odio intensissimo prosequabantur, eos fecit certiores, se cum paribus indigentiae copiis in eam Provinciam brevi transiturum. Interea se ad Ultoniae confinia recepit, et ut judicavit sibi competentem esse exercitum, movit cum denis peditum millibus et mille quingentis equitibus, omnia late populans usque ad urbem Kilkenniam. Consiliarii ob hunc exercitum vicinum tanto timore perculti sunt, ut constantissima fuerit multorum opinio futurum ut

magistratus praecocem se in fugam daret, et praesidium non expectatis tormentis bellicis dditionem faceret, si O Nellus ad maenia accedens insultum tentasset. O Nellus tamen causabatur, Barone, qui Ormonistis velocissime suppetias veniebat, accedente, se opprimi nolle inter civitatem et hostem, et sic Kilkenniam declinans se contulit in Comitatum Tiperariensem. Suis tamen per hanc deliberationem haud satisfecit, cum nemo non videret, expugnata Kilkennia, prorsus finitum iri perturbationes, | et Rempublicam in ipsissimo reponendam novae Confaederationis statu, in quem, ubi pax proscripta esset, redacta fuit. Crevit O Nelli culpatio viso tantum abfuisse ut conformiter promissis antea factis in Momoniam progressus sit, ut etiam contra Sineni fluminis cursum pedem retulerit." Haec Nuncius, quae quis non stupeat, cum et ante pactas et inter pangendas inducias semper institerit Eugenius ut suus exercitus adversus Insequinnium in Momoniam admitteretur, et tunc longe majores ex Conacia, Ultonia, Lagenia, et Momonia contractas habuerit vires, plurimis Momoniae proceribus et nobilibus causae ecclesiasticae studiosissimis nihil magis habentibus in votis quam ut in Momoniam interiorem penetraret, sibi ipsis jam oppressis adversus Concilium, Insequinnium, atque alios induciantes etiam Catholicos cum suo exercitu coaliturus. Hic enim erat censurarum et illius belli in Concilium atque alios induciantes suscepti scopus, quem ille, nisi in Momoniam, progressus assequi non poterat.

(1045) Inter praefatam expeditionem Eugenius non nulla in Lageniae et Momoniae confinio Castella Catholicis ab armorum cessatione stantibus eripuit muniitque, et cum Prestono congressus, ejus vires male tractavit. Ad Eugenium inferius redibimus.

(1046) Interea Clanricardius, capta ad exeuntem Julium Atlonia, deinde mense Augusto operam dedit, ut ea Conaciae Castella, quae a Nuncio atque ejus | partibus starent, expugnaret, et prae reliquis unum, Motam nomine, occupavit, decemque ex resistantibus, quorum non nulli essent honesto loco et bene nati, suspendio tollendos curavit, mox in aliis ibi castellis expugnandis progressus.

(1047) Inter haec 13 Augusti, die Dominica, Praetore Galvensi domum suam redeunte, totoque populo (qui urbium Iberniae mos est) cohonestante, quidam Clanricardio nedum contribulisi, sed etiam inter hanc Regni perturbationem studens, unum ex Vicecomitibus urbanis injuria afficit, multisque subito districtis gladiis pressus in Praetoris aedes refudit. Collecta autem

Diar. ad
26 Aug. et
epist. ad
Card.
Panzir.
21 Aug.
1566

juventus, cum reus suapte sponte se sistere noluisset, confactis postis eum in carcerem raptarunt; cumque non deessent qui dicerent inter eam Galviensium partem, quae Concilio Supremo et Clanricardio studeret, clanculum convenisse ut eidem Clanricardio et praesidiariis ab ipso mittendis urbis januas aperirent, civium pars adversa mox Galviae portis occlusis Praetori, qui et ipse Concilio et Clanricardio faveret, claves extorsere sed postea restitutas.

(1048) Eugenius O Nellus aliquot retro hebdomadis antequam ex Conacia in Lageniam moveret, in eadem Conaciae Provincia Jacobopolim occupaverat. Quod oppidum, eo jam absente Clanricardius aggressus est. Et mox cepit deditione incruenta et repentina, eo ipso tempore, quo Richardus O Ferallus jam Eugenio adhaerens ad valentem | praesidio opem ferendam properaret. Clanricardius tunc ipsi Galviae obsidionem minatus est, et cives se ad eum repulsandum praepararunt, libratis ad muros machinis bellicis, instituto in loci Gubernatorem nescio quo Tribuno Ultonensi, et statuto ut trecenti pedites Galviam in praesidium introducerentur. Ante vero quam ad manus ventum est, rogatus Marchio ut postulata interponeret, inter alia proposuit ut Galvia calcatis censuris inducias cum Insequinno contractas amplecteretur, et sibi sexdecim scutorum millia numeraret. In quibus duobus articulis suaे controversiae cardinem vertebat, castrametatus secundo ab urbe lapide, occupatis aditibus et flumine adeo ut Galvia re cibaria et commercio intercluderetur. Quo viso cum Galvia in duas partes, quarum una ab induciis adversus censuras, altera a censuris adversus inducias staret, divideretur, Praetor, Walterus Brounus, quem antea cum suis ut inducias promoveret, nullum mense Junio lapidem non movisse vidimus, hac suaे mentis opportunitate (ut videbatur) laetus se portas Clanricardio aperturum ostentavit, aliquie vix dubitabant quin facta verbis plusquam responderent, nisi ipsi aliqua ratione obviarent. Inter hos partis Nuncio et Clero faventis pavores atque animorum consternationes D. Gregorius Joiceus, sacerdos Galviensis, ex illius urbis Collegio, quem antea mense Junio suum in eadem causa defensanda zelum ostendisse vidimus, die mensis | Augusti 28 manu crucem gestans, in publicum prodiit, et per civitatem progrediens subinde clamabat: *quisquis est Ecclesiae filius me sequatur.* Itaque congregata subito ad ejus latus frequentissima urbis juventute, districtis gladiis itum est recta ad Praetoris domum, cui effractis portis claves urbis et Regis gladium, insigne Praetorium, abstulerunt, inque ecclesiam

1566

v

1567

se receperunt, ubi haec velut holocaustum medullatum super altare collocarunt, donec de tuenda urbis via deliberaretur. Cumque in Ecclesia ad has exuvias custodiendas se vallassent, et totius pene juventutis magno zelo flagrantis antesignanus esset equitum Tribunus, natione Germanus, Joannes Vangyrius, multi civium, qui pro Praetore facerent, indignati, quod homo alienigena penes se haberet gladium Regium, confluxerunt in globum ad ecclesiam, quam et obsidione incinxerunt, ut ornamenta illa Praetoria redhiberentur. Quo auditio Nuncius currit, et alias secuturae multi sanguinis effusioni obviaturus, inter tot strictos enses in ecclesiam ingressus, id effecit ut Gladius Regius atque urbis claves, se concomitante, in Praetoris domum reportatae fuerint. Dum autem Nuncius in ecclesia (sicut dixi) suos ad pacem et veniam aliis quamvis reis faciendam hortaretur, Marcus Darcus in caemiterio P. Josephum Arcamonium, Theatinum Italum, Nuncio | a confessionibus, tumultum sedare conantem 1567
inhumaniter et irreverenter proscindere caepit. Qui a Patricio Frenchaeo, cive Galviensi humaniter reprehensus Patricium stricto gladio primum in capite percussit, deindeque per amicos separatus ipsum proditorie per sequestrantis pallium gladio confudit, et in eodem aedis S. Nicolai sepulchreto sacrilege interemit, postea Ormonistis et Ormonio impie et inique patrocinante haud propterea punitus, licet in Comitiis Loghreaghensis ad exeuntem annum 1650 celebratis nefario crimine accusatus fuerit. Porro postridie quam haec seditio ab induciarum fautoribus Galviae concitata fuerat, Clanricardius manu propria Nuncio scripsit Anglice has litteras :

"Illustrissime et Reverendissime Domine.

(1049) "Diversos male affectos, qui statutae in Regno Gubernationi se opponunt, et nunc in urbe Galvia resident, ad obsequium reducturus necessitate compellor admoliendi exercitum ad eandem obsidem, nec dubito quin, Deo auspice, imperio vel submissione ad promptam ipsos obedientiam sim redacturus. Cum autem nunc ducamus dies, quibus fides falsis rumoribus saepenumero habetur, et sincerae legitimaeque hominum actiones injuriosas patiuntur interpretationes, aequum duxi Illustrissimae Dominacioni vestrae meas, antequam proprius accessero, tempestiva praemonitione indicare deliberationes, | et ut Illustrissimam Dominationem vestram (quod ad tuam personam, famulos, et bona spectat) omni discriminis metu eximam, Illustrissimam Dominationem vestram reddo securam fore ut, si in ista urbe commorari velis, nullum a quocumque sub mea praefectura passurus sis pra-

judicium, vel si istuc discedere mavis, abjecta cunctatione designabo satellitum, a quo Illustrissima Dominatio vestra hanc extra Provinciam coherestetur. Nam quidquid sit de opinione, quam de Illustrissimae Dominationis vestrae actionibus nimia circa aliorum delationes crudelitate fultis concipio, nemo tuam personam et officium magis suspicit reveretur quam

Illustrissimae Dominationis Vestrae

Ex castris,

Humillimus servus

29 Aug. 1648.

Clanricardius."

(1050) His litteris acceptis quid Nuncius Clanricardio reposuerit hic habe :

" Quod Dominatio vestra Illustrissima suo verbo securitatem mihi, familiae meae, ac bonis spondeat, si adversus hanc civitatem quidquam hostile commiserit, gratias habeo ingentes, neque alii in hac re fidem magis adhibere me profiteor quam eidem Dominationi vestrae Illustrissimae dicenti ac scribenti. Cum vero eadem Dominatio pro causa indignationis erga hunc populum allegat inobedientiam quorundam ad Regni regimen, quemadmodum | si tales mihi noti essent liberius responderem, ita si hujusmodi inobedientia versatur in rebus ad temporalia spectantibus, precor ac opto Dominationi vestrae Illustrissimae faelicem in iis successum. Si vero (prout circumfertur) spiritualia tangit ac populorum conscientias, si quid meae preces, atque authoritas valet, plusquam rogo Dominationem vestram Illustrissimam ut ob hanc causam ab omni violentia abstineat, nec velit majora animae suae damna quam huic misero populo inferre. Satis offensus est Deus, Illustrissime Domine, tot Religiosorum ac sacerdotum incarceratione, violenta prohibitione Synodi, mearum (ut asseritur) litterarum detentione, ac violata tot modis ecclesiastica libertate, quae omnia in jure ecclesiastico censuras habent annexas prohibita cuicunque dispensandi autoritate. Gaudeo (ingenue hoc fateor) et iterum ago gratias quod libertati meae relinquat manere in hac civitate, et quod humaniter salvum conductum ac tutelam, etiam militum, offerat, si discedere hinc potius vellem. Agnosco in hac re observantiam Dominationis vestrae Illustrissimae erga Sedem Apostolicam et praecipuum illius effectum erga me. Sed perpendere eam velim quam minimi constabit mihi beneficium securitatis, si mallem hic morari et civitas | obsideretur. Tunc enim particeps ego etiam forem communis afflictionis, et ob impedita ab exercitu Dominationis vestrae Illustrissimae victualia nihilominus periclitarer. Quod si ob meam tantum hic praesentiam, seclusis aliis rationibus,

1568

v

1569

Dominatio vestra Illustrissima generoso consilio statueret non hostiliter agere contra hanc civitatem, paratus sum ostendere innumeris exemplis ipsam in hoc imitaturam insigniores christiani populi Magistratus, qui saepius hanc reverentiam legatis Romanae Sedis exhibuerunt. Quorum sicut Dominationi vestrae Illustrissimae gloriam, ita sensus atque intentionem praecatur osculando illi manus

Addictissimus servus

Joannes Baptista, Archiepiscopus Firmanus."

(1051) Risu dignum est quod Clanricardius Nuncio tutelam offerat, et Praelatos atque alios ecclesiasticos illamque Galvensium partem quae Nuncio morem gereret, obsideat, haud aliam ob causam, quam quod Deo, Sedi Apostolicae, et Nuncio in observando faederis juramento adhaereant. Hoc (ut bene Nuncius notat) haud aliud erat quam id efficere ut ipse Nuncius per illorum afflictiones persecutionem pateretur. Ea enim erat via peragendi ut Nuncius ab omnibus desereretur, et desertus Regnum egredi cogeretur. Hoc autem longe dissonat | non 1569

v

solum a securitate Nuncii Apostolicis ex jure communi Pontificio sub gravissimis paenis debita, sed etiam ab ipsa fide publica totius Regni nomine huic ipsi Nuncio specialiter data per actum publicum 3 Octobris 1645 conditum, et suo loco superius positum, quo tantae securitatis lege oblata in Regnum invitatus erat, et post appulsum adductus ut in Regno persisteret, pecunias Pontificias in bellum Catholicum impenderet, suas in se et familia ibi eadem mente sustentandis collocaret, et denique corporis, animae, atque ingenii vires atque omnes nervos in eo penso Apostolico poneret. Quare citra dubium fides illa publica hic violata fuit in Dei omnipotentis offensam longe gravissimam.

(1052) Clanricardio Galviam premente, Magistratus Nuncium, qui haud obstante obsidione urbem non egressus est, consuluit nunquid saltem evitandae caedis causa inducias juxta Clanricardii postulata publicare liceret. Nuncius autem sex Episcopis, qui sibi tunc Galviae assisterent, et aliis e Clero congregatis, quaestioneque bene discussa hanc decisionem edendam curavit.

"*In Dei Nomine Amen.*

(1053) "Cum circa ultimam nostram decisionem de publicatione cessationis a quibusdam objectum esset, quod licet ad vitandam aliquam temporalium bonorum jacturam, cessationem illam tuta conscientia vulgare non possent, dubitandum tamen est ab ipsis an id non liceret ad vitandam hominum | caudem, quae ex 1570

facienda illis induciis oppositione sequi posset. Nos praesenti acto declaramus esse peccatum mortale in Dei et Ecclesiae suae legem, nec non perjurium contra juramentum faederis, illam armorum cessationem aut promulgare, aut pati ut promulgetur, atque adeo eos ad vitarum, bonorum, immunitatum et omnium, quae ipsis in hoc mundo chara sunt, jacturam potius ferendam teneri, quam ei obsequantur vel eam promulgent. Hic etiam sensus fuit nostrorum illorum in praecedenti nostro decreto verborum: *Nullo modo licet* etc. Et sane probe novimus eos non posse bona sua in hac causa sine quorundam aut forte mulorum caede perdere. In cujus rei testimonium propriis manibus subscrispsimus 30 Augusti 1648.

Joannes Baptista Archiepiscopus Firmanus, Nuncius Apostolicus. Joannes Rapotensis. Fr. Boetius Rossensis. Walterus Clonfertensis. Robertus Corcagiensis et Cluanensis. Fr. Terentius Immolacensis. Fr. Antonius Clonmacnosiensis. Fr. Dionisius O Driscoll, Provincialis Augustinianorum. Patricius Lynchaeus, Praepositus. Fr. Gregorius French. Fr. Bernardus Connius, Provinciae Pater. Stephanus Lynchaeus Doctor. Nicolaus Condulmanus. Jacobus Fallon, V.A.A. Jacobus Abbas de Conga. Gregorius Joycaeus. Michael Lynchaeus." |

1570

(1054) Parum dubito quin hoc actum Latine conditum fuerit.

v

Vindic:
Lib. I.
pag. 122.

Mihi tamen Latine non occurrit nisi apud Philopatrum, a quo adulteratum fuisse pro suo more suspicor ex collatione cum eodem acto Anglice edito, quod propterea ex Anglico exemplari Latine reddidi. Caeterum hoc actum paulo postea pseudo-Comitia Generalia Ormonistis referta, atque adeo Nuncio et fautoribus toto corde adversantia, typis Anglice mandarunt, annexa sua censura impietatis et arrogantiae plenissima, qua declararunt esse in se sceleratum, *proditorum omnibus legibus humanis et divinis repugnans, ac tendens in extremam ruinam regiminis Ecclesiae et reipublicae Ibernicae,* addideruntque eos qui subscriperant fuisse conatos implicare Faederatos Catholicos irreconciliabili laniatu et divisione. Contrarium autem certissimum est, cum aeque bellandum fuerit contra nefariam illam induciarum conjurationem ac pro faedere Catholicos, a quo induciantes Catholicos ad induciantes haereticos contra induciarum impugnatores proindeque contra faederis Catholicorum propugnatores

perfidiosissime desciverant. Nec nisi falso, si non solita mala fide, in eodem conventiculi Kilkenniensis acto imputatur tumultus Galviensis nuper recensitus praefatae Cleri responsioni, quae utique vel ex ipso pseudo-Comitiorum exemplari Kilkenniae typis mandato, nedum ex Nuncii Diario, die Augusti 30 data fuit, proindeque tumultum et faedissimum modestissimi juvenis, Patricii Frenchae, homicidium secuta est, quae ex Nuncii Diario in diem Lunae 28 Augusti inciderant, idque ipsorum Ormonistarum Galviensium culpa, | aliis Galviensium haud aliud satagentibus, quam ut portae Clanricardii copiis ex schismatica et haeretica militia conflatis non aperirentur, et ne induiae a Galviensium parte Ormonica (nam utrumque malum intentabatur) promulgarentur. Porro non obstante praedicta Cleri responsione 30 Augusti data, Clanricardii ibidem factio et civium pavor id effecit ut Praetor Galviensis cum duobus aliis et paucis circumstantibus Kalendis Septembbris in publicum prodierit, magnaqua praecipitatione verba in pauca conferens, et tremulus, in ejusdem Marchionis gratiam inducias publicarit. Cum quo et aliis ejusdem facinoris sane perfidi consciis de illata sibi injuria expostulavit Nuncius, eo magis eis succensens, quod, non nisi biduo elapso, super ea re consultus Clerum congregasset, et ex communi deliberatione (sicut vidimus) responsio data esset, id non licere. Verum ex altera parte Archiepiscopus Tuamensis atque Episcopus Aladensis, iisdem diebus Galviae haerentes, in publico civium consessu, in magnum bonorum omnium scandalum, id ipsum licere responderant, inque animas suas totum facti nefarii peccatum receperant. Nuncius autem auditio inducias fuisse furtim promulgatas, mox Galviae ecclesias occludendas et Interdictum exequendum curavit. Denique Galviae Ormonistae alteri Marchionis Clanricardiae postulato satisfacturi, 6 Septembbris non omnem summam, quam petierat, sed octo ei scutorum millia numerarunt. Quibus ille acceptis ita obsidionem solvit, ut triduo sequenti portae Galvienses bonis excubii vallatae, nedum Catholicae sed etiam haereticae ejus militiae rem cibariam atque alia necessaria comparanti patuerint. Postea Clanricardius haereticas illas atque Anglicanas vires ab | Insequinnio antea ad se missas, stipendiis compensatas ad Insequinnium redire jussit, duce Vicecomite Taaffo, quem etiam suas copias Momonienses, Catholicas quidem sed ex factione Ormonica compactas una in Momoniam reduxisse conjecto.

(1055) Interea in Carmelitarum Discalceatorum hospitio Galviensi duo male feriati Carmelitae, nempe P. Stephanus

Diar. ad
2 Sept.
1648.

Diar. ibid.

1571
v

1572

Brounus et P. Gregorius Lawlesus, quos a Clanricardio et Concilio muneribus corruptos fuisse Doctor Walterus Enos *Justitiae* cap. 3, No. 2° tradit, hospitii sui moderatorem P. Columbanum in Ultonia natum, atque adeo a Nuncio stantem, adoriuntur, et quod censuris morem gerendum duceret, ritu turbulentissimo in carcerem contrudunt. Quo facto suum Galviae sacellum aperint, et pulsata campanula ad sacrum omnes in interdicti contemptum invitant, licet omnes tunc Galviae Religiosi Ordines, Dominicani, strictioris Observantiae Franciscani, Augustiniani, Jesuitae, Capucini, aliique Carmelitae, nec non ipsa S. Nicolai ecclesia collegiata, civitatis unica, easdem censuras sancte observarent. Nec ita P. Columbani incarceratio delituit, quin P. Richardo O Ferrallo, Capucinorum tunc Galviae superiori, innotuerit, qui Nuncio audax illud facinus retulit. Nuncius autem Columbanum libertate donavit, apud Capucinos exinde per aliquod tempus diversatum, ut dictus P. Gregorius aculeatis litteris, quas habeo, praefatum P. Richardum pupugerit, et ipsum P. Columbanum prosciderit. Sed ipse atque ejus collega, ubi moniti et pressi, ut morem gererent, haud resipuerint, a Nuncio et sex Episcopis delegatorum Congregationem conflantibus, nec | non utroque urbis Clero saeculari et Regulari in unum convocatis nominatim denunciati sunt excommunicati. Nec propterea perversis caeptis destiterunt, sed apud se, perinde atque antea, officium divinum decantabant, et sacra celebrabant. Ad quos etiam, spretis censuris, Archiepiscopus Tuamensis et duo alii Episcopi Conacienses, nempe Aladensis et Finiborensis, tres magnorum multorumque malorum authores, rem sacram facturi die 8a Septembris, B.V. Mariae Nativitati sacra, se contulerunt. Quibus abusibus zelosa juventus Galviensis, ablata Carmelitarum campanula, non nullum obicem posuit.

(1056) Die etiam Dominica proxime sequenti, 10 Septembris, Tuamensis cum duobus Episcopis jam dictis, Praetore quoque et non nullis civium ad ecclesiam collegiatam antea prae interdicto clausam, tanquam proprius diaecesanus, accessit, et admotis ad tectum scalis eam violenter aperuit, ubi pulsatis manu propria campanis ipse et Aladensis sacra celebrarunt. Populus autem, primo quidem impetu, devotionis causa confluxit, sed auditis rei circumstantiis mox recessit. Quinetiam Nuncius iisdem diebus Cardinali Panzirolo scribens : “ Archiepiscopus (inquit) Tuamensis et Episcopus Aladensis palam contra meam autoritatem et interdictum concionantur.”

(1057) Jam a Cleri bello ad laicorum Martem redeamus, quo spectat vix praefatas copias a Clanricardio in Momoniam sub Taaffo fuisse dimissas, cum Galviae nunciaretur, Moriartum O'Brien, aliquot legionibus ab Eugenio O Nello acceptis, Tomoniam, agrum avitum, rediisse, ibique Bunrattum vallare caepisse, totisque | viribus operam navasse ut Concilii partes in Conacia 1572 pessundaret. Triduoque interposito, altera pars exercitus v Ultoniensis, duce Rogero Maguirio, locum Benchorensem Sineno, flumini, quo Conacia a Momonia et Lagenia sejungitur, vicinum, atque adeo irruptioni in Conaciam facienda opportunum, intercepit, exindeque in eam Provinciam aliis etiam minoris momenti locis ibi occupatis irruptit praedabunda. Quo ad undecimum Decembris Galviae atque in vicinia cognito, Clanricardius postridie summo mane triginta circiter equitibus comitantibus in eas partes perrexit, quo flammatum restinguere. Eodemque die Tuamensis, siquod posset, remedium adhibiturus, seu potius suis Faederis Catholici desertoribus opem latus, Galvia, ubi biduo antegresso in ecclesia collegiata modo jam dicto rem sacram profane fecerat, Tuamiam remigravit.

(1058) Eodem tempore Eugenius jam deserta (sicut diximus) Momoniae expeditione Birram expugnavit, ubi Prestoni filiam, Felici O Nello Equiti aurato uxorem, reperit. Quam honeste et honorifice conducendam curavit Kilkenniam, retento in exercitu ejusdem Felicis filio unico; nec interea Lagenia motibus vacavit. Nam Hugo Felimii O Bruin, quem anno superiori exercitus Prestoniani Legatum Generalem in paelio, quo Praestoni tunc copias 8 Augusti Parliamentarii profligarunt, captum fuisse vidimus, hoc anno ad mensem Julium Eugenio O Nello procurante, a Jonio, Dubliniae gubernatore, dimissus, apud eam provinciam suam in | Nuncii atque Eugenii favorem vires 1573 traxit.

(1059) Clanricardius exercitum Ultoniensem repressurus, Insequinnium, cuius aliquot turmas equestres ante paucos dies obire permiserat, et Scotos ex Ultoniae et Conaciae confinio in auxilium accivit. Quorum Scotti tantum abest ut ei suppetias venerint, ut etiam ex altera parte in Conacim irruperunt, suam ex Catholicorum discordia sortem effecturi meliorem. Reque ipsa non nullos ibi Clanricardio charos diripuerunt, deindeque ad sua praesidia redierunt. Ille tamen non dubitans, quin Concilium et Insequinus sibi opem laturi essent, Sineni fluminis ripam vallare caepit, Eugenio et reliquis ejus copiis Ultoniensibus jam supra modum auctis aditum in Conaciam paeclusurus, et praesidia illa ad

Sinenum jam a Rogero Maguirio, quem Eugenius praemiserat, intercepta ad ditionem coacturus. In ipsa autem Conacia angustias patiebatur. Nam, dum Galviam paucis diebus antegressis obsideret, quid adversus ipsum in motu esset, te docebit P. Francisci O Conori, in conventu Clarensi tunc Guardiani, epistola ex eodem Monasterio P. Laurentio Darcio Galviam Anglice scripta et Episcopo Clonmacnosensi, qui Nuncio ibi assistebat, communicanda.

“Reverende Pater.

(1060) “Veni quam citissime a Legato Generali O Ferallo, ad significandum Reverendissimo Domino meo habere in unum corpus coactos pedites tria millia, et equites quingentos, paratum ad opem Galviae ferendam. Cupit autem | ut Illustrissimus D. Nuncius Primi litteras mittat, ad eos, quorum nomina sequuntur, dirigendos, quatenus in unum corpus coalescant, Illustrissimo D. Nuncio succursuri. Duae epistolae sufficient, una ad legatum generalem, Joannem de Burgo, Morganum O Flahertium et Joannem Berminghamum, quo vires contrahant et colligant, quam possunt maximas, et se O Ferallis atque O Relliis associent, iisque dent, vel cum ipsis dividant apparatus bellicum et pulverem nitratum, quem ab Illustrissimo D. Nuncio nuper acceperant, et altera epistola ad Legatum generalem O Ferallum atque O Rellios, quatenus omni celeritate moveant et O Flahertiis etc. se jungant, ut ipsis inter se nulla concordia et consiliorum communicatione non conveniat. In me recipio opem Galviae intra quindecim dies latum iri, modo has duas epistolae recepero.” Haec ille.

(1061) Verum Clanricardius horum mentem odoratus Galviae obsidionem conditionibus jam memoratis ita solvit ut credendum sit urbem ab ipso magis et diutius premendam fuisse, nisi horum insultus metuisset. Quo non obstante obsidionis exitu 19 Septembris septingenti pedites sub Thadaeo O Flahertio et Terentio O Brien jam ab Eugenio O Nello palam stantibus coacti ad Galviam tentoria fixerunt, affirmantes esse sibi decretum | ad Richardi O Feralli jam dicti vires pergere. Nec dubitandum quin hae copiae ex una parte et ex altera Ultonienses Clanricardium (sicut mens erat) satis pressissent. Verum eodem tempore Richardus O Ferallus accepit ab Eugenio litteras, quibus instantissime rogatus erat ut in maximi momenti finem, noctes atque dies, ex Conacia cum suis viribus rediret, et se

1573

v

1574

suumque exercitum ad Medium Occidentalem conveniret, cui mandato ille obtemperaturus pedem retulit. Athiam enim Prestonus in Lagenia jam iterum obsidebat. Quod ejus consilium ita (sicut mox dicam) ipsi atque ejus copiis obfuit, ut tamen Clanricardo ad respirandum profuerit. Richardo autem ex Conacia jam regresso, Thadaeus O Flaherti et Terentius O Brien jam dicti cum suis cohortibus pedestribus ad O Conorum in eadem Conaciae Provincia Nuncio atque ejus partibus militantem se receperunt. Quorum O Conorus ut Richardum recessisse audivit, Nuncio scripsit his verbis :

" Illustrissime et Reverendissime Princeps.

(1062) " Non possum satis bene vestrae Illustrissimae Dominationi exprimere quomodo discessus D. Feralli intimas mihi praecordiorum pulsavit fibras. Putavi enim intra paucos dies nos injuriam vestrae Illustrissimae Dominationi factam vindicatueros. Bono tamen animo sit sua Illustrissima Dominatio; nam ego sydera testor, si fortuna faverit (sicut ego spero), Galviensium | januas infra paucos dies valida percutiam 1574 hasta, ipsosque ut tibi debitum reddant honorem per fas aut nefas v cogam. Scio vero in ipso Comitatu multos crucis Christi inimicos, qui in sacrum tuum conjurant caput. Certe debitas mihi luent paenas. Interim sacras suae Illustrissimae Dominationis deoscular palmas, et benedictionem devote peto, pro cuius honore sanguinem et vitam exponere paratus sum.

Datum 20 Septembris 1648.

Vestrae Illustrissimae D. in aeternum

Devotus filius et servus

Donogh O Connor."

(1063) Ad Eugenium O Nellum redeo : qui Athiae succursurus Birram a se nuperrime occupatam, *fabricam* (inquit Nuncius) *more Anglicano satis sumptuosam*, in rudera dissolvit, ipseque cum universo exercitu decrevit magnis itineribus in Lageniam interiorum penetrare, praemisso Rogero Maguirio, qui cum duobus peditum millibus et trecentis equitibus, quicquid posset, ante tentaret. Interea ab Ormonistis intercepta fuit epistola, quam Jonii Dubliniae Gubernatoris haeretici fratri, pseudo-Episcopo Clogherensi, ab Eugenio scriptam asseverabant, et ex qua colligebant Eugenio cum Jonio Independentium in Lagenia

Diar. ad
23 Sept.

praefecto, in Concilii et eorum, qui Concilio adhaererent, ruinam
 1575 convenisse. Epistolium illud | interceptum hic habe.

"Reverendissimo Episcopo Clogherensi.

(1064) "Festina versus Balisonanum et inde versus Caterlaghum. Conabor te ab oppressione servare. Costologhus Prestono junctus est ut et pars virium Insequinnii, quas omnes ita occupatas tenebo ut te opprimere non sint valitiae.

Eugenius O Nellus."

(1065) D. Walterus Enos, S. Theologiae Doctor, in rebus hisce optime versatus de hac episola loquens: "Eugenius (inquit) Catholicorum sanguini parcens (peracta jam inter ipsum et Jonium hostili amicitia) arte potius quam Marte novam (Athiae) obsidionem solvere statuit. Jubet itaque ad pseudo-Episcopum Clogherensem hanc conscribi epistolam. Ipsi autem tabellario illam tradidit, quem Prestono tunc Athiam obsidenti non Jonio traditurum recte novit." Haec ille. Verum Prestonus ejusque exercitus praecipui duces aliam Eugenio mentem ascribentes hanc ex obsidione Athiensi epistolam Jonio Anglice scripserunt: "Domine.

(1066) "Interceptae fuerunt litterae, quibus fit ut haud injuria suspicemur, tibi convenire cum Eugenio O Nello, ejusque partibus, quae nationem Britannicam ad luctuosum, in quo nunc versatur, statum redegerunt, ejusque | plenam eversionem et ruinam sibi in finem praefixerunt. De qua re ubi nobis constitisset, arma sumpsimus ipsum eique adhaerentes ad obsequium redacturi. Domine, arbitramur nullum sincero corde Anglum, neminemque ex illo sanguine oriundum adversus nos, quorum desideria a servando Regimine Anglicano et a praestanda ei obedientia nunquam defecerunt, cum ejusmodi viro societatem coitrum, cum ejus procedendi modi votaque probe noscantur adeo ab eo scopo abhorrere, ut optimi quique ex eadem stirpe, ex qua ipse, originem trahentes, eum atque ejus actiones abominentur, sintque in ipso ad obsequium revocant tam strenui, quam qui maxime. Domine si, piae tua cum ipso conjunctione aut consensione, partes nostrae praejudicium passae fuerint, exinde tuam et nostram ruinam maturabis, nec dubitamus quin utrique occurri queat modo tempestivum cum nostris ad te legatis congressum admittas, tibique certum esse debet plus emolumenti in te partesque tuas hac ratione derivan-

*Just.
Cap. 6.
num. 12.*

1575

v

dum quam ab adeo fallace perfidoque viro, qualis ille est, potest expectari. Tuum promptum responsum expectant

Ex castris ad Athiam,

10 Septembris 1648.

Tui servi :

Dillonus. Robertus Talbottus. Slanius. Lucas
 Fitz Geraldus. Geraldus Wallus. Petrus
 Butlerus. Thomas Prestonus. Thomas Esmon-
 dus. Tremlestonius. Walterus Dunganus.
 Petrus Fitz Geraldus. Jacobus Prestonus.
 Richardus Barnevallus." |

(1067) Haec epistola seditiosissima totius conjurationis 1576 succum, medullam, et compendium complectitur. Nam Praefectus Generalis Prestonus, Vicecomes Dillonus, duoque Slaniae et Tremlestoniae Barones, et subscriptentium reliqui pene omnes censu Equestris, suam hic antiquissimam antipathiam Anglo-Ibernicam nunquam post tot faederis juramenta depositam liberius quam ut probationis egeat, produnt, dividentes universum Confaederatorum Catholicorum corpus in duas partes, suam et Eugenii O Nelli, suam Anglo-Ibernicam et Eugenii ex Ibernis priscis plerumque compactam. Hunc enim esse epistolae sensum ex ipsa liquet. Quinimo pestilentiorum esse constat. Nam hi Anglo-Iberni, cum Regem Jacobum vetustissimae Anglorum, Scotorum, et antiquorum Britonum antipathiae delenda causa totam Angliae, Scotiae, et Walliae Insulam communi Magnae Britanniae vocabulo nominandam statuisse non ignorant, per nationem *Britannicam* non Angliae, Scotiae, et Walliae indigenas, sed pestilentissimos haereticos, Anglos et Scotos in Iberniam advectos, ibique Catholicis bellum indicentes, horumque progeniem in Ibernia natam, parique ratione se ipsos et Anglo-Ibernorum quamlibet Catholicorum caeteros ex Anglia ab invasionis Anglicanae initio oriundos intelligent, ut suam ex universa illa haereticorum colluvione factionem in Eugenium et Iberos veteres augeant, sceleratissimum imitantes | Parlamentum Anglicanum et confaederatos Scotos, quae ambae rebellium partes, contracto in Regem faedere Puritanico, se ad annos superiores nequissimae concordiae fovendae studio gentem *Britannicam* hactenus vocabant, ut Angliae, Scotiae, et Walliae haereticos, nec non suos fratres in Ibernia collocatos, atque eadem haereseos peste contaminatos, communi unius *nationis Britannicae* nexus colligerent. Sed haereticorum in tribus Regnis se tenentium hoc artificium tolerabilius erat quam Anglo-Ibernorum huic epistolae subscriptentium, aliorumque Anglo-Ibernorum ipsis toto

Regno adhaerentium, qui utique et Iberni et Catholici et Confaederati Catholici et veteribus Ibernis multiplici necessitudine connexi ab ipsis ad haereticos Anglicanos et Scoticos desciverant, non obstante juramento faederis toties repetito, et non obstantibus toto Comitiorum Generalium et Conciliorum Supremorum edictis Clerique censuris, quibus ad annos superiores cautum, nequa inter veteres Iberos et Anglo-Iberos distinctio, divisio, aut antipathia foveretur, sed omnes communi *Confaederatorum Catholicorum Iberniae* nomine significantur, et nexus sancto conglutinarentur.

(1068) In ipsorum epistola jam dicta de Eugenii O Nelli partibus quid dicant animadverte? “ Nationem (inquiunt) |

1577

Britannicam ad luctuosum, in quo nunc versatur, statum redegerunt, ejusque plenam eversionem et ruinam sibi in finem praefixerunt. De qua re, ubi nobis constitisset, arma sumpsimus ipsum eique adhaerentes ad obsequium redacturi.” Haec illi. Sed quae est illa *natio Britannica*, praeterquam haeretici Scotici aut Anglicani in Ibernia collocati, quos Eugenius ejusque partes, veteres Iberni, *ad luctuosum statum redegerunt, ejusque plenam eversionem et ruinam sibi in finem praefixerunt*. Quid autem hoc aliud erat quam juramentum faederis Catholici praestare, nationem, nedum fidem et Ecclesiam Ibernicam tueri, et haeresim cum sceleratissimis haereticis extirpare? “ *de qua re (inquit) ubi nobis constitisset, arma sumpsimus, ipsum eique adhaerentes ad obsequium redacturi.*” Ecce tibi praeclaram Ormonistarum et pseudo-Concilii in armorum cessatione cum Insequinno pangenda, et toto hoc nefario bello civili incipiendo prosequendoque mentem, ut scilicet suos fratres, *gentem illam Britannicam*, haereticos Anglicos et Scoticos in Ibernia positos ab hac ruina praeservarent, ipsis coalescerent, et Eugenium atque ejus partes, veteres Iberos, et quotquot ex Anglo-Ibernis sinceri essent, Praelatos quoque, sacerdotes et Religiosos, ipsumque Nuncium Apostolicum, quibus Eugenius militabat, deprimerent, et *ad obsequium | redigerent*, non alterius quam Ormonii et haeretici Regiminis quod ibant gradatim introductum et de facto demum (ut videbimus) introduxerunt. Sed (inquiunt) “ *optimi quique ex eadem stirpe, ex qua ipse (Eugenius), originem trahentes, eum atque ejus actiones abominantur, suntque in ipso ad obsequium revocando tam strenui, quam qui maxime.*” Notate verba. Non dicunt plurimos, nec multos, sed *optimos quosque ex eadem stirpe originem trahentes*, etc. Pauci enim ex eadem stirpe originem trahentes, nempe veteres Iberni, factioni Ormoniae adhaeserunt, nec ipsi

1577

v

nisi aliquo Anglo-Ibernico vinculo detenti, nempe Insequinnius per uxorem, Momoniae praesidis Anglo-Iberni et haeretici filiam haereticam, Muscrius per Ormonii sororem primogenitam sibi nuptam, Felix O Nellus, Eques auratus, per Prestoni filiam sibi matrimonio copulatam, et alii pauci per alias Dalilas Anglo-Ibernicas uxores, vel matres, vel certe per aliquod proprium commodum occupati, quos illi *optimos* vocant, licet de facto fuerint millenis censuris cum ipsis ipso jure terebrati, et eo minus excusabiles, quod nec Angli, nec Anglo-Iberni, sed aborigines essent, proindeque magis quam Anglo-Iberni ab ipsa natura degenerassent. Sed in illa epistola suis ponderibus libranda procedamus. “Domine (inquiunt), si piae tua cum ipso conjunctione aut consensione, partes nostrae praejudicium passae 1578 fuerint, exinde tuam et nostram ruinam maturabis, nec dubitamus quin utriusque occurri queat, modo tempestivum cum nostris ad te legatis congressum admittas.” Sic illi. Ecce tibi manifestam conjurationem, quam Jonium quoque et Independentes sub ejus imperio, atque adeo sub Parlamenti Anglicani jugo in Lagenia positos, ab Eugenio atque ejus partibus tueri satagebant, et cum ipsis faedus induciis cum Insequinno contractis simile percutere, vel easdem inducias ad eos in Lagenia similibus conditionibus extendere, ut Eugenium atque ejus partes, proindeque ipsum Clerum Ibernicum et Nuncium Pontificium *ad obsequium redigerent*, licet sceleratissimi illi haeretici etiam Anglo-Ibernorum ruinam anhelarent, eosque tantis cladibus affixeint, quanta Eugenius ejusque exercitus vigilantia, charitate, fidelitate, et eximia virtute militari effecerint, ne ab iisdem haereticis delerentur. Quod ut probetur, haud alia nunc inter plurimas utar demonstratione quam Nuncii testimonio, qui illis ipsis diebus Cardinali Panzirolo scripsit Italice hanc schedam :

(1069) “Praefectus Generalis O Nellus, ex quo ego Nuncio ago, religionem, ejusque splendorem quinque vicibus in tuto Reg. p. 658. collocavit. 1°. Anno 1646 per victoriam Benborbiensem in Ultonia, cum Scotti, favente Marchione Ormoniae, moverant ituri Kilkenniam, quo tempore Confaederatis non essent ne duo quidem hominum millia ad se defendendos. | 2°. Eodem anno 1578 quando ipse solus palam et a Clero stetit, et pacem Ormonicam v rejecit. Aliter absque ejus ope Prestono, qui cum eodem Marchione faedus pepigerat, necessario succumbendum esset, proindeque dicta pax excludi non potuisset. 3°. Anno 1647, quando profligatis Prestoni copiis accitus fuit a Concilio ad movendum ex Conacia in Lageniam, quo Puritanos victoriosos repr-

meret; quas ille partes tam bene egit, ut loco tutissimo castramatus quatuor mensibus integris hostes cohibuerit, adeo ut nunquam ausi sint erumpere vel ipsum adoriri. 4°. Eodem anno et tempore, quo ille modo jam dicto se tenebat. Nam Barone Insequinniae ex una parte et Jonio ex altera Kilkenniam invadere et Concilium opprimere tentantibus, D. Eugenius in auxilium accitus tanta venit celeritate et tantis cum copiis ut Insequinnius subito recesserit, et conducta coalitio sequi non potuerit. 5°. In hoc ultimo rejectarum induciarum motu, quo exordiente, cum duo tantum militum millia sub vexillis haberet, et septem Praefecti Generales ipsi adversarentur, tanta dexteritate se gerere novit, ut ante omnia Ultoniensium armentis, quibus adversarii insidiarentur, in tutum receptis, paulatim octo pedum millia in unum collegerit, et in Lageniam, exindeque in Momoniam progressus, variis in locis ad duodecim amplius militum millia exercitum auctitarit, multa occuparit loca munita, cunctos Praefectos | Generales sibi adversantes, excepto Insequinno, absumpsert, et res in eum redegerit statum ut conjurati nec adversus Ecclesiam succedere, nec Ormoniae Marchionem revocare, nec praeteritam restituere pacem, nec Nuncium (sicut inter se indubitanter conspirarunt) explodere posse videantur, et consequenter per Dei gratiam fidei splendor solius ejus opera usque in diem hanc conservatur." Haec Nuncius.

(1070) Itaque non nisi detestabili ingratitudine et animo plane vili atque ignobili Anglo-Iberni in Eugenium atque ejus exercitum aliosque aborigines secum non consentientes conjurant, et ut eos delerent ad communes ambarum partium hostes haereticos desciverunt, percusso cum Insequinnianis faedere, et nullo non tentato artificio ut Jonium, ejusque haereticos Independentium partes in Lagenia et Ultonia late dominantes ad similem conspirationem (sicut ex ipsorum epistola colligere est) allектarent. Porro ad Jonium ab Ormonistis quatuor diversos legatos, Richardum Barnevallum, Equitem auratum, Walterum Bagnallum, chiliarchum, Thomam Donganum, et sub-Chiliarchum, Antonium Cochlyum, variis vicibus in eum finem missos fuisse lego. Quorum ille incantationibus haud reluctant animo aurem praebuisset, nisi metuisset ne Eugenius ejus fratrem Theophilum Jonium Chiliarchum et Equitem auratum, Kalendis Februarii anno 1647 captum et hactenus in custodia detentum, male multaret. Itaque | ejus libertatem ab Eugenio impetravit pactis utrinque certis conditionibus, ex quibus erat ut Jonius Hugonem Phelimii O Bruin, exercitus Lageniensis Legatum

1579

Doctor
Enos.
Just: Cap.
6 num. 6.

1579

v

generalem, anno superiori in praelio illo, quo Prestoni vires a Jonio profligatas fuisse vidimus, captum, compensata aliunde permutatorum inaequalitate, dimitteret, et cum Ormonistis Jonius faedus non percuteret, sed cum ipso Eugenio ejusque exercitu et Ultoniensibus hostilem amicitiam (neque enim faedus aut inducias vocari placuit) observaret, qua factum ut utrinque a mutua hostilitate cessarint, et Jonii partibus conniventibus faederati Ultonienses alias Ormonistarum saevitia perituri cum uxoribus, liberis, familiis, et armentis pedem fixerint et a persecutione respirarint, dum eorum exercitus per varias Regni partes spatiaretur. Ad quam hostilem amicitiam Eugenius nunquam descendisset, nisi ab Ormonistarum crudelitate ad extremas angustias redactus, et probe sciens se aliter absque miraculo Ormonistarum et haereticorum omnium vires simul sumptas non repressurum. Quare re ipsa non Eugenio sed ipsis Ormonistis 1580 vitio vertendum est quod Eugenius Jonio bellum hac aestate non indixerit. Seditiosissimam illam epistolam a Prestono et copiarum suarum ducibus ex obsidione Athiensi ad Jonium scriptam ubi Eugenius Dublinia accepisset, eam ad pseudo-Comitia Kilkenniensia | ponderandam misit : "qua (sunt Doctoris Enos verba) inibi lecta, tanta excitata est animorum indignantium et dissentientium procella, ut quamvis factionistae, qui isti conventiculo dominabantur, illa sua facinora exquisitis adulterinis que depinxerint coloribus exortas tamen ex seditiosa illa epistola simultates sopire non possent." Haec ille. Quorsum autem ex illa epistola Ormonistarum conventiculo simultatum occasionem pepererit, non capio, nisi forsitan pauculi aborigines Anglo-Ibernis plurimi ibi intermixti natura ebulliente suam perinde ac aliorum veterum Ibernorum sane sapientium causam ibi agi considerarint, et propterea epistolae authoribus succensuerint. Utut sit, pseudo-Comitia epistolam illam typis haud mandarunt, licet aliam ab Eugenio ad Jonium scriptam et superius positam in lucem ediderint 13° Septembris cum aliis litteris, quibus 29a dies Augusti apposita esset, tanquam D. Edmondo O Rellio, tunc Vicario Generali Dublioniensi, a praefato pseudo-Episcopo Clogherensi, Jonii fratre, scriptis, sed Eugenio O Nello communicandis, quibus significaretur Jonium hebdomada sequente moturum, rogatumque ut de Clanricardii, Taaffi, Dillon, et Prestoni itineribus nuncia per typanistam vel buccinatorem transmitterentur. Haec omnia cum glossematis tunc Kilkenniae prelo supposita fuere ; ibidemque additum est Eugenium octo necdum diebus elapsis misisse Rogerum O Morrum, qui Insequinnio offerret universam

Momoniae Provinciam a se ejus arbitrio relinquendam, ea lege
 1580 ut | sibi in aliis Regni Provinciis non obviaret; Insequinnum
 v autem eam conditionem velut vanam et arrogantiae plenam
 rejecisse. Sed quis nesciat ea fuisse Ormonistas et Insequinnum
 in Eugenium mente ut credendum sit eos multa ipsi falso imposu-
 isse, et innocentissimas quasque laudeque dignas ejus actiones
 malis interpretationibus denigrasse, ut omnis Cleri populique
 Catholici odium ipsis conciliarent.

(1071) Ad Athiae obsidionem redeo. Circa quam in quadam
 eorum, qui libello illi Anglicano Kilkenniae in censuras edito ad
 mensem Augustum subscripserant, descriptione, atque inscitiae et
 improbitatis eorum anatomia Romae ad annum 1649 ab Ibernis,
 causae Catholicae fautoribus, scripta habetur, P. Joannem Barne-
 vallum, qui inter alios manum apposuerat, inter illam obsidionem
 die S. Crucis mense Septembri jussisse milites Prestonianos, ut
 crucem in Turri Athiensi expositam tormenti bellici globo
 peterent, sed tormento miraculose rupto Ultonienses praesidiarios
 ducentis pauciores ita in quatuor Prestonianorum millia erupisse,
 ut hostilem exercitum in fugam converterint, occisis adminis-
 ducentis, *pugnante pro eis Deo aperte in forma cujusdam Domini-
 cani.*

(1072) Verum licet praesidiarii suas partes egerint, creden-
 dum tamen est, haud futurum, ut Prestonus obsidionem solveret,
 nisi Rogerus Maguirius cum auxiliari militum manu ab Eugenio
 1581 pariter movente | praemissus supervenisset, qui Prestonum in
 fugam conversum ad quatuor millia passuum persecutus tor-
 mentis bellicis spoliavit, et militum ejus quadringentos cepit.
 Nec desunt qui sinistrum hunc obsidionis mense Augusto et
 Septembri a Prestono patre et filio bis susceptae et totidem
 vicibus frustratae exitum Concilii perfidiae ascrivant, in eo
 positae quod mense Martio ab Eugenio obtainuerint ut Mont-
 gomerium in praelio Benborbiensi captum cum Mediae Occiden-
 talis Comite, quem Jonius anno superiori, mense Augusto, pro-
 fligatis Prestoni copiis, ceperat, permutaret, Athia ipsi in bis
 mille librarum Anglicarum, litri alias Eugenio a Montgomerio
 solvendi, securitatem oppignerata, quam Eugenius anno 1646
 haereticis eripuerat, et ita vallaverat, ut Concilium nulla hypo-
 thecae habita ratione semel atque iterum (sicut dixi) deinde
 obsidendarum curarit. Hanc Concilii malam fidem auget, quod
 illam permutationem procurarint, Joanne Barrio jam in Iberniam
 regresso, qui ab Ormonio missus Insequinno et Ormonistis in
 Concilio Supremo praevalentibus iniquissimam induciarum con-

jurationem suggesserat. Quare cum septem Consiliarios innumeris aliis perfidiae et perjurii maculis se contaminasse viderimus, haud temerarium est judicare eos Athiam Eugenio non oppignerasse, nisi ea mente ut eam non litri solutione, sed coniurationis jam clanculum structae viribus et obsidione redimerent, interea Mediae Occidentalis Comite in factionis apud Lageniam 1581 valenter promovendae instrumentum usuri, quam et ille pro viribus promovit. Caeterum in Athiae obsidionem bis solutam nescio quis nisi Doctor Enos sequentia carmina cecinit, quae mihi in ejus libro occurrunt :

“ Athia stas victrix. Frustra Prestonus urget.
 Athia schismaticis non peritura dolis.
 Athia stas victrix, gnato cum patre repulso.
 Athia Prestonis fortior insidiis.
 Est pudor aeternus gnato, confusio patri.
 Altum utrique chaos, tristis utrique dolor.”

*Just. Cap.
6. num. 7.*

(1073) Inter haec Jonius, licet dictam Eugenii epistolam nunquam receperit, dissidiorum tamen inter Catholicos ortorum occasionem nactus, ascitis in subsidium ex Ultonia Scotis, recta movet Ballisonum, MacThomae domum satis munitam, quam facile in potestatem recepit, Ormonistis plus satagentibus ut Eugenium insequerentur, quam ut illud munitissimum propugnaculum a Jonio, et haeretico et Anglo et in Regem rebelli, tuerentur.

(1074) Eugenius Athiae obsidione secundo soluta, copias omnes in Clanricardium, Taaffum, atque Insequinnium convertit, quorum hic cum suis viribus Anglicanis et haereticis a pseudo-Concilio advocatus, et in Momoniae Lageniaeque Praefectum Generalem cooptatus, quoddam in Ormoniae vicinia praesidium, quod Nuncius *Enach* vocat, ab eodem Eugenio antea captum, munitumque, ita obsedit ut ceperit, desideratis suorum amplius 1582 ducentis, et concessis praesidio bonis conditionibus.

(1075) Insequinno ad Birram Clanricardius obviam processit, enixe rogans, ut secum ad locum Benchorensem, quem paulo ante a Rogero Maguirio interceptum fuisse vidimus, obsidendum accederet. Consensit ille, sed fere omnibus induciantium tam Catholicorum quam haereticorum viribus ad eam expeditionem accitis. Quis autem hic Ormonistarum caecitatem animae, vel cordis duritiam, vel utramque non horreat. Qui a

*Diar. ad
23 Sept.
1648.*

faederis Catholici et scopo et juramento toties palam suscepto tam longe gentium recesserant, ut non solum ad haereticorum atque hostium infensissimos, Insequinnum et Insequinnianos, ab Iberniae Clero et Catholicorum optimis, imo ab ipso Nuncio Apostolico desciverint, eosdemque haereticos scelerati belli socios in castris habuerint, sed etiam (O dictu horrendum) ipsum Insequinnum in utriusque Provinciae Momoniae et Lageniae Praefectum Generalem evexerint. Quinimo cum in eadem expeditione Clanricardius suas vires Conacienses sub vexillis habuerit, non dubitandum quin Insequinnius ibi virium etiam Conaciensium Imperatorem egerit. In hoc ergo rerum statu quaeramus a pseudo-Concilio atque aliis Ormonistis, nunquid faederis Catholici juramentum observare satagunt? Respondebunt | satagimus.

Nunquam enim aliter respondere ausi sunt, ne vel a suorum Ormonistarum pluralitate desererentur.

v Sed hanc eorum responsonem ad exactiorem trutinam revocemus et eos interrogemus. Nonne faederis Catholici juramentum ita intelligendum est ut, cum fidei, Regis, et patriae vindicandae causa susceptum fuerit, fidei causam proponere debeatis? Hoc nisi in confesso posueritis, Catholicos exuistis. Quis autem adeo deliret, ut fidei causam principaliter agi credat, imo quis eam utroque pede calcari non dicat, ubi Insequinnum, Catholicorum hactenus hostem truculentissimum, in Momoniensium, Lageniensium, et Conaciensium virium omnium, quae vobis parent, Imperatorem a vobis ascitum, ejusque haereticas copias vestris millies ipso jure excommunicatis belli societate coalitas videt. Idque ut Nuncio, Cleri Iberni parti longe potiori, et Catholicorum optimis eidem Clero adhaerentibus bellum inferatis, eosque omnes deprimatis ut Ormonium hactenus appellere non ausum in Proregem revocetis, et haeresim iterum in throno collocetis. Nonne hic certum est vestras inducias cum Insequinno contractas haud in alium collineasse scopum quam in hunc ipsum, ut scilicet vestris atque Insequinnii viribus in unum corpus congregatis, communem vestram conjurationem | usque in finem sustineretis. Quod sane peccatum licet adeo enorme sit ut millenorum peccatorum cumulum pariat, haud tamen adeo immane scelus esse videtur atque impudentia et effrons audacia qua armati, post haec omnia, non erubescitis asseverare vos a Catholici faederis scopo numquam aberrasse, sed potius Nuncium et Iberniae Clerum populumque ipsi obsequentem ab ejusdem faederis meta deflexisse, licet res ipsa in medio posita doceat manifestissime contrarium.

1582

1583

(1076) Insequinnius, cum suis viribus tam Catholicis quam haereticis, ubi duas noctes in obsidione Benchorensi transegisset, Eugenius O Nellus cum Richardo O Ferallo et amborum viribus omnibus, obsidione Athiensi jam soluta, appropinquare caepit, ut obsessis opem ferret, vel praelium, in quo totius Iberniae causa verteretur, committeret. Quo ejus accessu factum ut Insequinnius obsidionem quidem non deseruerit sed sedem mutaverit, castrorumque suorum situm ita contraxerit, ut ex una parte Sineno, flumine, tutus, vallatusque, ex altera ab Eugenio atque universo ejus exercitu obsideretur, nec exitus pateret nisi admodum arctus, isque ab Eugenio occupatus, ita ut in eo Insequinnii copiae, si erumpere vellent, instructa acie aggredi, vires una exerere, aut mutuam sibi pugnaturis opem ferre vix possent. Quare | universa Ibernia arrestis auribus et animis 1583 ab hac occasione totam controversiae fortunam vel infortunium expectabat. v

(1077) Insequinnii etiam et pseudo-Concilii nunquam nisi cum ingenti horrore nominandi spem magna ex parte cristasque jam depresserant recepta tunc recens ex Anglia Scotiaque nuncia. Nam cum eorum mens esset partibus Regiis in utroque Regno conditionibus postea in conventiculo Kilkenniensi pangendis adversus Independentium factionem in Anglia praedominantem adhaerescere, et hinc certum suae causae adminiculum etiam adversus Nuncium atque ejus partes mutuari. Ecce tibi haec fiducia subito evanuit, et immensus successit pavor. Cum enim vires Scoticae sub duce Hamiltonio ad ineuntem Julium in Anglia aliis ibi copiis Anglicanis a Rege stantibus coaluiscent, hunc exercitum Regium ex viginti quinque armatorum millibus conflatum Cromuellus ad mensem Augustum profligavit, caesis Scotorum tribus millibus, captis circiter ter totidem, ipsoque paulo post Hamiltonio cum hominum equorumque aliis circiter tribus millibus. Ante quam caudem multae minores in urbibus, oppidis, et praesidiis hac aestate expugnandis et copiis caedendis de Regiis reportatae in Anglia fuere victoriae sed residua prævalendi spe, quam funestus illius praelii exitus prorsus amputavit, secuta Regiorum omnium apud Angliam deditio, ipsoque Walliae | Principe deinde cum classe Regia, cuius præcipuae 1584 naves mense Junio a rebellione resipuerunt, ex Thamesis ostiis regresso in Hollandiam, quia jam spei irrito. Cromuellus quoque deinde in Scotiam cum victore exercitu progressus, id effecit, ut tota pene lubens in Regem insurrexerit, stabilita ibi ea Regiminis facie, quae ad rebellium Angliae genium turbidum quadra-

1584

v

Apoc : 16. plexerit, dicens septem angelis : “ Ite et effundite septem phialas

I. irae Dei in terram.”

(1078) Hac ergo ex parte tunc Concilium Kilkenniense et

Insequinnius haud mediocriter cristas demiserunt. Eodemque tempore Antrimiae Marchio, qui mense Julio ex legatione Gallicana in Iberniam redierat, et aliquandiu pene tragaediae spectatorem egerat, demum magnis multisque conatibus, quibus, cum pseudo-Concilium in suas partes attrahere tentasset, frustratis, Nuncio significavit, se ad ejus partes, quibus antea studebat, palam transiturum. Cui Nuncius ex armis a Magno Etruriae Duce antea transmissis mille circiter et sexcentas bombardas adhuc residuas tradendas curavit, sicut in ejus mandato lego Galviae 18 Septembbris 1648 in hunc finem dato ad D. Thomam Rochaeum, Duncaniae, ubi arma illa deposita essent, Gubernatorem ; scripsitque Nuncius 10 Octobris Cardinali Panzirolo Antrium ad viciniam Wexfordensem habuisse sub signis duo Iberno-Scotorum bene Catholicorum millia, et alios ex Scotia expectasse. Itaque Insequinnii tunc res in desperata posita videbatur. Nam a Rege ad arctiores angustias et custodiam redacto, et a Regiis jam in Anglia Scotiaque animum despondentibus

auxilium non sperabat. Ab Independentibus atque eorum fautoribus in utroque Regno et in magna | Iberniae parte rerum potitis, a quibus hoc vere ad suos Puritanos potius quam ad Regem redierat, nihil nisi caudem et sanguinem expectabat. Illeque Concilio et illi Concilium ita adhaerebat ut Eugenius O Nellus magnam toti Iberniae daret spem profligandi ejus vires ad illam obsidionem Benchoreensem. Qua Victoria secutura mox Iberniae Catholicci faedus restituisserent, ex cuius legibus rerum summa fuisset penes Clerum fautoresque. Quadam autem die-
rum, quibus illi duo exercitus, quo dixi modo, mutuam sibi caudem intentarent, factum ut non nullae Eugenii cohortes in aliquot *aqua vitae* dolia, quae ad Insequinnii castra transportarentur, involarint, divisaque praeda equitatus duces praeter alios noctem aquae vitae potationibus aequarint. Eugenius autem summo mane jussit legatum generalem Richardum O Ferallum ut aciem instrueret, quo hostes ad praelium committendum cogeret. Verum partibus suis defuit equitatus adeo ejus ducibus *aqua vitae* madentibus, ut nescientes quid agerent, privatorum equitum more, sed confuso, in aciem prodierint, nec imperantes nec imperati, quorum Ludovicus O Morraeus coxendicem, et Connus O Nellus, cognomento Claudus, Eugenii ex fratre natu majore nepos, unicum pedem antea sanum plumbeis glandibus trajecti, et sic alii circiter duodecim redierunt vulnerati, quo viso Eugenius excandescens jussit ea die insultu supersederint. Porro fidem habet hostes ex industria illam praedam capiendam exposuisse, haud ignorantes non deesse, | qui tradant Ultonien-
ses ita multis praeclaris animi et corporis dotibus clarere ut eorum non nulli praesertim milites ab aqua vitae non abhorreant.

(1079) Tradit Nuncius Fortfaelandiae (locus ille Benchorensis tunc obscessus hoc alio nomine Anglicanismum redolente vocabatur) praesidiarios intercepisse pulverem nitratum et rem annonariam, quae a Catholicis induciantibus subministrata ad Insequinnii exercitum flumine transportabantur. Eugenius quoque non nullis turmis equestribus, quae in viciniam excursiones facerent, missis cepit multos ex hostibus, ac nominatim Vicecomitem Dillonum, et Commissarios, nempe Dunganum, Equitem auratum, Laurentium Doudallum, Mauritium Fitz-Geraldum de Alunia, aliasque, sed Vicecomite Dillon mox dilapso. Taaffus quoque cum duobus peditum millibus et quadringentis circiter equitibus Insequinio ita suppetias venit ut ex dictis Taaffi viribus ad Eugenii castra tunc vicina transfugerint octingenti Iberno-Scoti, reliquiae eorum, qui cum Alexandro Mac-Donaldo,

Diar.
ad 30^m
Sept.

Equite aurato, anno superiori ex Scotia in Iberniam trajecerant, et sub eodem in *Montis-Ramosi* praelio 13 Novembris 1647 praeclarissime se gesserant, exindeque semper (Alexandro caeso) congruam anhelarunt a Taaffo ad Eugenium transeundi occasionem, quam nunc oblatam avide arripuerint. Verum Insequinnius his detrimentis non consternatus, Castellum illud Benchorense, | seu Fortfaclandiam, iteratis insultibus, et perditis suorum amplius quingentis, ad deditio[n]em compulit, pulvere nitrato deficiente praesidiarios numero quadringentos ibi a Rogero Maguirio antea relictos, in quos vitam ab Insequinno pactos Eugenius, ut ad suum exercitum pervenerunt, animadvertisendum duxit velut ignavos et perfidos. Verum Rogerus plectendos tradere noluit: quo factum ut Eugenius in Rogerum excanduerit, illaque simultas (ut mihi traditum est) haud parum egerit, ut Eugenius receptui cecinerit. De qua re Nuncium audi:

Relat.: Cap. 32. **(1080)** "Octo (inquit) diebus O Nellus exercitum hoc modo obstructum tenuit. Cumque ex una partium phlegma, et ex altera dominaretur desperatio, expectabatur in horas singulas extremum militiae obsessae exterminium; sed demum nunciatum est Baronem eluctari conatum, instructa acie se praesentasse, et absque ulla suorum laesione discessisse, nec non D. Eugenium classico provocatum pugnare manifeste recusasse. Eius fautores ad spei cumulum ante progressi quomodo remanserint, facilius est cogitare quam scribere. Certum est ipsos adversarios id non minus stupuisse, et Clanricardius inter philosophandum super rebus moralibus dixit se die illa comprehendisse quod Deus ab O Nello non stabat. Ille autem deinde apud omnes in sui purgationem dixit se considerasse agi in illo temporis articulo de toto Insulae statu et spe religionis, proindeque tam brevi experimento tantam gravissimarum rerum | molem in discrimen adducere noluisse. In integro florenteque exercitu per totam aestatem et contra sex Praefectos Generales, omnesque adversus unum conjuratos, salvando haud parum praestitisse. Quolibet in fortunio die illa successuro ponendos fuisse in throno Protestantes, et omnes Catholicorum tractus mox haereseos veneno inficiendos. Restare intactum exercitum, eumque plus quam hactenus animatum ad injurias ulciscendas, et, modo res numaria non defutura esset, parem ad hostes etiam debellandos. Hae fuere ejus excusationes post quas se de novo in Ultoniam recepit, et partium judicio examinandi facti circumstantias, deindeque pro affectibus scribendae inque lucem edendae opinonis reliquit libertatem." Haec Nuncius.

1586

v

(1081) His addam, quae in quodam D. Nicolai Bern, qui illius exercitus Eugeniani Vicarium Generalem agebat, MS. Anglicano postea Romae anno 1654 contexto lego : “ Eugenius (inquit) O Nellus cum Insequinno ad Fortfaclandiam praelium committere non potuit, ob multas et potissimum ob has optimas rationes : 1°. Ipsi non suppetebat pulvis nitratus supra quam unicuique militum ad jaculandum semel sufficeret. Equitatu inferior erat. Prae annonae inopia boves, quibus ad transvehenda tormenta bellica utebatur, comedere coactus fuit, qui tamen ne mediae quidem exercitus parti in unius diei victum sufficiebant. Quinimo | (ut uno verbo dicam) universae ejus copiae ibi fame periissent, nisi vitam segete viridi sustentassent, qua milites usi sunt, rara et stupenda industria in extrema necessitate, quo subsisterent, nec in diversa abirent. Et quamdiu sic durare possent Deus scit ? Imo quotquot videbant admirabantur. Praefectus Generalis O Nellus ad quandam in ea Lageniae Provincia dignum et nobilem virum, qui Praefecti Generalis causae identidem favebat, et usque in diem hunc studet, me ipsum destinavit, qui eum humiliter rogaret ut modo valde secreto unum pulveris nitrati dolium transmitteret. Quod si suppeditatum fuisse, ipse cum Insequinno dimicaturus, totum exercitum periculo exposuisset. Sed re ipsa nobilis vir haud obstante ejus sinceritate, sibi pulverem non esse causatus, me rogavit, ut se apud Praefectum Generalem, O Nellum, excusarem. Verum quidem est si pulverem (quod me latet) habuit, non ausum fuisse suppeditare, quod sibi multi in vicinia non deessent inimici, et tales, qui Catholici haberentur. Redii ad Praefectum Generalem, O Nellum, cum illa responsione, quam magna cum patientia recepit, et Deo gratias egit, ejusque sanctum nomen laudavit his terminis sibi familiaribus : ‘*Benedictus Deus in donis suis.*’ Semper enim in more positum habuit, ut in maximis suis adversitatibus summam exerceret | patientiam. Ubi autem quid facta opus esset aliquandiu cogitasset, perinde annona atque apparatu bellico destitutus, et a sua Ultoniae Provincia sexaginta milliaria Ibernica valde dissitus, suum accivit Concilium bellicum, et consuluit quid, rerum statu in quem redacti essent, considerato, expediretur ? Quo tempore (ut breviter dicam) eorum praevaluerunt suffragia, qui cum honore receptui canendum judicarunt ; idque praestabat quam in eo rerum statu aleam subire ; quod fuisse valde periculosum. Et in hanc quidem sententiam iverunt duo praincipi illarum tunc copiarum officiales.” Haec ille, quibus addo aliunde mihi traditum esse Eugenium non recessisse

1587

v

1588

nisi etiam explorato Prestonum, Vicecomitem Dillonum, atque alios a tergo cum copiis accessisse, se ex una parte nedum commeatu atque annonae eaque non nisi militum excursionibus taliter qualiter procuranda interclusuros, suoque tempore irruitros, dum ex altera Insequinnius impetum faceret. Et haec quidem sunt quae pro Eugenio, quod tunc praelium committere detrectaverit, purgando faciunt. Id tamen certum esse videtur eum tunc congruentissimam religionis et patriae asserendae perdidisse occasionem, qua semel dilapsa omnis Nuncii partiumque ejus armis in hac controversia praevalendi pene spes evanuit. Ea enim tunc erat Nationis conditio | ut, si Eugenius tunc victoriam reportasset, pene tota (sicut anno 1646 circa pacem Ormonicam successit) vel saltem pars longe major ita in pseudo-Concilium insurrexisset, ut Confaederationem 1^a solidiorem renovaret, reliquaque pars noxia et depravata vel flecteretur valens, vel nolens frangeretur. Praelio autem illo non commisso, atque adeo spe Ormonistas domandi praecisa, obstinati Ormonistae obstinatiores evaserunt, plurimi nec frigidi, nec calidi, sed tepidi, quorum ingenium id erat ut parti victrici applauderent, Ormonistas induerunt, et non nulli alias viri constantissimi cum resistendo se nihil profuturos existimassent atque animum despondissent, se pseudo-Concilio atque aliorum primae classis Ormonistis submiserunt. Quo factum ut Ormonio alias non regressuro lata ad redeundum janua aperta fuerit, et malorum Ilias successerit, de quibus inferius mentio redibit. Eugenius autem legatorum Romam missorum redditum et exitum expectabat.

(1082) Eugenio hoc praelium declinante, Insequinnius cum suis viribus in Momoniam et Clanricardius in Conaciam a se invicem recesserunt. Porro inter has Catholicorum discordias Scotti ad finem Septembbris ex vicinia Sligoensi egressi sexaginta circiter milites ex legione quadam, quae pro Clanricardio ficeret, occiderunt.

1588

v

(1083) Vidimus superius Nuncium inter alia in Eugenii laudem Cardinali Panzirolo scripsisse, eum | scilicet an. 1646 palam et a Clero stetisse, et pacem Ormonicam rejecisse, quod hoc sensu intelligendum est, nempe solum fuisse ex copiarum Ibernicarum Praefectis Generalibus qui id praestiterit, alias stare non posset assertum. Nam quanto tunc zelo MacThomas et equitatus Momoniensis, cuius Praefectum agebat, legionesque pedestres, quae in exercitu Momoniensi a Muscrio ad Cleri partes transierant, Momoniae quoque civitates et oppida, ac praesertim

Waterfordia, Limericum, et Clonmellia, nec non Galvia in Conacia et Wexfordia in Lagenia, totaque pene Ibernia in tractibus ad Confaederatos spectantibus illi paci Ormonicae tunc restiterint alibi vidimus, usque adeo ut pax plane pleneque rejecta fuerit antequam Eugenius cum suo exercitu Kilkenniam accesserit, licet fatendum sit alios ad insurgendum haud mediocriter fuisse stimulatos auditio quod a Clero staret Eugenius, qui tamen ab urbibus et oppidis atque aliis viribus, de quibus dixi, in eo negotio, si derelictus fuisse, in pacem illam solus cum suo exercitu parum profecisset, sicut hujus anni 1648 experientia docuit, quo meliorrem sub vexillis habens exercitum, Ormonistis non praevaluit, aliis haud adeo strenue nunc atque anno 1646 auxiliantibus. Hic etiam semel notandum duxi, hunc Eugenii exercitum non ex solis Ultoniensibus sed etiam ex multis Conaciensibus, Lageniensibus, partium | ecclesiasticarum fautoribus, fuisse conflatum, licet 1589 semper a Nuncio vocitetur exercitus Ultonensis, a Praefecto Generali et majore militiae numero, qui Ultonenses erant, assumpta denominatione. Quo fit ut quoties Nuncius exercitum Ultonensem encomiis cumulat, intelligendus sit saltem hoc anno 1648 de praefato exercitu ex variis provincialibus mixto, proindeque laus illa ab unaquaque Regni Provincia sed longe magis ab Ultonia participetur.

(1084) Ad ineuntem Octobrim demum Ormonius, tandiu a suis expectatus ex Gallia Corcagiam appulit, homo haereticus, quem sola Catholicorum Ormonistarum factio tantopere nominatum reddidit. Faederis Catholici hosti truculentissimo adeo faedus Catholicum profuit ut Catholicorum humeris elevatus et suffultus per illam scalam sibi viam straverit ad fortunam ampliorem in Catholicorum omnium, etiam eorum, praejudicium, praestigiatorum omnium a mundo condito vix non facile princeps inter omnes dissidentium partes ita versatilis et versipellis, ut nulli omnium se suum esse non suaserit, tanta dexteritate et astutia usus multis in se repertis conditionibus ad faciendum omnibus fucum idoneis. Nam cum in hoc bello Parliamentarii cum Rege et Regiis, Puritani cum Independentibus, Scotti et Angli Parliamentarii ab initio cum Ibernis, Scotique deinde cum Anglis Parliamentariis, Catholici cum haereticis, Iberniae aborigines cum Anglo-Ibernis nunc minus nunc magis dissiderent, cumque in tribus regnis variae | partium concordantium et discordantium 1589 origines a nationum, linguarum, et religionum diversitate, nec non a multis publici privatique boni incentivis petitae dominarentur, in ipso repertum est per quod se singulis insinuaret. v

Theobaldus Walterus Anglus ad invasionis Anglicanae sub Henrico Secundo initium in Iberniam trajecit, ibique Butlerorum familiam, cuius hic Ormonius Princeps esset, ita seminavit, ut exinde per quadringentos annos, et quod excurrit, domus Ormonica ante haeresim introductam aboriginum possessionibus per vim ereptis, et post haeresim intrusam amplissimis bonis ecclesiasticis, nec non Catholicorum fidei studio bellantium haereditatibus fisco addictis ditata, eidem coronae Anglicanae aequis et inquis temporibus pree commodo proprio in Ibernia adhaesit, et multa matrimonia interea cum Anglis contraxit, hujusque ipsissimi Ormonii, de quo nunc loquimur, mater mulier Anglicana erat, quare apud Anglos Angulum agebat.

(1085) In Ibernia natus et majoribus per quatuor amplius saecula Ibernis prognatus, multiplici necessitudine cum optimis quibusque Ibernorum familiis conjunctus, in Ibernia patrimonium, clientelam, et numerosas potentesque suae tribus propagines habens, et linguam Ibernicam nedum Anglicam eleganter callens, inter Iberos Ibernorum omnium se maxime Ibernum esse protestabatur; cumque in Insula duae, aboriginum seu veterum Ibernorum et Anglo-Ibernorum, factiones reperientur, et de ultimorum, saltem plerorumque, studiis ob communem originem | olim Anglicanam, et pares rei familiaris servandae augendaeque rationes atque antiquam sympathiam facili negotio securus esset, in omnes se facies ab initio vertit ut primam quoque factionem sibi conciliaret, ipsis, multis titulis, charus, quod plerique veterum Ibernorum dynastae et nobiles vel ex ejus domo per faeminas Butleras descenderint, vel per mulieres, aliarum domorum filias, consanguinitate eum cognatione attinserent, vel aborigines inter hoc bellum superstites sibi uxores Butleras matrimonio copularint, vel Ormonius ex antiquis Ibernis descenderit per mulieres, Granniam Mac-Gilla-Phadruic aviae paternae, Ormoniae Comitissae, matrem, Catharinam Mac-Cartiam avi paterni, Walteri Ormoniae Comitis optimi matrem, Mac-Cartii Fusci filiam, et per ejusdem Walteri aviam maternam Giliam Mac-Cartiam, Cormaci Junioris cognomento Fortis Muscriae principis filiam, nec non per Sabinam Kevanagh Mac-Muroghow, Petri Butleri, Ormoniae Comitis, qui praefato Waltero proavus paternus erat, matrem, aliasque inumeras. Verum his necessitudinibus non obstantibus in veteribus Ibernis seducendis adeo operam lusit Ormonius, ut non nisi paucos suis laqueis irretierit, atque adeo antiquam veterum Ibernorum et Anglo-Ibernorum antipathiam et discordiam in

Anglo-Ibernorum cordibus per suas diabolicas suggestiones renovarit, atque in immensum auxerit, quo saltem per ipsos in patriae et Ecclesiae ruinam praevaleret, et ne ambo partes faederis Catholici nexus conjunctae commune religionis Orthodoxae et patriae bonum unanimiter promoverent. |

(1086) Ormonio quoque cum Scottis necessitudo intercedebat 1590 quod Scotti filiam in uxorem duxerit, et duae Mariae Butlerae, v ejus amita et soror, duobus Georgiis Hamiltoniis, Scottis, et Equitibus auratis, nupserint.

(1087) Ad Religiones a nationibus transeo. Ac 1° quidem Ormonius, uxor et liberi haeresim profitebantur, et ille Catholicis pro fide bellantibus bellum indixit. Quo titulo Angliae Scotiaeque haereticos, et sectarios ex utraque natione in Iberniam transfusos demeruit. Parentibus autem et majoribus Catholicis ortus et in fide Catholica per primos annos educatus, fratresque et sorores et numerosissimam fundatissimamque familiam, cognatos quoque et affines pene omnes Catholicos habens, adeo Catholicis resipiscentiae spem facere videbatur, ut Concilium Supremum in quadam charta Nuncio anno 1648 ad primos dies, quibus Kilkenniam primitus appulit, haec de eo verba tradiderint : "Certe (inquiunt) ab initio hujus belli multum profuit rebus Catholicorum ipsius praesidentia in adversariorum partibus, et profuturam imposterum creditur multo amplius, donec divina providentia ad imitationem majorum Catholicae religionis obsequio ipsum submittat, prout non nulli paulo familiarius ipsum cognoscentes sperant securum et tractabile ipsius ingenium promittit." Sic Concilium.

(1088) Quod ad diversas haeresum sectas et sectariorum partes spectat : Vidimus Ormonium inter hoc bellum anno 1641, 1642, 1643, 1644, et 1645 ita Regem et Regios non Puritanorum, nec Independentium, sed aliquanto in Anglia seniorem Protestantium sectam profitentes | propugnasse, ut tamen anno 1591 1646 per Commissarios mense Septembri Dublinia in Angliam destinatos Parlamento in Regem rebelli et ex Puritanis atque Independentibus compacto obtulerit se, dum in Proregis officio a Parlamento continuaretur, in Catholicos strenue bellaturum, nullamque cum ipsis nisi Parlamento nedum Rege consentiente pacem initurum. Cum autem ille tractatus eo anno non successisset, anno sequenti 1647 Regiis in Anglia jam usquequaque depressis, et Puritanis in Parlamento Anglicano dominantibus, atque Independentibus eorum violentia ad ordinem redactis, Ormonius Dubliniam aliaque sua apud Iberniam praesidia ita

Parlamento tradidit, adhaesurus (ut videtur) in Anglia, in quam mox trajecit, Puritanis, cum tamen statim post ejus trajectionem depresso Puritanis Independentes rerum potiti sint. Deindeque Ormonius ad hujus anni 1648 initium in Galliam navigavit, ubi tanta sagacitate de Dubliniae atque aliorum in Ibernia illorum praesidiorum traditione se apud Reginam Angliae et Walliae Principem purgare conatus est, ut tanquam Regis studiosissimus in pacis cum Ibernis ineundae Commissarium et Iberniae Proregem assumptus sit, et Presbyterianis per tria regna tunc Regis obsequium suae rebellioni, ut Independentes deprimarent, praetendentibus, proindeque etiam Scotis, in novum Independentium Parliamentum Anglicanum coaluerit. Ex quibus omnibus liquet quam dextere Ormonius foro usus sit, et tempori servierit.

- 1591 (1089) Verum tota ejus astutia ipsi parum apud omnes profuisset, nisi suam inter Iberniae Catholicos factionem ad obsequium habuisset. Hinc enim factum, ut tot procellis agitatus steterit, alias ipso fere primo tempestatis turbine in terram deficiendus, imo secus ab initio belli neutiquam elevandus ad illa Reipublicae civilis et militaris munera, ad quae solum assumptus erat ab haereticis, quod tanta apud praedictam Catholicorum partem fide atque autoritate polleret, atque adeo idoneum ad Catholicos inter se committendos turbandoque, et ad Confaederationem fine Catholicō frustrādām instrumentum censetur. Hinc ille, qui rebus antea pactis patrimonium ob vexationes patri atque avo, utrique ter Catholicō, ab haereticis illatas aere alieno obrutum et in multas diurni temporis emphyteuses ac locationes vili datum habuerat, orto bello centum circiter equitibus stipatus Dubliniam lubens convolavit, ut rebus turbatis suam conditionem redderet meliorem. Ubi ob rationem politicam superius tactam cum Rex Carolus Primus militiae suae in Catholicos Imperatorem creavit, deindeque ob eandem rationem ipsis suae factionis Catholicis astutissime procurantibus in Iberniae Proregem et pacis cum Ibernis ineundae Commissarium anno 1644 ab eodem Rege cooptatus sit; quibus provinciis in Regis perinde ac Catholicorum praejudicium abusus, merum egit triennio sequenti praestitiatorem, semper magnum contrahendae pacis desiderium praeseferens, sed re ipsa ab ea aequis conditionibus ineunda alienissimus, adeo ut nec Regi nec Regno commodare, sed in privatum aliquem suae ambitionis et avaritiae scopum collineare videretur technis ut non contractae pacis culpam a se jugiter amoliretur, atque in Catholicos refunderet. Sui autem voti irritus demum eo perfidiae, ignaviae, rabiei, et
- 1592

degeneris etiam in factionem suam animi progressus est, ut anno 1647 Dubliniam, aliaque, quibus in Ibernia praesesset, praesidia Parliamentariis, rebellium et sicariorum truculentissimis, atque ipsius Regis sanguinem sitientibus, tradiderit, vel eo solo nomine millies dignus, qui exauthoratus, atque ad ordinem redactus, infamiaeque reus peractus non solum securi percuteretur, sed laqueo vitam finiret. Verum justus judex ob rationes sibi bene visas permisit ut ille hoc anno 1648 ex Anglia in Galliam transportatus, id potius obtinuerit, ut ejus perfidia nihil obstante iterum pacis cum Ibernis pangendae Commissarius et Prorex in Iberniam destinatus sit, ob varias rerum circumstantias Reginam Angliae et Walliae Principem, eorumque Concilium ex Anglis et haereticis compactum eo impellentes. Primo. Quod Rex Angliae adeo tunc arctam in custodiam compactus esset, ut nullum alium novo mandato Iberniae Proregem instituere valeret. 2°. Quod Ormonius sua provinciae in Ibernia pessime obitae culpas apud Reginam et Principem in Nuncium et Iberniae Clerum populumque facili negotio refuderit, | haereticis illis 1592 Principum Consiliariis libentissime suffragantibus, et trium v legatorum, quos eodem tempore Confaederati ex Ibernia in Galliam ad Principes allegarint, duobus, Muscrio et Brouno, Ormonium super nivem dealbantibus, et nullum non moventibus lapidem ut ille potius praemiandus censeretur, atque in Iberniam denuo velut pacis Commissarius et Prorex destinaretur. 3°. Quod in ipsum juxta politicorum praesertim haereticorum stateram plures conditiones quadrare viderent, ob quas haberetur idoneus ad efficiendum ut diversae in Ibernia partes inter se dissidentes sub ejus imperio Regi in Angliae Parliamentarios militarent. Cum enim in Ibernia Catholici cum haereticis bellarent, illeque inter Catholicos de sua potentissima factione semper securus esset, dictique Ormonistae Insequinnii viribus per induiarum conjurationem ejus revocandi studio cohaeserint, judicatum fuit eum per has duas partes assecutum ut partes Catholicae Nuncio adhaerentes vel flecterentur vel frangerentur, deindeque haeretici Anglicani et Scoti in Lageniae atque Ultoniae praesidiis collocati ad Regis obsequium sub Prorege haeretico bonas conditiones in Ecclesiae nationisque Iberniae detrimentum liberaliter concessuro facile redirent, vel certe aliorum omnium viribus domarentur. 4°. Quod non deessent qui Reginae et Principi persuaderent Nuncium et Catholicorum Iberniae | partes ab eo stantes id semper studuisse et studere, ut coronam 1593 Anglicanam Iberniae Regno excuterent, nec aliud superesse

remedium quam ut religionis praetextu in Clero populoque Catholico haud omnia prospiciente non praevalerent, sed per Ormonium, Ormonistas, et Insequinnianos succumberent. 5°. Cum Gallus tunc et Hispanus bellum inter se continuarent, suas in Ibernia, Anglia, et Scotia partes fovebant. In Ibernia quidem Nuncii partes Hispano, sed Ormonius et Ormonistae Gallo studere censebantur, licet Nuncius executus sit quod a Pontifice in sanctissimis mandatis haberet, ut scilicet se inter Principes vicinos aequum praeberet, nec sibi ullum scopum a fidei restituenda meta aberrantem praefigeret. In Anglia vero Independentium Parliamentum tunc dominans in Hispanum, sed Regii et Puritani jam pro Rege facientes cum ipso Rege, Regina et Principe in Gallum propendebant. Cui etiam Scotia antiquo faederi insistens favebat nunc magis nunc minus pro partium Regi Angliae in eo Regno obsequentium, atque adeo hoc etiam titulo in Gallum melius affectorum fortuna vel infortunio eunte et redeunte pro seditionum vicissitudine. Scotti in Ultonia, Iberniae Provincia, positi suae Scotiae sortem, sicut umbra corpus, sequabantur. Independentium partes haereticae in eodem Iberniae Regno apud Lageniam et Ultoniam potentes sui | Parlamenti Anglicani studia in Regiminis normam observabant, ideoque cum suis Independentibus Hispano adversus Gallum suffragabantur, non quod haeretici Gallo vel Hispano bene cuperent, sed quod stateram politicam, sicut sua ipsorum interesseret, flectendam ducerent. Has ergo ob circumstantias Cardinalis Mazarinus, aliique Regis Galliae Ministri, Reginae Angliae et Principi Walliae Ormonium in Iberniam hoc anno destinandum suggesserunt tanquam qui ita Regi Angliae utiliter obsecuturus esset, ut etiam Regiminis clavum in Galli bonum et in partium Hispanicarum per tria Regna depressionem tractaret. Quod Ormonium spopondisse non dubitemus, licet postea Galli in Ibernia Orator (ut videbimus) fidei datae violationem ei impropereat, et in eum propterea excanduerit.

(1090) Porro inter has omnes rationes, ob quas Ormonius in Iberniam mittendus censeretur, haud ultima imo vix non prima fuit illa, quam 4° loco posui, ne scilicet Nuncius atque ejus partes ita praevalerent, ut coronam Anglicanam Iberniae Regno spoliandam curarent ex duabus modis altero. 1°. Timebant multi ne effectum sortirentur monita Constantini Marulli, qui suo ad Iberniae Catholicos libro ad annum 1645, non Francofurti, ut topographus praesefert, sed in Lusitania (ut aiunt) typis mandato, in id animum intendit, ut | Regum Angliae in Iberniam jus

1593

v

1594

evacuaret, et Iberniae Catholicos ad haereticos Anglicos Scoticosque abigendos, et ad aliquem antiquo sanguine regio oriundum vernaculum in Regem cooptandum adduceret. Quem librum hactenus nunquam vidi, nec ullam ejus mentionem legi ante illam schedulam, quam de eo Nuncius 1^o Octobri 1647 Galvia Romam misit, sicut superius suo loco legeris. Itaque (sicut ille tunc significavit) Ormonistae illo libro utebantur ad omnium odium Clero et Ultoniensibus conciliandum, asseverantes librum eorum opera fuisse editum ut populum ad Eugenium O Nellum in Regem asciscendum adducerent, in quem et vernaculi et antiquo sanguine regio prognati conditiones ab authore requisitae quadrarent, iidemque Ormonistae in vulgus spargebant Eugenium affectare Principatum, ad quod crimen in eum probandum se obtulit sceleratissimus tenebrio, quidam Briminghamus, eorum ad multa mala patranda nequissimum instrumentum, qui quam mendax, corruptus, et vafer esset, te satis docebunt ipsius Concilii litterae ad Nuncium 18 Maii 1648 Kilkennia scriptae et superius positae, nec non Episcopus Fernensis sua Apologia Romae anno 1653 tradita, qua scribit viros probos Briminghamum pro vaferimo et corrupto habuisse. 2^o. Ormonistae in vulgus spargebant Nuncio et partibus ei adhaerentibus decretum tradere Regnum externo alicui Principi, quem alii Summum Pontificem, alii Regem Catholicum, alii Magnum Etruriae Ducem esse dicerent. Nec deerant, qui Archiducem Leopoldum | et Lotharingum in eandem suspicionem vocarent, de quibus duobus minorem conceptam fuisse video. Circa hoc controversiae caput non nulla mihi dicenda sunt. Ac 1^o quidem nulla prorsus mentio suspicionis circa Archiducem Leopoldum et Lotharingum hoc anno vel ante conceptae mihi occurrit, nisi in epistola seu potius libello instar epistolae apud Belgium ad annum 1649 edito, quem P. Paulo King ascribunt, quo haec circa duos Principes jam dictos suspicio Ormonistis per transennam vitio vertitur. Itaque hanc suspicionis partem nullo prorsus fundamento nixam fuisse colligo.

(1091) In tribus ergo aliis Principibus suspicio majorem habere locum videbatur. De quibus ordine dicam. Ac 1^o quidem Pontificem Innocentium potuisse Iberniae Regnum deposito Rege haeretico in Principem Catholicum transferre, et cuicunque Christi in terris Vicario hujusmodi potestatem in Ecclesiae bonum et animarum lucrum competere, tam notorie concors est scriptorum Catholicorum doctrina, ut probationis non egeat. Haec autem doctrina ad Iberniam specialiter pertinebat ob

rationes peculiares. 1°. Quod non nulli authores etiam Angli tradant Iberniam ab Adriano IV. et Alexandro III. fuisse Henrico Secundo, Angliae Regi concessam conditionibus in Ecclesiae Iberniae bonum tendentibus in Adriani Bulla contentis, quos ita Anglos haud observasse liquet ut haeresim potius intruserint, et Ecclesiae Nationique | Ibernicae ter Catholicae integrum malorum Iliadem pepererint. 2°. Quod ipsi Iberniae Catholici hoc bellum, de quo nunc agimus, fidei, patriae, et Regis asserendi studio suscepserint, et crebra faederis Catholici juramenta eo spectantia solemniter emiserint, quorum genuinus scopus esset ut Caesari quidem, modo quae Dei essent Deo redderet, adhaereretur, sed nunquam ipsi in Domini cultus praejudicium obtemperaretur. Regem autem in omnibus pacis tractatibus inter hoc bellum celebratis se ipsum Deo praetulisse, et nunquam aequas cultus Domini conditiones concedere voluisse liquet. 3°. Quod Urbanus VIII. et ejus successor Innocentius Xus Ministros Apostolicos ad Confaederatos Iberniae Catholicos allegarint, et subsidia suppeditarint, praesertim Innocentius, cuius etiam Nuncius Apostolicus fide publica et securitate atque autoritate maxima per actum 3 Octobris 1645 Regni nomine conditum et superius positum oblata in Iberniam invitatus, atque ut in Ibernia post appulsum persisteret, adductus sit. 4°. Quod in tribus Regni Comitiis Generalibus post Nuncii appulsum Kilkenniae anno 1646 et 1647 celebratis, Confaederati ad speciales conditiones Ecclesiae Ibernicae pro virili obtinendas se obligaverint, proindeque Pontifici, Nuncio, et Clero Ibernico peculiarem concesserint titulum illas exigendi et, ipsis denegatis, (denegatas autem fuisse constat), efficiendi ut externum Principem Catholicum, | qui Ecclesiam Ibernicam postliminio restitueret, introducerent. 5°. Quod his omnibus non obstantibus, factio Ormonio suo Ormonio haeretico in Ecclesiae praejudicium semper adhaeserit, et demum hoc anno 1648 ab illis pactis resiliens induciarum conjurationem cum haereticis in causae Catholicae ruinam coierit, et Nuncio atque Iberniae Clero populoque ejus partes sequenti et faederis juramentum observanti bellum iniquissimum indixerit, et tot tantasque Summo Pontifici, Sedique Apostolicae in ejus Nuncio, Praelatis, atque aliis ecclesiasticis persecutis, et Ecclesiae decretis, immunitatibus, et censuris prophanandis injurias intulerit, eo animum intendens ut Regimen haereticum intruderetur in Ecclesiae demum Ibernicae et ecclesiasticorum excidium. Quae Pontifici specialem praebuerunt titulum mandandi executioni illam doctrinam, qua doctores Catholicci con-

1595

v

cludunt eum posse, Principibus haereticis depositis, alios Catholicos substituere.

(1092) His tamen omnibus non obstantibus, constat Pontificem Innocentium in suis privatis monitis Nuncio Romae anno 1648 datis multis schedis per notas arcanae ad eum postea per triennium hactenus transmissis, quibus actis haec historia hucusque variegatur, toties et tam instanter inculcasse ut Nuncius nihil, quod vel minimam praedictae suspicionis umbram praebere posset, ageret, sed ab omni Regni in exterum Principem Catholicum transferendi vel | apparentia cavens se totum solis Nunciaturae functionibus spiritualibus consecraret ; in faederis Catholicorum finem collinearet ; circa pacem et inducias contrahendas suam quidem sententiam diceret ; et inique contractas nec probaret nec improbaret, sed negative se gereret, usque adeo ut Nuncio 3 Julii 1646 et 28 Martii 1647 quorundam Catholicorum Suam Sanctitatem in Protectorem asciscendi desiderium per notas arcanae significanti Pontifex per schedam 3 Sept. 1646 notis pariter arcanis a Cardinale Pamphilio missam, et per aliam similibus cyphris 22 Julii 1647 a Cardinale Panzirolo ex Urbe scriptam, haud aliud responderit quam quod alterum S. Petrum ab omni mundano emolumento abstractum, et solius Dei gloriae intentum redoleret, sicut illa acta per Suae Sanctitatis et Congregationis Cardinalitiae deliberationes maturimas antea eliquata quam missa, et suis locis superius ex autographis Italicis a me Latine versa insertaque, demonstrant.

(1093) Quod ad Regem Catholicum attinet, nullum suspicionis de sua Majestate intrudenda conceptae mihi occurrit fundamentum solidum. Neque enim rumores a Barone Digbaeo et Gallis quibusdam in Pontificem et Hispanum male affectis, atque in Ibernia factionem Gallicanam stabilire conantibus temere sparsi, et suis locis sparsim in hac historia tacti, fidem super hac re habeant, ipse regis Catholicus apud Confaederatos Orator litteris 10 Julii 1648 ad Nuncium datis, et inferius in medium | producendis per suas tunc exprobationes Nuncio factas satis in confesso ponit nullum sibi cum ipso ejusmodi consilium intercessisse ; reque ipsa tunc dierum Rex Catholicus bello in Gallos et Lusitanos gesto ita distinebatur, et in motibus Neapolitanis cohibendis, nec non in Catalaunia ad obsequium redigenda occupabatur, ut ad Iberniae Regnum suae coronae adjiciendum attendere non valeret, cum non nisi cum magnis viribus, nedum praefatis hostibus sed etiam Anglis, Scotis, et horum nec non coronae Anglicanae in Iberniae partibus invitis id assequi posset.

1596

1596

v

(1094) Jam ad Magnum Etruriae Duce transeo. In cuius urbe principe, Florentia, cum Nuncius natus sit, nemo dubitet quin in eum bene affectus fuerit. Quod, nec non arma a serenissimo Magno Duce ad annum superiorem in bellum Ibernicum concessa hoc anno in Iberiam transportata, effecerunt ut Ormonistae vulgi auribus insurrarint Nuncium in eam ivisse sententiam ut ipsum in Iberniae Regem cooptandum curaret. Sed nullam ab ipsis hujus rei probationem afferri video; certumque est Nuncium in hoc nihil agere voluisse nec potuisse quam juxta Suae Sanctitatis mentem, quae qualis fuerit jam ostendimus. Denique Nuncius id praesertim studuit ut, extirpata haeresi, fidei atque Ecclesiae Ibernicae splendorem restitueret. In quem finem multa tanquam Minister vere Apostolicus multisque modis conatus est, omnesque tentavit vias, quibus ad illum scopum pertingeret. | Ex quarum non nullis manifestum est eum ex

1597

toto corde voluisse ut Rex Angliae nullum sui juris nec in Ibernia, nec alibi, dispendium pateretur, imo de subditis omnibus triumpharet, modo causam Catholicam sartam tectam vellet. In quem finem toto pectore laboravit Nuncius ut Faderati animis conjuncti haeresim ex Ibernia eliminarent, deindeque Regi opem laturi, et fidem in Anglia quoque et Scotia plantaturi, in magnam Britanniam cum lectissimo fidissimoque nostratium exercitu trajicerent. Quos etiam conatus non adhibuit ut ipsum Ormonium ad fidem Catholicam converteret, nullamque cum ipso et Ormonistis discordiam sed unionem foveret, quatenus ambo Catholicorum partes sub Ormonio ad fidem converso Dei et Caesaris causam mutuo nexu roboratam in tuto colloca-
rent? Quam non dedit operam, ut a Regina Angliae Proregem Catholicum, vel Clanricardium, vel Vigorniensem, vel Antrium, vel quemcumque aut cujuscumque nationis etiam Anglicae hominem, dum orthodoxus esset, obtineret, et aequas pacis conditiones, quibus religio Catholica apud Iberiam sarta tectaque evaderet, assequeretur, cupiens ut de reliquo nihil omnino de jure regio detraheretur? Quae atque | alia plurima ex iis, quae ad annos superiores retulimus, demonstrant Nuncium nunquam religionis pallio usum fuisse, quo Regem Angliae Iberniae Regno spoliaret, illudque in Magnum Etruriae Duce transferendum curaret, sed potius Serenissimi Magni Ducis liberalitatem impendisse ut Iberniae et in Ibernia religioni proficeret. Sic est. Nuncius in omnes se facies vertit, nullasque vias licitas non excogitavit, quibus, quae essent Caesaris Caesari, et quae Dei essent Deo redderet. Quod si Caesar se Deo semper praetulit,

v

quis Nuncio vitio verteret, imo quis omni laude eum non cumularet, si Caesari iniqua et inique usurpanti Deum praetulisset. Sed tempus est ut ad harum suspicionum radicem securim ponamus.

(1095) Invenio ergo illarum suspicionum radices ab ipsis Ormonii instrumentis jactas actasque fuisse, ex quibus postea Nuncii incusandi et per odium ipsi conflatum suarum partium roborandarum occasionem arripuerint. Nam Dublinia atque annexis in vicinia Lagenensi praesidiis, ab Ormonio Parlamentariis anno superiori traditis, ipsoque Ormonio tunc in Angliam transportato, remansit post ipsum in Ibernia Baro Digbaeus, ejus Achates, qui Kilkenniam ad Concilium Supremum progressus obtulit se effecturum ut pax ex omnium votis contraheretur. De qua re Nicolaus Plunkettus Concilii nomine ad Nuncium | Kilkennia Galviam 7 Septembbris 1647 scripsit his 1598 verbis : "Non nulli (inquit) e Concilio cum ipso (Digbaeo) sermonem habuerunt de modo et via, quibus negotiationem istam de pace perficiendam speraret. Super his respondit quod si Conventus Generalis aliquas personas Regno et Catholicae causae fideles autorizaret ad satisfactionem in ista materia sumendam vel ipsi Summo Pontifici, sanctissimo Patri nostro, in ejusmodi satisfactione pro Confaederatis accipienda confideret, non dubitavit quin facile obtineret, quae et Summo Pontifici quoad fidem, et Confaederatis quoad alias quoscumque ipsorum postulatus satis sufficienterque placerent, quod eorum multa Rex publice asseveraret, alia vero privatim tantum polliceri potuit." Haec ille, qui etiam addit Digbaei propositionem remissam fuisse ad Comitiorum Generalium decisionem. Comitiis autem eodem anno 1647 mense Novembri inchoatis, quo modo Moinerius, Regis Christianissimi apud Iberos Orator, alterum Ormonii atque Ormonistarum instrumentum valentissimum, caeptam a Digbaeo machinam politicam iterum applicuerit, Nuncius in dolum non penetrans 21 Novembbris 1647 Cardinali Panzirolo ex urbe Kilkennensi Italice et notis arcanis scripsit : "Monerius (inquit), recens a Rege Christianissimo missus, venit heri mihi communicatum sibi in prima sua instructione a Cardinale Mazarino praescriptum esse ut omni cum fiducia mecum agat, meque nihil celet, | quod ad Regni statum pertinet. Super hoc autem omnia ad duo capita reduxit. Primum est v Cardinalem in votis habere ut ego et litteris et Oratorum consulto destinandorum opera Suae Sanctitati repraesentem quantopere referret ut Sua Sanctitas cum Regina Angliae paterne tractaret,

et cum sua Majestate de illis, quae hic ab ipsa in religionis securitatem facienda vel concedenda sunt, conveniret, ut cum tot belli calamitates immineant, hac saltem ex parte pax absolvatur." Haec Nuncius, quibus addo non Nuncium sed ipsa Comitia primitus cogitasse de Protectore extero cooptando, altera suspicionum occasione.

(1096) Ex his liquet ab ipsius Ormonii instrumentis ante Comitia et inter Comitia suggestum fuisse ut exterus Protector ascisceretur, et pacis contrahendae ratio circa articulos ad religionem spectantes ad Suam Sanctitatem et Reginam Angliae devolveretur, sicut re ipsa ultimus ille Regni Conventus Generalis devolvit, allegatis ad Suam Sanctitatem duobus et ad Reginam Walliaeque Principem tribus Oratoribus, ut duo in Aula Romana et tres in Gallia rem promoverent, sibique inter se per litteras conveniret usque ad legationis consummationem. Et haec quidem in summa sunt quae proposita decretaque fuisse vidimus, sub quibus interius quam tunc penetrari posset, Ormonii atque Ormonistarum praecipuorum mens delitescebat, quam si ab | eventis et circumstantiis metiri voluerimus, inveniemus nunquam fuisse illam quam praesetulerint, a qua utique semper et ante et tunc et post abhorruerint, cum pro certo habuerint futurum ut Pontifex in pacem, nisi ab ipsorum genio et scopo alienissimam, nullatenus consentiret. Illam ergo plausibilem conditionem Nuncio, Cleo et fautoribus arrisuram non dubitarint. Ad quam exequendam oportebat ut legati in Galliam ad Reginam et Principem nec non Romam ad Suam Sanctitatem allegarentur, quorum duo Ormonistae ex tribus in Galliam missis latissimum haberent campum sugerendi Principibus in Ormonium antea ob Dubliniae atque aliorum praesidiorum Lageniensium* irritatis quicquid tenderet ad eum de illa perfidia, deque omni alia provinciae antea pessime obitae culpa iisdem Principibus purgandum, et ad assequendum ut non aliis quam ipse iterum Prorex in Iberiam destinaretur tanquam ante mortalium reliquos ad Regis causam promovendam et ad Nuncii, Cleri, fautorumque consilia dissipanda idoneus, quibus malignior apud Principes affingi poterat intentio, quod in Comitiis jam dictis decretum esset, ut articuli pacis ad religionem spectantes a Suae Sanctitatis nutu dependerent, et his a Regina et Principe dene-gatis, subsidia etiam per propugnaculorum | Iberniae oppignerationem procurarentur, vel Sua Sanctitas, si vellet, sin autem, ad ejus arbitrium aliis Princeps exterus, qui opem ferret, in Pro-

1599

1599

v

(* Deest hic aliquod nomen, e.g. cessionem).

tectorem ascisceretur. Quae omnia, aliaque non pauca a Comitiis praescripta ita executioni mandata nationem et religionem in tuto posuissent, ut Ormonio et praecipuis Ormonistis latam aperuerint viam persuadendi Principibus sua ipsorum interesse ut spretis Comitiorum postulatis tanquam suspicionum plenissimis ipse Ormonius iterum in Iberniam mitteretur, cum sua factione et Insequinnii latronibus de Nuncio ejusque partibus velut Coronae Anglicanae hostibus triumphaturus. Et hi quidem sunt cuniculi, quibus atque aliis similibus per Ormonium et Ormonistas adhibitis, Confaederati Iberniae Catholici haereticis Anglicanis succubuerunt.

“ Talibus insidiis, pernicique arte Sinonis
Credita res, capti bello, lacrymisque coacti,
Quos neque Tydides, nec Larissaeus Achilles,
Non anni domuere decem, non mille carinae.”

(1097) Cum autem machina non modo foris apud Reginam et Principem, sed etiam intus adhibenda esset, nulla ab Ormonistis non data fuit opera in ultimis illis Regni Comitiis mense Novembri et Decembri anno 1647 celebratis, ut Concilium Supremum eligeretur, in quo ipsi numero praevalerent. Funestam tragaediam D. Walterus Enos, S. Theologiae Doctor, in rebus illis Ibernicis versatissimus, et aliunde | scientia, causaeque Catholicae zelo 1600 celebris, te decebit.

(1098) “ De renovando (inquit) Magistratu sive Concilio Supremo diu agitatum est. Difficultatem fecerunt factionistae Ormonici, qui exauthoratos ob pacem superiori anno cum eodem Ormonio initam Consiliarios in Supremum Concilium hoc anno denuo cooptari summopere contendebant. Sic enim sua cum haereticis contra Catholicos molimina exequi non dubitarunt. Ab hujusmodi electione abhorrebat Catholici Faederati. Merito enim timebant ne, si illi exauthorati denuo cooptarentur, in pejora sclera redeuntes machinata incassum superiori anno molimina, hoc anno acquisitis haereticorum et schismaticorum viribus (reclamarent licet Faederati omnes), effectui darent. Decretum est tandem (ex narratione Reverendissimarum D D. Rapotensis et Clonfertensis et ipsius Secretarii habentur quae sequuntur) ut bini pro singulis partibus, Faederatis scilicet et factionistis, deputarentur, qui in Supremum Concilium eos cooptarent, qui clavum Reipublicae moderantes jus suum unicuique sine personarum aut Provinciarum acceptione tribuerent. Congregatio ergo Ecclesiastica ex parte Faederatorum deputavit

Justitiae
cap. 29
num. 5

Reverendissimum D. Episcopum Fernensem et perillustrem D.
 Nicolaum Plunkettum, Equitem auratum, quibus in mandatis
 datum est, ut nullo modo consentirent, ut ex illis quatuor, Athun-
 rio, Dillonio, Bellingo, et Fenello, ullus omnino in gremium
 1600 Supremi Concilii resumeretur. Factionistae autem | deputarunt
 v Vicecomitem Muscrium, Ormonii sororum, et Zepherinum
 Browne, Equitem Armigerum bonis ecclesiasticis incubantem.
 Ille Nuncium Apostolicum coram Ducissa Bukiingamiae scurram,
 hic R. admodum P. Scarampum, Ministrum Apostolicum, coram
 perillustri viro Thoma Waddingo, equite et advocate civico
 Waterfordiae, incendiarium vocavit. Voluerunt deputati, ex
 parte Cleri et populi Faederati, Hugonem a Rupeforti cooptari in
 supremum magistratum. Idem erat Imperatoris exercitus
 Ultoniensis, totiusque exercitus votum. Reclamarunt factionis-
 tarum deputati. His cedentes, nescio qua authoritate, deputati
 Cleri et populi Faederati Robertum Devereux per posticam
 introductum substituerunt. Deputati autem factionistarum
 instabant ut illi iidem quatuor, Athunrius, Dillonus, Bellingus,
 et Fenellus in supremos Consiliarios cooptarentur, quorum votis
 adeo flaccide restiterunt deputati Cleri et populi faederati, ut
 D. Baronem de Athunry et Lucam Dillonum, Equitem auratum,
 mutuo consensu cooptaverint. De cooptatione D D. Bellini
 et Fenelli diu litigatum est, adeo ut ad medium usque noctem
 profesti Natalitiorum Christi Domini concertaverint. Interim
 iterum atque iterum accessit ad Congregationem Ecclesiasticam
 Reverendissimus Fernensis, ut ejus in cooptationem eorundem
 D D. Bellini et Fenelli impetraret consensum, quem tamen
 nunquam obtinere poterat. Etenim Nuncius Apostolicus in
 1601 ipsa Congregatione Ecclesiastica | aperte declaravit, recepisse se
 a Sede Apostolica expressum mandatum, ne D. Bellingum in
 suum admireret consortium, nedum consentiret ut in Supremum
 Concilium coopteretur unquam. His non obstantibus rediens
 Reverendissimus Fernensis ad conclave, in quo convenerant DD.
 Deputati pro electione Supremi Concilii, se contulit, ubi ipse,
 ejusque collega, perillustris D. Plunkettus, contra mandatum
 dictae Congregationis in electionem DD. Bellini et Fenelli
 infaelici omne consenserunt. Addiderunt et illud malum,
 quod siquo casu idem Fenellus abesset, ejus suppleret vices
 Joannes Walshaeus, pessimus ab inchoato bello causae Dei
 proditor. Unde factum ut viri Consulares postmodum deficiente
 Consiliariorum residentium numero eundem Walshaeum una
 cum ipso Fenello assumpserint, ut suis ad mandata et decreta

sacrilega subscriptionibus defectum *Residentium Consiliariorum* supplerent. Reversi demum ad conclave Congregationis Ecclesiasticae, sub horam duodecimam noctis Natalitiorum Domini, iidem Reverendissimus Fernensis et Nicolaus Plunkettus, Eques auratus, et interrogati quosnam in Supremos Consiliarios cooptaverant, ingenue fassi sunt ipsos elegisse, inter alios, dictos DD. Bellingum et Fenellum. Praelati indignabundi in furorem pene acti sunt, clamantes et dicentes: perdidistis, perdidistis Dei Ecclesiam, ejusque causam. Talem vero electionem non approbabimus. Facti enim sunt hostes in capite. Evaserunt factionistae superiores. Manum suam miserunt ad omnia desiderabilia. Infaeliciter autem accidit, quod haec omnia | peracta sunt (ut dixi) in ipsa Natalitiorum Domini vigilia. Unde 1601 factum ut non prius quidquam contra dictam electionem tentari posset quam transirentur Natalitia; applicatum tamen est hoc in malagma:

(1099) "Cum inter multos Faederatos Catholicos et non nulla hujus Concilii membra observatum sit multas intercessisse simultates, suspiciones, et timores, pro his amovendis, eoque fine ut dictum Concilium serenis liberisque in Regni administrationem procedant animis, decretum est ut praeter ligamina Juramenti, quod praestare solent in viros Consulares cooptati, illi qui modo cooptantur, et eorum singuli, qui praesentes sunt, his proximis festis sive ante decimum diem Januarii proxime futuri, et qui de Concilio modo absunt intra decem dies post praestitum ab iis Juramentum Consiliariorum, sacra sese expient exomologesi et sacrosancta se reficiant Synaxi, eo consilio ut cunctis oblitteratis simultatibus, timoribus, et suspicionibus, cum sinceritate et omnimoda erga totum Regnum aequalitate, in Regni administratione, quae eorum fidei concredita est, procedant.

(1100) "Sed malagma hoc tam inveterato ulceri nullatenus medicabatur, etenim quo semel est imbula recens servabit odorem testa diu. Ad vomitum rediere omnes." Haec ille, qui nonnullis interjectis: "Horum (inquit) ruinam in Reverendissimum ibid. num. Fernensem et perillustrem D. Nicolaum Plunkett post divinam 1602 permissionem refundunt plurimi, eo quod | contra iterata Congregationis Ecclesiasticae mandata illos in viros consulares cooptaverint, quos eadem Congregatio, quominus cooptarentur, prohibuerat. Violati mandati gravitatem aggravant omnes ex illo capite, quod penes duos erat, quos libuerat, in viros eligere Consulares. Etenim major et sanior pars Comitiorum Regni av-

*Actum tunc
latum in
remedium,
sed nuga-
torium.*

ersabantur horum in Supremum Concilium cooptationem, nec habuerunt factionistae in toto Regno copias, quarum potentia, quos ipsis lubuerat, eligerent. E converso habuerunt Faederati Catholici excellentissimi D. Eugenii O Nelli exercitum, qui armata manu, quos Reverendissimus Fernensis et per illustris D. Plunkettus eligerent, stabiliret et in regimine firmaret. Magna sane erat horum virorum, caeteroqui optimorum mentis alienatio, seu praestigiosa potius incantatio, quod illos in Supremos Consiliarios eligere voluerunt, quos authores fuisse primarios omnium, quae Faederatis Catholicis acciderant, calamitatum recte norunt. ‘*Judicia Dei abyssus multa.*’ Certe Reverendissimus Fernensis ea erat pietate praeditus ut ad sacram Exomologesim vix unquam sine lacrymis accesserit, erga pauperes benignus, erga religiosos observantissimus. Per illustris D. Plunkettus paucis erat saecularibus pietate secundus; orationibus deditus, et timoratae conscientiae nobilis. Sed proh dolor. Haud infrequenter accidit: *Corruptio optimi pessima.* Ne manentes in patria, damna ex illa electione emergentia resarcirent, Romam ablegantur, ubi impetranda excommunicationis revocationi quam obtinendis in subsidium Faederatorum pecuniis solertiorem dicuntur navasse operam. In Iberniam reduces in partes eorum abierunt, quos in supremos Consiliarios elegerant. *Et erat novissimus error peior priore.*” Haec ille.

(1101) Ex his collendum est quantopere nationis et Ecclesiae Iberniae ruina imputanda est novem Catholicis nostratisbus, Muscrio quidem et Brouno duas ob causas quod Ormonistarum omnium instrumenta cum essent, in Comitiis perversum majore ex parte Concilium Supremum eligendum curarint, deindeque in Galliam ad Reginam et Principem allegati legationem turpissime obierint, sed septem Consiliariis, Athunrio scilicet, Lucae Dillon, Robucco Linchaeo, Roberto Devereux, Richardo Bellingo, Patricio Briano, et Geraldo Fenello, quod nefariam induciarum coniurationem domi cum Insequinnio coierunt, sine quibus machina foras adhibita nihil obfuisset.

(1102) Ad Ormonium horum demum tot tantisque machinationibus ex Gallia in Iberniam regressum, et Corcagiam advectum, pseudo-Comitia Kilkenniensia legatos destinarunt, eumque Insequinnius a descripta superius expeditione adversus Eugenium O Nellum suscepta Corcagiam regressus magna exceptit laetitia et congratulatione. 6° autem Octobris Ormonius cum vix a navigatione respirasset, suam mentem Catholicae religioni ex-

Ps. 35. 7.

1602

v

Mat. 27.

1603

italem palam fecit acto Anglico Corcagiae typis mandato, quod *Vindic:*
hic vel ex ipsis Philopatro (nam mihi alibi non occurrit) Latine ^{Lib. 2.} pag. 215.
sequitur.

“ Declaratio D. Praefecti Generalis Iberniae
pro statuenda Protestantium religione, justis
Regiae Majestatis juribus ac Parlamentorum
privilegiis defendendis, cusa Corcagiae anno
1648.

(1103) “ Quo occupentur praejudicia, quibus caepta quaelibet, ex hominum simultate, diffidentia, sinistraque consiliorum interpretatione, crebro nimis obnoxia sunt, operae pretium duximus, ipso adventus nostri momento, populum hunc, cuius faelicitati procurandae incumbimus, monere, iis nos in promovenda re Majestatis agi studiis, quae in ejusdem populi commodum cedere tandem cupimus ac terminari.

(1104) “ Si singulas prosequeremur rationes, quibus ad *Protestantium religionem remque Anglicanam conservandam* moti Dubliniam aliaque Majestatis praesidia sub nostra tum potestate constituta deseruimus, et ea hominibus illis, qui ab utraque Parlamenti Camera eum in finem missi fuerant, in manus tradidimus, non tam ederemus declarationem, quam supervacaneam et intempestivam narrationem | texeremus. Satis fuerit novisse 1603 transactiones illas eo fundamento nixas fuisse, quod firma tum spes esset, urbes ejuscemodi ac propugnacula, utpote utrique Parlamenti Camerae subjicienda, rebus mox (ut sperabatur) faeliciter in Anglia compositis, Regiae Majestati tanquam propria postliminio restituenda.

(1105) “ Sed quando, secus quam expectabant, qui Majestatis restorationem in Anglia cupiebant, integra Regni illius potestas ad eos homines devoluta est, qui studium omne et operam in eruendis ac disjiciendis Monarchiae fundamentis ponunt, in quibus caeptis perniciosam quandam factionem in hoc Regno consentientem atque conspirantem habent. Quando nunquam immemores esse possumus nostri erga Majestatem officii, quo strictissime tenemur nullam non arripere occasionem, qua operam nostram pro legitimis ejus juribus in qualibet dominiorum parte recuperandis utiliter impendere possimus. Quando observavimus Protestantium Momoniae exercitum detectis per peculiarem prudentiam pravis artibus ac illicitis quibusdam viis, quae pro membris ejus in molitionibus tam suis in Deum et homines officiis,

quam propriis ipsorum votis et propositis adversantibus initiae fuerant, declinatis statuisse, editaque declaratione candide et sincere publicasse se hominibus illis deinceps non obsecuturum, nec eorum potestatem imposterum agniturum, qui cum ab initio omnia sua acta et consilia eo se dirigere palam profiterentur, ut
 1604 Regia Majestas, juraque ejus illaesa | conservarentur, a suo illo consilio tam evidenter et tam turpiter deflexerunt, ut Majestatem, quam liberare tenebantur, in arctissimum etiam carcerem relegaverint. Quando demum observavimus Majestatem praedictam hujus exercitus declarationem tanquam ejus in se fidei evidens ac tempestivum argumentum, acceptissimam habuisse, ac in ejus rei testimonium nobis praecepisse, ut in hanc provinciam pro exercendis muneris nostri functionibus remigraremus. Nos tam Regii illius mandati exequendi proposito quam officio nostro fungendi, resque Majestatis pro virili promovendi voto, universis declarandum censuimus, nobis illud hujus exercitus consilium ut et consequentia ejus acta per omnia probari, eandemque nobis esse sententiam, eundem nos finem spectare. Quod in consequentibus speciatim exponendum duximus, atque adeo profitemur et declaramus : 1°. Nos religionem Protestantum ad Ecclesiarum optime Reformatarum normam stabilienda operam quam poterimus maximam daturos. 2°. Regiam Majestatem in suis praerogativis defensuros. 3°. Parlamentorum privilegia et jura subditorumque libertates propugnaturos. Nec non hujus Regni rebelles, quotquot Majestatis legibus ab ea per nos eum in finem missis obsequi detractaverint, etiam cum vitae ipsius discrimine suppressuros.

(1106) “Independentium quoque factionem, quae verae Protestantum religioni extirpanda, Principi nostro pessum-dando, Parlamentis dedecorandis, sociis subjectis | opprimendis tam iniquissime incumbit, invitis ac reluctantibus quibuscumque ipsi adhaerentibus, ejusque nutum spectantibus, pro virili dejicere conabimur. Et ne haec nostra consilia Anglis negotiatoribus, quibuscum firmam concordiam et pacem statuere et conservare cupimus, suspecta sint, similiter declaramus nos cum universis Anglis, quotquot in Regiam Majestatem fideles fuerint, liberum commercium ac negotiationem servaturos, nec eorum cujusquam, qui portus nostros penetrare voluerit, personis, navibus, ac mercibus ulla in re incommodaturos, nec quidquam ab iis nisi numerata pecunia accepturos. Jam vero cum ipsius Majestatis imperio res ejus in hac provincia restaurandas susceperimus, arbitramur non potuisse huic exercitui evidentius demonstrari
 1604 v

quam haec ejus incaepita ipsi sint grata, quantique ea nos quoque faciamus, quam si huc cum regia authoritate accederemus, eorumque votis, quantum in praesens expectari poterat, quod satis est, faceremus. Quo fiat ut quemadmodum hoc eorum propositum et in eo promovendo firmitatem atque constantiam peculiari grati animi affectu prosequimur, nec non toleratos ab ipsis antehac labores jugi memoria demiramus, ita nequa iis reliqua sit ansa, qui gignendae simultatis, seminandaque divisionis nullam non arripiunt occasionem simul et ne suggerere quibusdam valeant, propter opinionum et sententiarum diversitatem, qua varie distracti homines, alii Regi, alii Parlamento hactenus militarunt, aliquam forte animo nostro inhaerere offensionem, quae in eorum, qui cum aliis in Majestatis obsequio superioribus annis minime concordarunt, perniciem cedat aut damnum. Declaramus nobis | peculiari Majestatis imperio injunctum esse, 1605 ut omnibus et singulis hujus exercitus tam Ducibus, quam militibus, significemus, eosque juxta potestatem et authoritatem nobis ad id traditam certos faciamus ac securos, nullam apud nos futuram esse personarum acceptiōem, quin imo omnium et singulorum, qui nunc regiam causam amplexi sunt, habendam ex aequo et bono rationem, nobisque in primis curae fore ita Majestatis in omnibus congruere votis, ejusque propositum confirmare, ut praeteritarum opinionum, sententiarum, actionum, colendique numinis rituum differentiam in cuiusquam hujus exercitus membris, aut ullius alterius quoquo modo ad eum pertinentis detrimentum nunquam recordatur simus. Contra vero nostram erga eos in conferendis, quae poterimus, beneficiis liberalitatem et affectum data occasione testatueros nos esse pollicemur. In cuius remunerationem id solum expectamus ut in praesentibus suis pro Majestate incaepitis, eo studio, alacritate, et constantia perseverent, quae nuperae suae declarationi et professioni respondeant. Quibus et hanc quoque fiduciam addi cupimus, quod sicut summa cura ac diligentia providebimus, ne quales antehac perpessi sunt angustias ac discrimina, imposterum incurram, ita summo jam labore summaque industria in statuenda ea ratione defuncti sumus, qua haud temere sperare liceat fore ut licet quam misera sint et | incerta, in quae incidimus tempora, certus tamen illis et congruus comeatus, aliaque necessaria minime sint defutura, quibus fiat ut et promovendis hisce caeptis pares sint, et eorum quos sibi praestituunt, fines attingendo, honorem sibi adquirant, optatamque ac perpetuo mansuram tranquillitatem pariant.

1605 v

(1107) "Publicanda haec omnibus duximus ne desit quo evidenter et valide redarguamur et convinciamur argumentum, nisi Protestantium religioni justis viis defendendae, Majestatis honori commodisque tutandis, legitimis Parlamentorum juribus propugnandis, subjectorum libertati, commissi curae nostrae populi securitati, quieti, ac tranquillitati vindicandis pro virili semper studuerimus."

(1108) Circa hanc declarationem non nulla mihi dicenda videntur. 1°. Notandum est Ormonium se de Dublinia atque aliis praesidiis Lageniensibus Parlamento Anglicano anno superiori traditis purgare conantem haud aliam allegare rationem quam pauperrimam illam, nempe quod firma tum spes esset urbes ejusmodi ac propugnacula, utpote utriusque Parlamenti Camerae subjicienda, rebus mox, ut sperabatur, faeliciter in Anglia compositis, Regiae Majestati tanquam propria postliminio restituenda.

1606

(1109) Ex hac miserrima Ormonii Apologia nobis satis constat Regem nunquam, ne a Parliamentariis quidem coactum, ipsi anno 1647 praescripsisse ut loca illa Parlamento traderet. Secus enim Ormonius in transactionibus suis anno superiori cum Parlamento circa illorum praesidiorum cessionem celebratis, et suo loco superius collocatis, nec non hac sua Apologia illud Regis praescriptum in suae ignaviae operimentum allegasset. Quod etiam perjurii maculis notatissimus, Richardus Bellinus, ejus parasitus, eique familiarissimus, in suis *Annotationibus* in P. Poncium anno 1654 Lutetiae Parisiorum editis, quibus Ormonium purgandum suscipit, oblivioni non tradidisset. Quis porro non stupeat Ormonistarum insaniam, qui tam insignem et notorium proditorem tanta animorum contentione in Proregem iterum anhelarint, et contra faederis juramentum suae in patriam pietatis, Ecclesiae, Cleri, fidei et Dei immemores, tot tantaque scelera patrarint, quo hominem illum postliminio restituerent, et in Proregis throno collocarent. Quid enim aliud ab ipso expectandum, quam ut longe libentius Catholicorum urbes iisdem perduellibus totamque reliquam Iberniam proderet. Porro illa pacis in Anglia inter Regem et Parlamentum anno superiori, cum praesidia illa Lageniensia Parlamento ab Ormonio tra-derentur, contrahendae spes, quam Ormonius hic causatur, quam inanis esset, suo loco ostendimus, tantumque abest | ut ille propter eam spem praesidia prodidisset, ut etiam capropter ser-vasset, ne rebelles Parliamentarii post adepta illa praesidia

1606

v

futuri insolentiores ab omni pacis cum Rege contrahendae voto resilirent, et Monarchiam in anarchiam convertere conarentur, sicut mundus universus futurum etiam antea praesagierat, et re ipsa (sicut videbimus) successit. Verum Ormonius illum pacis tunc in Anglia contrahendae praetextum hic causatus est instar meretricum, latronum, homicidarum et profligatissimorum quorumque nebulonum in flagranti delicto deprehensorum, qui semper aliquid mussitant, potius quam se reos esse fateantur.

(1110) 2°. Ormonius in praefata sua declaracione profitetur se religioni Protestantium ad ecclesiarum reformatarum normam stabiendi operam quam poterit maximam daturum. Quae ergo erat dementia eum in Confaederatorum Catholicorum Proregem admittere, praesertim jam ob ea, quae ad annos superiores retulimus, Clero et fautoribus infensissimum, postquam ultima Regni Comitia decrevissent, ut non aliis quam Catholicis in Proregem admitteretur.

(1111) 3°. Ibidem manifestat Ormonius se Regni rebelles, quotquot Majestatis legibus ab ea per se eum in finem missis obsequi detrectaverint, etiam cum vitae discrimine suppressurum. Ex quibus verbis colligendum est Ormonio in mandatis datum ut certas conditiones cum ipso missas Catholicis offerret, illisque recusatis eos *supprimeret*. Itaque Ormonius accessit non ut | cum Catholicis pangeret sed intruderet, quam ipse vellet, et in 1607 mandatis habere se diceret, pacem, de sua factione jam securus et Insequinnii atque ejus exercitus brachio fatus, qui ipsorum declaratione ad ineuntem Aprilem edita et superius posita protestati erant se in vitae discrimen Regni rebellibus (quo nomine illi sicarii Catholicos intelligebant) suum Regi obsequium, quocumque ille modo requisitus esset, denegaturis restituros. Ex quibus obiter colligendum est Nuncium, Clerum, et fautores induciarum conjurationi prudentissime justissimeque intercessisse, ab initio judicantes futurum ut illa conspiratio ad iniquissimam pacem intrudendam medium esset efficacissimum nisi obviaretur. Per quos autem stetit quominus occurreretur, ipsis vitio vertendum est cum qui generose occurrendum duxerunt, partes egerint suas, licet (ut videbimus) prae aliorum Catholicorum ignavia et perfidia non praevaluerint.

(1112) 4°. Considerandum est quanta Ormonius ibidem nefario Insequinnii exercitui, in cuius medio pene declarationem illam Corcagiae edidit, pollicetur, non nisi in maximam Catholicorum perniciem praestanda, et de facto liberaliter praestita, ut Catholici suis ipsorum impensis ad servitatem redigerentur.

1607

v

(1113) Eugenius O Nellus, ejusque exercitus atque alii Nuncii et Cleri fautores existimarentur, Ormonio appulso, atque hac nefaria ejus declaratione edita, multis eorum Catholicorum, qui consilio hactenus in induciarum controversia morem gesserint, opertum iri oculos, foreque ut saltem exinde in Concilium insurerent. Verum qui Ormonio specialiter studerent actum illud asseverabant eo tantum | spectasse, ut haeretici Anglicani sub Insequinno in Momonia stipendia facientes, quos Ormonius *Protestantium Momoniae exercitum* ibidem vocat, ad Parlamentum Anglicanum non desciscerent, quasi suspicantes Ormonium parentibus Catholicis natum, tot tantisque Iberniae Catholicis agnatione, cognitione, et affinitate conjunctum, a Regina Angliae singulariter Catholica ex Gallia missum, et Catholicismi splendore in Francia recens illustratum in Iberiam remigrasse ut Clero populoque in Ecclesiae et religionis Catholicae favorem nihil denegaret, addebatque illorum haereticorum animos illo acto velut prudentissimis quibusque Catholicorum conniventibus edito ita fuisse sopitos, ut penes se et reliquos Catholicos esset nunquam cum Ormonio pacem absolvere, nisi iis cautionibus et praecautionibus, quibus Ormonio nolente volente fidei atque Ecclesiae in Ibernia pro praesentium temporum calamitate stabiliendae optime prospiceretur. His atque aliis millenis id genus cantilenis politicis Ormonistae plurimos alias cordatos et sinceros Catholicos fascinarunt, quo factum ut nullae vel prope nullae novae copiae Ormonii et machinationum ejus horrore Nuncii tunc partibus atque Eugenii O Nelli viribus iterum alias aggressuris acreverint. Quid autem paulo post appulsum

1608

Relat :
Cap. 35.

Ormoniae Marchioni successit, te | Nuncius docebit. "Vix (inquit) Marchio paucis diebus ad conferendum cum Insequinno Corcagiae commoratus, exinde ad suum nobile Carrigiae palatium juxta fluvium Surium positum pedetentim se contulit, inter viam significans se venisse missum a Regina, quo aliquam iniret rationem, qua res Ibernicas componeret. Carrigiae solemnem a Comitiis Kilkenniensibus recepit legationem, cuius princeps fuit Archiepiscopus Tuamensis, eorum omnium, qui debitam Sedi Apostolicae reverentiam oblivioni tradentes nullam sacrilegiae violentiae artem non patrarunt, antesignanus, et tamen is ipse, qui evidenter caeteris mihi promiserat se nunquam consensurum ut idem Marchio revocaretur. Publica verborum urbanitas eo spectavit ut Kilkenniam invitaretur. Verum modo secreto eum certum reddiderunt partem Ecclesiasticam, in quam Marchio

majori odio flagraret, tam tenui apud Comitiorum animos tantopere in ipsum bene affectos pollere authoritate, ut se mox in viam dare non deberet dubitare. Ille ergo deposita omni larva, et jam Proregem gerens, nullo cum applausu Kilkenniam non intravit." Haec Nuncius ; quibus addendum est ipsam Ormonii domum Kilkenniensem, a Catholicis antea in Castrum tot annos et in supremi magistratus praetorium indutam, ei fuisse traditam, et cum eo intromissos centum Calvinistas, | cum quibus atque 1608 aliis Ormonii sequacibus haeresis Kilkenniae pedem iterum ^v fixit, ubi antea tot Cleri, Comitiorum Generalium, et Concilii Supremi decreta per plures annos lata vidimus solemnibus juramentis roborata, et eo spectantia ut exclusa haeresi fides Catholica non Kilkenniae modo sed etiam in tota Ibernia triumpharet. Posuerunt illic gentem peccatricem viros iniquos et convaluerunt in ea. Et posuerunt arma et escas et congregaverunt spolia Jerusalem et reposuerunt illic. Et facti sunt in laqueum magnum. Et factum est hoc ad insidias sanctificationi et in diabolum malum in Israel. Nam re ipsa, ex quo Ormonius inter rerum, temporum, et personarum circumstantias tunc dominantes Kilkenniam eo modo introductus erat, causa Catholica per totam Iberniam corruit, et haeresis atque haeretici iterum per universum Regnum victoriam reportarunt, remanente exinde Confaederatorum Catholicorum corpore instar hominis extremo morbo laborantis, nondum quidem usquequa mortui, sed moribundi, et sensim sine sensu languentis, tabescientis et cum morte lenta ita colluctantis ut demum prorsus expiret. Quo spectans Episcopus Fernensis in sua Apologia Romae postea anno 1653 Sacrae Congregationi tradita : " Illi, illi (inquit) qui consulto Ormonium e Galliis vocarunt in Iberniam ad Imperium, quod erat grande piaculum, (hinc enim radix in illa natione malorum, hinc fons omnium misericarum, hinc imposita viris probis necessitas multa mala tolerandi, hinc semen omnium | discordiarum) parent se ad respondendum Deo pro sancta religione labefactata, patria perdita, libertate eversa, tot millibus animarum in exilium ejectis, et pro tanto profluvio Christiani sanguinis." Sic ille.

(114) Ormonium in faba cudenda cum suis Ormonistis Kilkenniae occupatum relinquamus, ad ipsos reddituri, ubi alia ad narrationis seriem spectantia retulerimus. Eodem siquidem mense Octobri Scotti rursus ex vicinia Sligoensi egressi magnam ex Conacia praedam abegerunt, mirantibus omnibus, quod non nisi in eos Catholicorum solos saevirent, qui Concilio obtemper-

i. Mach.
I.

1609

Diar. ad
 14 Oct.
 1648.

arent. Interea Eugenius O Nellus in Midia Occidentali cas-
 tratatus, illam viciniam, quia majore ex parte a Catholicis
 sibi adversantibus habitandam, reddebat tributariam, et praeser-
 tim Dillonos male multabat. In qua digressione militari P.
 Thomam Makiernanum, Franciscanorum strictioris observantiae
 in Ibernia Provincialem, a Clanricardio antea captum, in liber-
 itatem vindicavit. Quo facto, in Comitatum Longfordensem se
 recepit, et circa faederatos Ultoniae Catholicos, praesertim
 eos qui in suo exercitu militarent, circaque eorum familias et
 armenta convenit cum ejusdem Ultoniae Scotis, ad quos ea mente
 Episcopum Clogherensem destinaverat. Quod pactum haud
 aliud fuisse crediderim, quam mutuam hostilitatis suspensionem,
 et permissam utrinque certis conditionibus temporariis degendi
 in Ultonia libertatem. Conquerens autem de Eugenio Nuncius:
 "Verum (inquit) quidem est, quod si | O Nellus (sicut saepius
 creditum erat) saltem aliis ex Momonia viam aperturus in Cona-
 ciae Provinciam intrasset, ego (sicut cogitabam) hoc exercitu
 suffultus non nisi tardius abscessissem. Sed ille neutiquam illo
 intravit: quinimo non sine maxima admiratione successit,
 quod per quindecim dies, quibus ob aliqua vectigalia, quae
 Clanricardius praetendebat, civitas Galviensis obsessa fuit,
 Ultonienses illo tunc penetrandi voluntatem non demonstrarint,
 dum nemo sibi non persuaderet Clanricardium (quod tamen
 mihi nullatenus constat) sub pecuniae praetextu Nuncii personam
 voluisse. Qui respectus tantopere crevit inter Ultonienses ut
 cum eos puderet, quod nullum ejus rei indicium praesetulissent,
 demum Tribunus Rogerus Maguirius, bellator praestantissimus
 et perfectissimus Catholicus, ubi meas O Nello molestias probro
 dedisset, ab eo, quo sibi viam in Provinciam patefaceret, duo
 peditum millia obtinuerit, et paucarum horarum spatio Druim-
 ruiskiae Castellum expugnarit. Inter quem insultum dum
 stricto gladio in omnium fronte suos animaret, bombardae jaculo
 occubuit. Quae mors adeo exercitui infausta fuit, ut postea
 Provinciae, ubi omnes ei adhaerentes animum desponderunt, et
 Nunciaturae (nam id me ad discedendum adegit) inutilis evas-
 erit." Haec Nuncius, ex cuius hic verbis prima fronte lectori |
 intelligendum videtur Rogerum tunc movisse ut illam Galviae
 obsidionem antea a nobis relatam dissiparet, et ipsum Nuncium
 a Clanricardio liberaret. Quod tamen re ipsa nec Nuncius dicit,
 nec verum est. Nam 6° Septembris Galvienses pecuniam illam
 Clanricardio numerarunt, et ille mox obsidionem solvit, cum
 Rogerus non nisi duobus circiter mensibus interjectis sequenti

1609

v

Relat:

Cap. 33.

1610

Novembri ad Druimruiskiam occubuerit. Porro Nicolaus Bernus, illius exercitus Ultoniensis tunc Vicarius generalis, in suo MS. Anglicano Romae postea anno 1654 scripto tradit, Eugenium O Nellum in id totis viribus incubuisse, ut Nuncii causa Galviae a Clanricardio obsessae opem ferret, sed promissas fuisse cymbas, quibus copias Sinenum, fluvium, subito trajiceret, et Tomonienses ac vicinorum Comitatuum indigenas spopondisse se cum exercitu competenti ex ea fluminis ripa, quae ad Conaciam spectat, ipsi praesto futuros, nec tamen cymbas nec vires fuisse suppeditatas, excepto Moriarto O Brien, qui cum aliquanto equitatu partes egerit suas. Denique his detrimentis non obstantibus, Eugenium id effecisse ut pars exercitus scaphulis, quae solae subministratae, flumen trajecerit, cui, aliis necdum ad opem ferendam sequi valentibus, hostes re explorata non nullam jacturam intulerint. Exindeque Eugenium declinandi majoris damni causa | jussisse ut sui receptui canerent. Haec ex Berno retuli, 1610 lectoris judicio relinquens quo pacto ea stare possunt cum iis, v quae Nuncius loco jam citato tradit, de Eugenio queribundus. Sed verum est susceptum tunc fuisse ab Eugenio bellum difficillimum. Nam cum tot tantosque haberet hostes, partim Catholicos, partim haereticos, ipsi non suppetebat alias belli nervus quam Catholicorum bona et subsidia Pontificia. Horum autem quam tenuis Nuncio ad istorum motuum primordia superesset summa, et quam multi credidores pecuniam a se mutuo antea datam exinde detrahendam sperarent, diximus et dicemus. Quibus licet non omnibus, ne Concilio quidem satagente, satisfactum sit, nihilominus in Nuncii rationibus accepti et expensi non occurrit Eugenium atque ejus exercitum toto illo anno 1648 a Nuncio plus accepisse quam triginta tria librarum Turonensium millia, partim pulvere nitrato, partim pecunia numerata. Ad quam etiam computationem (sicut aliunde colligo) educatur necesse est, siquid (exceptis armis Antrimio traditis) Nuncius aliis viribus a se inter illas induciarum discordias stantibus et ab Eugenii exercitu segregatis numeravit. Nec aliis numerasse invenio nisi forsan viribus Conaciensibus superius memoratis ducentas circiter libras Anglicanas vel numerato vel aestimatione, idque Eugenio commendante. Nec dubito | quin Eugenius 1611 aliique pro Nuncio facientes existimarint ipsi fuisse unde bellum illud sumptibus Pontificis potentius secundaret, nec ille minus a Summo Pontifice, vel certe ab aliquo alio Principe extero juxta ultimorum Comitiorum decreta per legatos Romam atque in

Galliam missos in Regni protectorem asciscendo magnam rei numariae vim cum inducias prohiberet, expectabat, qua suorum fautorum spei responderet, et eorum in Ibernia conatus prosperaret. Qua spe possessus Cardinali Panzirolo scire cupient, quibus modis subsidia Pontificia in Iberniam ex Urbe melius transportarentur, tres vias aperuit. "Una (inquit) est ut duae fregatae Liburnum vel Centumcellas destinentur, quo pecuniam praesentem advehant. Nam non incurrit nec pericula nec naufragia majora iis, quae ex Gallia hucusque imminent. Secunda est ut pecunia per Hispaniam transmittatur. Ubi credo non futura tanta impedimenta, nec opus fore tot extrahendi licentias quot in Gallia. Ultima est ut hic pecunia accipiatur, et apud Galviam solvenda curetur. Nam licet magnum pateretur cambium, libera tamen esset ab omnibus fastidiis." Haec ille notis secretis Waterfordia 6° Aprilis, 1648. Ex quibus constat et Pontificem, etiam ante legatos Romam hoc anno missos fuisse, paratum ad ampliora subsidia transmittenda, | et Nuncium haec expectasse. Verum tota haec spes evanuit Ormonii et Ormonistarum molitionibus, quibus factum ut Pontifex prodigenda incassum sua pecunia supersederit, ne subsidia Pontificia non ad fidem sed haeresim propagandam adhiberentur, ad Ormonii nutum, qui in Ormonistas dominabatur.

1611

v

Reg :
p. 675.

Caeterum Nuncius P. Josephum Arcamonium, Theatinum Italum, sibi a confessionibus, quem ex Ibernia Romam ad suam adversus induciantes causam prosequendam destinabat, Cardinali Panzirolo notis secretis 9 Novembris 1648 commendans : "Eminentia (inquit) Vestra dignetur ab eodem Patre intelligere quid competenti pecuniae summa in hac occasione praestitutum fuisset, sicut ea ego uti designabam." Haec ille. Ex quibus forsitan collendum est eum inducitis occursum non fuisse, nisi has suppetias expectasset, quae si suppeditatae fuissent, fides Catholica non in Ibernia modo, sed etiam postea per vires Ibernicas in Anglia et Scotia triumphasset. Et licet Innocentii X. paternam affectionem, curam pastoralem, ac liberalitatem in eo bello Ibernis demonstratam satis efferre nequeamus, stupendum tamen est quod in epistola nuncupatoria suaे Geraldinorum Relationi praefixa tradit P. Dominicus O Dalyus, nempe quod Eminentissimus Dominus Cardinalis, Franciscus | Barberinus, Urbani VIII. ex fratre nepos, Iberniae subventurus se ipsum in persona ad legationem obeundam, bellumque suis sumptibus dirigendum obtulit. Stupendum (inquam) est quod Pontifex

1612

Innocentius hanc Cardinali Francisco non fecerit potestatem, magisque stuporem parit quod saltem post Nuncii ex Ibernia regressum eam eidem Cardinali ob diuturnum patrui Pontificatum pecuniosissimo licentiam non concesserit. Idem enim de eodem Ecclesiae Principe loquens : “ Verum (inquit) et illud nunquam memoriam meam praeterire poterit, quod Romae anno Jubilaei (1650) ipsum quingentorum mille aureorum summam in subsidium Ibernicae nationis offerentem audierim.” Haec ille ibidem. Nec dubito quin Cardinalis suas in Iberniae subsidium pecunias, praeterquam ea lege ut ipse in Legatum mitteretur, non obtulerit, nec minus mihi persuadeo Pontificem non illis subsidiis sed sub ea conditione Iberniam donari noluisse. Verum hoc admirationem quidem attenuat, sed non tollit, quod summa illa ad vindicandam ab haeresi Iberniam suffecisset, et Ibernia semel liberata aperuisset viam ad similes in Anglia et Scotia triumphos de tot haeresibus et haereticis inter se discordibus revehendos. Attonitus tamen esse desino, cum a Pontifice et Pontifice Innocentio | in 1612
Iberniam benevolentissimo factum considero, “ qui pro suo in v
religionem zelo haud infrequeuter affirmavit nolle se unquam permittere ut Catholici in Ibernia in sancto bello suppetiarum defectu deficerent, quamvis eo esset angustiarum redactus ut pro suppetiis illis subministrandis suam cogeretur vendere infulam. Hoc inter alios testantur duo theologiae Doctores Iberni, quibus consilium suum illud revelavit idem Summus Pontifex, quorum unus merito Suae Sanctitati Alexandro VII. jam a sacellis secretioribus est. Sed laici illi, qui subsidia domestica in usum haereticorum sacrilege disposuerant, haec deforis adventantia rejecerunt.” Sunt Doctoris Enos verba, ex quibus colligo illorum duorum Doctorum Ibernorum alterum fuisse D. Joannem Creaghum, Alexandri VII. (ut videbimus) Sacellum tunc cum praefata scriberentur superstitem, sed nunc mortuum ; seque ipsum conjecto fuisse alterum.

(1115) Vidimus in Conacia non nullos illius Provinciae viros nobiles Nuncii causam adversus Concilium propugnasse. Quorum Joannes de Burgo ad ineuntem hunc annum in exercitus Conaciensis sub Richardo O Ferallo legatum generalem cooptatus, quanto (ut videbatur) zelo votum voverit Deo Jacob, et sancte sponderit se Nuncii partibus constanter adhaesurum, ipsius epistola 2º Julii 1648 ad Nuncium data et superius ex autographo posita testatur. | His promissis Joannes aliquandiu 1613 stetit. Verum post unum circiter mensem ita sententiam mutavit, ut Nuncius in suo Diario ad 19 Augusti 1648 : “ pro

v

Doctor
Enos.
Just. cap.
26. n. 9.

certo (inquit) habetur D. Joannem de Burgo, hujus Provinciae
 (Conaciae) legatum generalem, qui Ecclesiae partes palam
 amplexus erat, convenisse de transeundo ad Marchionem Clan-
 ricardiae." Sic Nuncius, quod et verum fuisse eventus docuit.
 Alii vero in eadem Provincia Ecclesiae militantes, nempe Teren-
 tius O'Brien, O Conorus, David de Burgo, Hubertus de Burgo,
 multique ex O Flahertiis et O Malliis, cum reliquis nobilibus, qui
 easdem in Conacia partes secuti sunt, hac aestate multas in ea
 Provincia excursiones militares et depraedationes exercuerunt,
 quorum Terentius O'Brien a Clanricardianis captus est, sed empta
 custodum voluntate, mense Octobri se proripuit, eodemque
 mense iterum captus, Kilkenniam raptatus, et in custodiam
 datus est, sed 13 Decembris inter noctem non nullis Kilkenniae
 aedibus, quae non imbricibus vel scandalis sed culmo tectae
 essent, ad carcerem deflagrantibus, hac publicae confusionis
 occasione evasit. O Flahertii autem atque alii nobiles Conacien-
 ses, nongentos circiter milites sub vexillis habentes, assumpto
 in rei bene gerendae collegam Joanne Vangyrishio, Tribuno,
 natione Germano, nocte diei 20 Octobris quoddam castellum in
 1613 v fluvii Galviam alluentis ripa situm, a duobus retro mensibus | a
 Clanricardio Galviae fraenandae causa munitum, urbique vicinum,
 quod (ni fallor) vernaculae *Dangain* nuncupatur, aggressi sunt.
 Locum illum uno lapide ab urbe Galviensi distantem tenebant
 Clanricardiani, in occidentalem plagam excursuri et flumen
 utrinque occupaturi. Sed Vangyrishius aliquot machinis tanta
 vi portam concussit, ut apertis valvis milites irruperint.
 Praesidiarios quoque infectis sulphureis jaculis facibusque dissipa-
 vit, aditumque fecit liberiorem aggressoribus, quos praesi-
 diarii sclopis, hastis, contisque repulsare conati sunt. Sed
 machinarum verberatione ingruente Castellum dediderunt,
 duabus tantum militibus inter victores desideratis. Aggressores
 ibi in balistas atque alias manubias involarunt, sed non in pulve-
 rem nitratum, quem victi, cum deditioinem facturi essent, ex
 industria, ne victoribus in praedam cederet, injecta flamma
 absumperant. Porro victores mox Praetori Galviensi signi-
 ficarunt se locum illum in urbis securitatem expugnasse. Quare
 etiam paucis post diebus cives suae ipsorum voluntati relictum
 ne ulterius civitati fraenum in os injiceret, solo aequarunt.
 Septima autem deinde die hanc victores epistolam Nuncio Anglice
 scripserunt :

" Illustrissime et Reverendissime Domine.

(1116) " Illustrissimae Dominationis vestrae consilium

humiliter rogamus, ad militandum ulterius animo libenti in Catholicae et Romanae religionis defensionem, quo scilicet modo imposterum procedere debeamus. Hactenus | omnibus hostibus 1614 istam provinciae partem tam in castris quam in praesidiis purgavimus. Conditio in qua versamur talis est ut patria ad extremam paupertatem redacta cum sit, amplius nos sustentare nequeat, nec nobis ipsis suppetat unde potenti hosti extra hunc tractum occurrere valeamus, quod milites vestibus et armis careant. Aliunde vero si subsidii inopia exautorati fuerint, id hosti animum addet, quo hoc territorium belli sedem efficiat, omnesque nostros amicos patrio solo extirpet. Adhuc semel Illustrissimam Dominationem vestram obtestamur ut nobis et consilium et opem praebeat in eo quod vergat in Romano-Catholicae religionis utilitatem. Finem facimus.

Datum apud Roscahillum,
27 Octobris 1648.

Illustrissimae et Reverendissimae Dominationis vestrae
servi ad obsequium usque ad mortem

Joannes Vangyrishius. David Bourkaeus. Thadaeus
O Flahertius. Brenus O Flahertius. Eugenius O
Flahertius. Thomas O Mally. Hubertus Bourkaeus.
Moriartus P Flahertius. Edmundus O Flahertius.
Rogerus O Flahertius. Thadaeus O Flahertius.
Thadaeus O Mally."

(1117) Postridie secundas ad Nuncium literas dedere, ex quibus colligo quem ipsis pridiana postulatio fructum pepererit, nempe respondisse Nuncium se | antea non nullas suppetias 1614 ipsis elargiendas Terentio (opinor) O Brien Tribuno praebusse. v Secundam illam epistolam pariter Anglice scriptam Latine verto :

" Illustrissime et Reverendissime Domine.

(1118) " Intelleximus Illustrissimam Dominationem Vestram dignatam fuisse his cohortibus pecuniae summam septuaginta libras sterlingas elargiri a Tribuno O Brien nobis numerandas. Quare Illustrissimae Dominationi Vestrae gratiarum millionem offerimus, licet nunquam ex ea pecunia nisi novem libras et aliquot supra triginta bombardas acceperimus. Quod si illo tempore Illustrissima Dominatio vestra nos animasset, vel caeptis aspirasset, in eo essemus rerum statu, ut in potissima Provinciae Conaciae parte rerum potiremur. Illustrissimam Dominationem vestram humiliter rogamus ut nobis in eo quod professi sumus plene imperet, cum jam etiam parati simus ad

sacrificandas vitas in Catholicae et Romanae Ecclesiae defensionem.
Sic omni cum obsequio finem facimus.

Datum apud castra nostra,

28 Octobris 1648.

Illustrissimae et Reverendissimae Dominationis vestrae
Humiles et obedientes servi ad obsequium usquead mortem
Thaddaeus O Flahertius. Eugenius O Flahertius.
Rogerus O Flahertius. Brennus O Flahertius. Thadaeus
O Mally. Thadaeus O Flahertius. Moriartus O Flaher-
tius. Thomas O Mally. David Bourkaeus. Hubertus
Bourkaeus."

(1119) Paucis diebus post scriptam hanc epistolam hi mense |

1615

Novembri cum suis cohortibus, duce Vangyrishio jam dicto,
Araniam Insulam Conaciae objacentem, et pauculis milliaribus
in Oceano distantem, cujus cura *Roberto Linchaeo* demandata
est, intercepserunt. Ubi repertis in militum annonam pecuariis
atque aliis vitae sustentandae commodis, castrum antea ab aliis
caeptum absolverunt, et Clero atque Eugenio O Nello adhaesuri
praesidarii munierunt.

alias
Robucco

(1120) Antrimiae Marchio mense Octobri post Ormonii
appulsum ad Nuncii partes palam transiit, et cum aliquot copiis
Iberno-Scotis in agro Wexfordensi in Concilium atque Ormonistas
et haereticos ipsis associatos insurrexit. Tradit etiam Nuncius
aliquot cohortes Iberno-Scoticos ex Prestoni exercitu ad eundem
Marchionem transfugisse. Verum in has Antrimii vires movit
Mac-Thomas, quas partim confecit, partim cepit. Quo viso
Antrimus eo angustiarum redactus est, ut ad mensem Novem-
brim, fide publica Dubliniam, ubi a Jonio honorifice receptus est,
se contulerit, exinde in Ultoniam progressus. Quem Ultoniae
Comitia provincialia in sui exercitus praefectum generalem
cooptarunt, eique Eugenium O Nellum in legatum generalem
designarunt. Quod ille munus modeste renuit.

*Diar. ad
9 Decemb.
1648.
Ibid. ad
6. Jan.
1649.*

1615

v

(1121) In Momoniam transeo. Ubi Insequinnius pseudo-
Concilio consentiente, ad horum motuum circa inducias ortorum
initium Castrum Mangii fluminis in Comitatu Kierriensi obsedit.
Mangium illum fluvium, ubi cum mari inter fluxum commiscetur,
olim Iberniae | sub Angliae corona proreges, iique (credo) ex
Fitz-Geraldis, quo Mac-Cartios, Momoniae reges, si non jugo
Anglicano subigerent, certe debilitarent, ponte lapideo munierant
adeo solido et perenni ut eum superstructo Castro in basim
straverint. Quod a parte australi ob fluminis subinde exunda-
tionem et exuberantem inter plenilunia maris aestum, nec non

imum loci situm, proindeque humiditatem atque uliginem sursum magisque deorsum late patentem, nisi a pago multis stadiis dissito, obsideri continuo non potest, sursum deorsumque flumine satis ad defensionem lato profundoque et identidem confuso Oceani accessu, pontis concamerati fornicibus atque arcibus per intervalla distincto, munitur. Ad aquilonem sursum deorsumque fluminis et maris frequens inundatio, sicut ad alteram ripam vallat. Recta vero ob Castri januam aquilonarem accessus siccior est, quia pauxillum ripis humidis eminentior, ibidemque altera emporii pars, eaque longe frequentior habetur, sed in quam Castrum prospectu atque editiore structura dominatur. Caeterum tormenta bellica, quibus solis dejici posset, quis eo terra transvehenda curet interpositis subinde ex omni parte, unde suppeditarentur, paludibus per multa passuum millia desperatis et praeruptis ac montibus sibi per paludum intervalla succendentibus, quorum non nulli ipsis nubibus bellum cacumine minentur. Mari autem | transportatio difficilis est, quod ille oceani sinus per 1616 multas leucas ita duobus hinc inde longo flexu promontoriis cingatur ut syrtibus scateat, quae navigantibus, etiam expertis, sunt periculosa, cum mare ibi vadosum sit, arenae vehens cumulos, qui loci faciem vicissim immutant, dorsaque et brevia in alia atque alia loca transferunt. Vento etiam ante appulsum variante atque ad dexteram vel sinistram impellente, saepe naufragium imminet, quod subinde rarus sit locus, in quem tuto a linea recta deflectatur.

(1122) Castrum illud hoc situ ab ipsa natura munitum nobilissimus vir Daniel Mac-Cartii, illius Mac-Cartii Magni (quem ex Desmoniae Principe in primum Clancartiae Comitem regina Elizabetha salutaverat) ex Daniele filio naturali, eoque a suis aliquandiu in Desmoniae Principem salutato, pronepos, ad belli initium intercesserat, et haereticis eruptum atque hactenus praesidio munitum tenuit, semper Iberniae Clero et Nuncio, ex quo in Regnum appulit, adhaerens, atque adeo Eugenio O Nello, cuius ex Arto fratre nepos longe dignissimus, postea O Nellorum familiae Princeps et Tironiae Comes, Hugo O Nellus, ejus fuit amitus, matre natus Evelina Mac-Cartia. Clerus etiam quanti Danielem, tanquam causae Catholicae in eo tractu | columnam fecisset in sua cum Concilio contestatione Kilkenniae ad finem 1616 Aprilis ostendit. Nam damnatis 27 Aprilis induciis, rogatus a Concilio Clerus, ut ostenderet in quo induciae conscientiae legibus adversarentur, quinque superius positas fecit objectiones, quarum tertia continet inter alia quod Danielis Mac-Cartii in

Clerum propensi latifundia ab assignandis Insequinnio limitibus non exciperentur, cum tamen alii, quibus forsan Concilium plus studeret, illa immunitate ab eo donandi censerentur. Concilium autem Danieli parum favisse ex ejus ad illam objectionem responsione satis liquet. Inter septem etiam conditiones a Nuncio ex Episcoporum ipsi assistentium et Eugenii O Nelli deliberatione ad Concilium ideo 13 Maii Mariamburgo missas ut iis concessus, nec secus induciae utrinque ratae haberentur, 6a fuit haec : "ut castra existentia in potestate Catholicorum in Momonia, et nominatim Castrum de *Mainge* in Comitatu Kierri cum ejus territorio maneat exclusum a jurisdictione omnimoda et contributione danda D. Baroni Insequin aliisque adversariis durante cessatione." Hactenus illa conditio. Concilium autem inter sua responsa Nuncio induciis jam contractis et promulgatis 23 Maii : "ad 6am (inquit) respondeatur Castello in Maingo flumine sito ita provisum esse ut in custodia illius, a quo nunc tenetur, durante hac cessatione | securum sit." Sic Concilium. Verum nedum in Nuncii Diario ad 22 Aprilis lego Insequinium, dum de contrahendis induciis ageretur, Danieli Mac-Cartio vim intulisse et Danielem ei viriliter restitisse nec parvam ejus militum stragem edidisse, sed etiam constat induciis jam contractis idem Castrum ab Insequinnio arctius obsessum pressumque fuisse. Nec propterea Concilium promissis non stetisse affirmaverim. Nam induciis et censuris promulgatis, non dubito quin Daniel palam Nuncii partes sustinuerit. Quae (credo) causa fuit cur Concilium Insequinnio illam obsidionem vel continuandam vel resumendam permiserit. De qua Nuncius in Diario ad 22 Junii 1648 : "Ex Momonia (inquit) non occurrit res magis notatu digna quam multorum mensium obsidio Castri Mangii, quod Baro Insequiniae in Comitatu Kierriensi premit, nec Daniel Mac-Carty minus strenue defendit. Affirmantque Baronem nullo adhuc facto progressu quingentos ex suis perdidisse." Sic ille.

(1123) In Castro sub Daniele praesidebat Lucas O Falvaeus, eximia animi magnitudine et integerrima in Danielem fide, nedum perspicaci ingenio beneque exculto praeclarus. Nec minorem laudem merebantur tres germani fratres ex O Leinorum familia, Thaddaeus, Thomas, et Aengusius, qui in illo Castro defensando et millenis aliis experimentis intemeratum Danieli obsequium | adhibuerunt. Non homines, sed viri, toti lacertosii, ex nervis et ossibus compacti, et robustissimi gladiatores, ad pugnas ita nati ut ipso aspectu terrorem incuterent. Daniel autem cum aliquot cohortibus a se stantibus per agrum

Desmoniensem digrediens, nullum non movebat lapidem, quatenus obsidentes annona commeatuque intercluderet, et obsessis, qui, quod Castrum defensu facillimum esset, pauci erant, nec nisi sola fame premi poterant, subveniret. Doluerunt sane et mirati sunt non pauci quod Eugenius O Nellus vel hujus obsidionis solvendae causa juxta spem datam in Momoniam interiorum non penetrarit. A qua sententia cum declinasset, Daniel Concilii atque Insequinnii viribus obrutus quid potuit? Praesidiarii tamen extrema quaeque passi sunt. Sed Luca demum inter obsidionem mortuo quid successerit, Nuncius in Diarium ad 11m Novemboris 1648 retulit: "Fortis (inquit) locus, Mangii fluminis Castellum, in Comitatu Kierensi ab haereticis octo menses continuos obsessus enormi eorundem haereticorum perditus est perfidia. Obsessi, quo praefectum in sepulturam darent, fidem publicam postularunt, quam et obtinuerunt. Verum ubi defuncto parentassent, haeretici regrediendi potestatem facere detrectarunt, dicentes se tantum egrediendi facultatem promisisse, et sic Castrum deditum fuit." Haec Nuncius. Alios in Momonia motus | successisse video, sed exacta 1618 eorum relatio ad meas manus cum nondum pervenerit, eam scribendi messem aliis relinquo. Caeterum Faederatorum fregatae hac aestate multas Anglorum naves cuperunt.

(1124) Diximus superius Wexfordiam aliquandiu inducias cum Insequinno initas rejecisse, deindeque a Concilii copiis pressam easdem admisisse. Verum postea cum haec violentia cessasse et Eugenii O Nelli exercitus fortis esse videretur, ad ineuntem Octobrim Wexfordienses et Duncaniae propugnaculum easdem inducias repudiasse Nuncius tradit. Praeterea Praetor Galviensis recens electus, et eorum, qui inter Galvienses induciis non adhaesissent, praecipui, ad initium Octobris Nuncio libellum supplicem Anglice exhibuerunt, quem hic ex originali Latine verto.

Diar. ad
7m. Octob.
1648.

"Illustrissimo D. Joanni Baptistae Rinuccino,
Archiepiscopo et Principi Firmano, Suae Sanctitatis
ad Iberniae regnum Nuncio extraordinario, humilis
petitio infrascriptorum habitatorum Galviae.

(1125) "Illustrissimae Dominationi vestrae humiliter exponitur nos Dei gratia ab incapta hac commotione constanter et sincere perstisset in vera, Catholica, et Romana religione defendenda conservandaque, pro nostro in Deum atque ejus

1618 Ecclesiam obsequio, | non obstantibus quibuscumque oppositionibus, communicationibus, malorum denunciationibus, aut facta nobis violentia, gravibusque damnis, quae in nostris bonis, pecuariis, redditibus, negotiationibus, et fortunis pertulimus. Quare velut Illustrissimae Dominationi vestrae, pastoribus nostris, atque aliis e Clero obedientes filii, non solum juxta vestra praescripta nuperam pacem cum Marchione Ormoniae (anno 1646) contractam rejeceramus, sed etiam nostris suffragiis et sententiis, initae cum Insequinniae Barone armorum cessationi, restitimus. Nihilominus, in maximam nostram animi afflictionem et dolorem, videmus nos divinis officiis et sacris intra nostras ecclesias et capellas privari, et tanquam sontes involvi justa paena generalis et localis interdicti, quod Illustrissima Dominatio vestra inflixerat. Quapropter Illustrissimae Dominationi vestrae, animis demisis, supplicamus, ut generale et locale interdictum ab Illustrissima Dominatione vestra publicatum relaxare dignetur, et permittat ut parochiani imposterum ad Dei gloriam atque animarum salutem suarum ecclesiarum et sacerdotiorum beneficio et consolatione gaudeant, qui et semper orabunt.

Joannes Blakus Recordator. Walterus Blakus Praetor electus. Dominicus Martinus Vicecomes Urbanus. Petrus Brounus Vicecomes Urbanus," &c. |

1619 (1126) Huic libello supplici praeter hos, quos hic legis, alii tam superioris quam inferioris ordinis Galvienses circiter ducenti subscriperunt, quorum nomina brevitatis studio ex industria non inserui. Porro omnium votis acquiescens Nuncius 8 Octobris, die Dominica, 1648, novo magistratu atque universo populo praesente, interdictum Galviae ita relaxavit, ut circa eos inter Galvienses qui antea inducias amplexi erant, in suo vigore excommunicationem reliquerit. Hoc autem facto ipse Missam solemnem celebravit, eodemque tempore aliae urbis ecclesiae campanas pulsarunt. Parumque dubito quin haec, quae dixi, Kilkenniae audita id effecerint, ut Richardus Blakus pseudo-Comitiorum Generalium tunc sedentium nomine suam praefato Praetori Galviensi epistolam 16° ejusdem mensis Kilkenniae datam scripserit, qua ipsi praecepit ut conditiones, quibus ante Marchio Clanricardiae suam Galviae obsidionem solverat, observaret, nec Nuncio nec ejus fautoribus aurem praeberet.

(1127) Constat ex primo induciarum articulo eas fuisse duratas usque ad Kalendas Novembris, quo tempore finito ex variis Iberniae locis habitus est ad Nuncium recursus, ut ecclesias

interdicto clausas aperiendi et sacra (sicut anterius) peragendi potestatem faceret. Ac 1° quidem quid a Limericensibus gestum sit dicam. In illa ergo civitate censuris cum litteris, quas Nuncius primo Junii dederat, acceptis, Vicarii | Generales, absente 1619 apud Kilkenniam Episcopo, aliique ecclesiastici subsequente v festo, quod in 4m Junii incidit, censuras promulgarunt, et religiose observare caeperunt. Octavo autem a promulgatione die Episcopus, qui Concilio in Nuncium studebat, Kilkennia Limericum appulsus, utrumque Clerum Limericensem congregandum curavit, et duas epistolas, 15° Junii datas, unam a se et Clero, alteram a se solo scriptam Nuncio misit, quibus rogatus est humiliter Nuncius ut ob rationes ibi tactas et suo loco superius positas dignaretur censuras Limerici suspendere, quas tamen non suspendit ob rationes longe meliores, imo optimas. Quo viso Episcopus ecclesiae Cathedralis valvas antea a Vicariis Generalibus p[re]ae censurarum reverentia clausas audacter reseravit, et censuris spretis divina mysteria pro libitu celebravit magno bonorum omnium scando, qui ab eo imitando abhorruerunt. Porro dictae communi Cleri Limericensis epistolae haud subscrispsisse video Vicarios Generales, quorum D. Joannes Creagh[us] Limerico ad Nuncium 6° Augusti 1648 scribens : "Pro relaxatione (inquit) publici interdicti ingemino preces ; multum enim patimur (ut alias scripsi) propter illud. Patres Societatis Jesu mutata sententia, interdictum observant. Non enim Oratorium nisi in festo sui Patroni, S. Ignatii, et hodie in Dominica infra ejus octavam aperuerunt, licet mandatum habuerint in contrarium a P. Mallonio." Sic ille, cujus postulationi tunc Nuncius | jure merito non acquievit, qui tamen postea in suo 1620 Diario ad 11m Novembbris 1648 : "D. Nuncius (inquit) postulantibus omnibus Limerici ecclesiasticis, dignatus est tollere in illa civitate interdictum, habita a laicis fide acceptationem treugae prius factam fuisse quam sua[re] Dominationis Illustrissimae mandatum scirent, deindeque eam a vicinis exercitibus illatam violentiam, ut easdem inducias nunquam revocare potuerint." Sic Nuncius. Kilkenniae vero illi religosorum Ordinum conventus, qui interdicto hactenus, spretis Concilii Supremi minis, morem gesserant, Nuncio supplicarunt his verbis communi epistola contentis :

"Illustrissime ac Reverendissime Domine.

(1128) " Post sacrarum manuum vestrarum oscula. Neces-
sarium duximus significare ac humiliter praesentare Illustrissi-

1620

v

mae vestrae Dominationi praesentes nostras angustias et pericula, ut tempestive nobis ob Dei et religionis zelum succurrere dignetur. Scripsimus ante aliquot septimanas Illustrissimae vestrae Dominationi quod Supremum Concilium firmiter decreverit, nos ex nostris monasteriis et oratoriis ejicere, si non celebraremus publice et apertis ecclesiarum portis, uti fit caeteris ecclesiis hujus civitatis, et submisse rogavimus ut Illustrissima Vestra Dominatio dignaretur considerare manifestum illud nostrum periculum, damnumque nostris inde Religionibus oborturum. Sed litterae nostrae erant interceptae ac detentae per Supremum Concilium. Unde crescente nunc iterum | periculo cogimur denuo ad Illustrissimam vestram Dominationem pro remedio recurrere, quod suppliciter postulamus, et confidenter a vestra gratia expectabimus. Nam certo certius (uti nobis jam significatum fuit) ex nostris conventibus expellemur, modo nos ecclesiae Cathedrali et caeteris hujus civitatis non accommodabimus. Etsi nullum aliud esset periculum, ipsa certe annonae penuria nos hinc expellet, nisi Vestra Illustrissima Dominatio voluerit nostras respicere calamitates et miserias, nosque ab interdicto ac divinorum cessatione quam citissime absolvere. Eleemosynarum namque suppetiae nobis jam denegantur, propterea quod mandatis Illustrissimae Dominationis Vestrae tandem tenaciter obtemperamus. Plura alia, quae indies patimur, latoris relationi committimus, quem ex proposito imminente jam periculo ad vestram Illustrissimam Dominationem destinamus, ut responsum ad nos secure quam primum referat. Deus Illustrissimam vestram Dominationem diu incolumem conservet, uti precantur ex cordibus

Datum Kilkenniae

5° Novembris 1648.

Illustrissimae ac Reverendissimae V.D.

Servi ac humillimi filii.

Fr. Barnabas, Commissarius Capucinorum.

Fr. Felix O Connor, Prior Conventus S. Dominic.

Fr. Joannes Daton, Vicarius Conventus S. Francisci.

Fr. Patricius Brenanus, Sacrae Theologiae Lector Jubilatus."

(1129) Ad hunc Dominicanorum, Franciscanorum strictioris observantiae, et Capucinorum Kilkenniensium, qui omnes per suos hic Praelatos loquuntur, libellum supplicem | respondit Nuncius epistola, ex cuius superscriptione colligendum videtur quosdam etiam Kilkennienses e Clero saeculari eodem fine et

1621

tempore ei supplicasse. Patrum enim nomine Religiosos, sed Reverendorum Dominorum titulo aliquos e Clero saeculari significasse videtur. Epistolam hic habe.

"Admodum Reverendis Dominis et Patribus Interdictum servantibus Kilkenniam.

(1130) "Admodum Reverendi Patres. Quandoquidem Reverendae Paternitates vestrae sacrum interdictum toto integro semestri magno cum zelo et exemplari sollicitudine servaverunt, indulgentes periculis, quae ex hominum malitia vobis imminent, nec non consulentes paupertati, quae in hac temporum nequitia periclitari plurimum potest, ideo interdictum in ecclesiis vestris tollere benigne decrevimus, prout per praesentes tollimus, firma in reliquis remanente excommunicatione, aliisque censuris a nobis et Reverendissimis Episcopis subdelegatis in negotio cessationis inflictis, quibus nullo modo intendimus vim et robur imminuere. Haec autem relaxatio nullo modo intelligatur ideo concedi, ut Reverendae Paternitates vestrae imitentur ecclesiam Cathedralem. Non enim salva conscientia possumus vobis sive consulere sive mandare, ut exemplum sumatis ab ecclesia scandalissime delinquenti, et in quam omnis Catholicae religionis perturbatio, si quaे imposterum fuerit, referri debet, cum prima fuerit 1621
v quae decretis Apostolicis obstante ausa sit. Atque ideo in hac nostra concessione subintelligendum jubemus, ut interdicti relaxatio non solum est ex gratia, sed quod oportuerit id a Reverendis Paternitatibus vestris quibuscumque declarare sub pena nullitatis praesentis concessionis, ne alioquin pernicioseissimo exemplo existimet populus factam fuisse vel a vobis petitam eo quod Cathedralis ecclesia melioribus rationibus fulciatur. Quod omnino esset errores ipsos probare, nempe extremum fidei Christianae praecipitum, ex quo tandem consequeretur ut Reverendae Paternitates vestrae, quae constantes hucusque pro Sancta Sede Romana et religione Catholica sese exhibuerunt, omne meritum toties a me commendatum et Sanctissimo Domino nostro repraesentatum, uno momento (quod absit) amitterent. Orent pro me ac pro nostrae religionis incremento, et Deus illos custodiat. Galviae 11 Novembris 1648.

(1131) "Non intendimus per hoc ullum favorem praestari aliis ecclesiis aut Religiosis inobedientibus, cum omnino velimus ipsos coram Deo reddituros esse suae contumaciae rationem.

Joannes-Baptista Archiepiscopus Firmanus, Nuncius Apostolicus."

(1132) Quid autem Episcopus et Clerus Waterfordiensis, nec non Clerus Clonmelliensis super eadem re a Nuncio postularint, habe ex autographo, in quo in uno eodemque folio duo Waterfordiensis et Clonmelliensis Cleri libelli supplices continentur. |

1622

" Illustrissime et Reverendissime Domine.

(1133) " Cum jam sex ferme mensibus sub rigida Illustrissimae Dominationis vestrae censorum observantia ingemiscamus, quas in circumvicinis civitatibus et oppidis observari non videmus, cogimur tandem supplices nos cum omni humilitate ad pedes Illustrissimae Dominationis vestrae provolvere ad gratiam vestram promerendam, rationes has, quibus maxime ducimur, offerentes ; nempe quod non sine cordis dolore referre possumus, quotidie nos videre et experiri excrescere indevationem populi hujus, qui alias valde Catholicus et pius erat ; infinita animarum pericula insurgere ; ecclesiis sine culpa earum debita obsequia subtrahi ; minari nobis quod haeretici forte nostras ecclesias occupabunt, dum nos in iisdem divina officia celebrare omittimus, sicut jam de facto terras et decimas nostrarum ecclesiarum denuo occupant. Et cum reliquum nobis sit ali ex charitate et benevolentia populi, ille paulatim subtrahit nobis temporalia, quia nos illi spiritualia denegamus. Denique non possumus non aegre ferre, quod paena haec nocentium nos innocuos praecipue premat. Hinc est quod cum omni humilitate enixe rogamus, quatenus pro sua paterna cura et sollicitudine nobis et saluti animarum dignetur Illustrissima Dominatio vestra tempestive consulere, relaxando et tollendo censuras praefatas, vel ex eo sane quod hactenus noster uterque Clerus | tam saecularis quam regularis mandata vestra ad amussim servaverit. Pro qua gratia perpetuo orabimus. Waterfordiae 12 Novembris 1648.

1622

v

Fr. Patricius Waterfordiensis et Lismorensis. Fr. Petrus Strange, Prior Conventus Fratrum Ordinis Praedicatorum. Fr. Josephus Everardus, Guardianus Conventus Fratrum Minorum. Fr. Joannes Harty Cistertiensis et Notar. Apostolic. Doctor Michael Hackett, praecentor Ecclesiae Cathedralis Waterford. Edwardus Clarus, Societatis Jesu, Rector Waterford. Fr. Michael Baronius, Prior Waterfordiensis Augustinianorum. Robertus Power, Decanus Ecclesiae Waterfordiensis."

(1134) " Et nos etiam uterque Clerus tam saecularis quam regularis in hoc oppido de Clonmell, cum similia per omnia patiamur incommoda ob earundem censorum observantiam,

humillime rogamus ac petimus ut Illustrissima Vestra Dominatio suos in nos misericordes convertat oculos. Et propter hanc ac priores in nos collatas gratias Deum Opt. Max. pro salute Illustrissimae vestrae Dominationis exorabimus. Datum Clonmelliae die ac anno quibus supra.

Thomas White Vicarius de Clonmell. Fr. Edmundus Bray, Guardianus ff. Minorum de Clonmell. Thomas Prendergast Sacrae Theologiae Doctor. Fr. Edmundus Braius Ord. Minorum, S. Theologiae Lector. Joannes Goghe Societatis Jesu, Rector Clonmellicus."

(1135) Ex hoc Clonmelliensium libello supplici, cum in eodem folio contineatur, colligo Cleri Waterfordiensis | procuratorem, 1623 dum per Clonmelliam Galviam transiret, Clonmelliensibus suam mentem aperuisse, eosque Clonmelliae (sicut vidisti) scripsisse et subscrpsisse. Galviam autem appulsus Nuncio non solum praefata duo acta uno folio contenta porrexit, sed etiam suppliavit his verbis, quae ex autographo pariter transcribo.

"Illustrissime et Reverendissime Domine.

(1136) "Noverit Illustrissima Dominatio vestra quod infrascriptus vester humillimus orator ad Dominationem vestram Illustrissimam et Reverendissimam fuerit expresse missus procurator a Reverendissimo suo Episcopo et Clero, tam saeculari quam regulari, nec non a civibus civitatis Waterfordiae, qui cupientes liberari ab interdicto, quod hactenus cum tanto incommodo sustinuerunt, humiliter supplicant, prout infrascriptus procurator eorum nomine enixe provolutus pedibus clementiae vestrae suppliciter exorat Dominationem vestram Illustrissimam, quatenus dignetur interdictum praedictum et alias censuras relaxare, cum praesertim attestatur nomine praedictorum, majorem partem civium et totum populum praedictae civitatis sustinuisse et sustinere innocenter praedictas censuras propter culpam aliquorum paucorum, qui deceperunt plebem et vi armorum exercitus Baronis de Insequin prohibent adhuc, quominus praetor, Consules, et Magistratus cum caeteris civibus Waterfordiae propriis subscriptionibus ad Celsitudinem | vestram accedere audeant, quamvis sint parati tempore congruo exponere se pro sancta Ecclesia Romana et Dominatione Vestra Illustrissima illius Nuncio Apostolico, quem honorant et reverentur, cum jactura bonorum temporalium ac etiam vitae. Deus conservet Dominationem vestram Illustrissimam ad majorem Catholicae religionis exaltationem in hoc Regno.

Robertus Power Decanus Ecclesiae Waterfordiensis."

*Relat. :
cap. 33.*

(1137) Quid Nuncius ad haec acta responderit, mihi non occurrit. Haud tamen dubito quin supplicantium pietatem et constantiam commendarit, et eorum votis acquieverit. Quinimo ipse alibi : "Certe (inquit) mihi mens fuit mox atque censorum terrore meam propriam personam, magnam pecuniae (Pontificiae) partem, et D. Eugenii exercitum me salvasse videram, congregare Synodum Nationalem, et ibi ex omnium consensu decernere, nec non (si necessarium videretur) illorum malorum, quae ab omnibus praevidebantur, torrentem sistere publica absolutione. Quamobrem, excepta civitate Kilkennia, omnibus aliis interdictum relaxavi, quae cum legitimis excusationibus et maxima erga Sanctam Sedem reverentia, id a me instanter postularunt." Haec Nuncius.

1624 (1138) Jam perstringam quo se modo varii Religiosi Ordines in hac controversia gesserint; ac 1° quidem | circa Ordinem Dominicanum habe ex autographo sequentes litteras a R. Patre Provinciale Dominicanorum in Ibernia ad Nuncium manu propria exaratas.

"Illustrissime et Reverendissime Domine post humillima manuum oscula.

(1139) "Illustrissimae Dominationis vestrae datas Galviae nono hujus recurrentis non nisi nunc recepi. Quibus ut respondeam dico quod non constat mihi de aliquo ex Ordine nostro in hac Provincia, qui expresserit opinionem suam pro cessatione conclusa cum Domino de Insequin, excepto uno Fr. Dominico Dillon, ad quem nondum potui habere accessum, neque per litteras. Sed omnes nostri fratres (quoad mihi constiterit) sentiunt contra dictam cessationem et pro censuris. De P. fratre Dominico de Burgo non videtur debere fieri mentionem, eo *quod jam e vivis discesserit*. Qui tamen moriens obedientiam matri, Ecclesiae Romanae, ac subjectionem suam in omnibus Sedi Apostolicae protestatus est. Suppliciter Illustrissimae Dominationis vestrae benedictionem efflagitans; ut Deus Opt. Max. Dominationem vestram Illustrissimam diu faelicem nobis conservet, actiones dirigat, et ad optatum perducat exitum, assidue opto. Clonmeliae, 19 Octobris 1648.

Illustrissimae Dominationis vestrae

Humilis servus et obsequentissimus filius

Fr. Gregorius O Fearail."

(1140) Magnam Nuncii causae haec epistola astruit autoritatem, cum illa Dominicanorum Provincia Ibernica trecentos

amplius Religiosos contineret. Quorum cum non | pauci doctrina 1624
ac pietate clarerent, Concilii in censuris spernendis iniquitatem v
haud mediocriter arguit, quod Nuncio tam unanimiter obtempera-
rint. De quorum familia D. Walterus Enos : " Extant (inquit) Just :
acta laicorum Consiliariorum publica. Unum si possunt, ostend- cap. 43.
ant, cui subscriptis vel unus ex illa familia. Novimus autem ex num. 6.
illa docta et sancta familia non nullos quibus, huic mille, illi
quingentos, isti quadringentos detulerunt florenos, ut ad partes
pertraherent suas viri Consulares." Sic ille. Porro quod ad
praefatum P. Dominicum de Burgo spectat, adeo Clanricardio in
bello adhaeserat, ut ante has induciarum controversias eum in
Ibernia et Romae male audiisse viderimus, proinde dignum qui
in prioris contumaciae paenam in hanc ultimam inciderit. Atque
utinam ejus paenitentia, quam a Reverendo Patre Provinciale
haud efferri video, offensum numen placarit.

(1141) Ad Patres Franciscanos Ibernos strictioris observantiae transeo. Quorum in et extra Iberniā sub uno Provinciale plures centuriae tunc numerabantur, adeo ut natio integris illius instituti catervis scientia et pietate insignibus abundaret. Quorum corpus cum Ormonistae ad suas molitiones exequendas adulterare nequivissent, excogitata fuit ad annos superiores vel ab Ormonistis laicis vel ab Anglo-Ibernis quibusdam Franciscanis eorum factione studentibus via satis politica, nempe ut Provincia illa Franciscana, antea semper una, in duas divideretur, Ibernicam | et Anglo-Ibernicam, quarum haec suo genio reicta Ormonistarum, qui pene omnes Anglo-Iberni essent, dogmata politica tanquam conscientiae regulis consentanea citra fraenum secundaret, alias a majore et saniore Provinciae parte in Ordinis praelaturis praevalente cohibenda. Quod Ormonistarum artificium alii Deo et Ecclesiae militantes effectu frustrarunt, idque longe prudentissime, sicut hujus anni 1648 experientia docuit, quo deindeque securus tota forsitan illa Provincia Anglo-Ibernica pernicio- sis Ormonistarum et pseudo-Concilii machinationibus subscriptis- set. Porro P. Thomas Makiermanus, in ultimo Capitulo Pro- vinciali in Franciscanorum strictioris observantiae totius Iberniae Provinciale anno superiori (ut vidimus) cooptatus, quem hoc anno Concilii jussu captum et custodiae sacrilege mancipatum, sed ab Eugenio O Nello in libertatem assertum diximus, mense Decembri hoc anno Nuncio epistolam scripsit, quae, cum ad Provinciae statum inter has discordias delineandum conducebat, hic propriis verbis et ex autographo sequitur.

1625

" Illustrissime ac Reverendissime Domine.

(1142) " Peragrata hac nostra Provincia, eaque per me vel Commissarios ad id deputatos visitata, ex tot Religiosis nostri Seraphici Ordinis in hoc Iberniae Regno existentibus, qui 400 et | paulo plures sunt, nulos aut saltem valde paucos respectu tanti numeri invenio, qui non ex animo (ut par et aequum est) amplectuntur et humillime venerantur Illustrissimam Dominationem Vestram, ejusque mandatis obtemperant et debite obsequuntur. Imo vero in observanda ecclesiastica censura nuper lata per Illustrissimum D. et Clerum hujus Regni contra acceptatores, defensores, et fautores iniquae treugae initiae per Supremum Concilium cum D. Barone de Insequin, accuratissimi fuerunt, illam ut validam et legitimam proclamando tam in publicis concionibus, quam pro viribus inculcando in privatis collocutionibus, et abstinentia a divinis exercitiis ad amussim secundum praescriptum praefatae censurae. Sed quia inimicus homo nunquam desinit in agro Dominico seminare zizania, quidam etiam nostri Ordinis, *mobilitate magis animi et carnali affectu quam zelo justitiae permoti*, caeperunt eidem censurae refragari, eamque publice et privatim impugnare. *Sed ii vigesimum numerum non excedunt, et multo inferioris notae tam in litteratura quam in aliis qualitatibus sunt, ita ut pro nihilo reputari debeant*, respiciendo alios Religiosos, qui in omnibus debitam reverentiam ac obedientiam exhibit. Mei muneris esse duxi hoc intimare Illustrissimae Dominationi | vestrae, ut eidem pro me et sanioribus membris Ordinis nostri in hoc Regno satisfaciam, et etiam toti orbi innotescat quam perniciose calumnientur ac insidentur famae Illustrissimae Dominationis vestrae, qui cis et ultra mare spargunt quod major et sanior pars Cleri in hoc Regno et speciatim Ordinis nostri opponat se Illustrissimo Domino, potissimum in dicta censura. Ex animo optans ut iidem fratres a contumacia recedant ac resipiscant, et devotissime se Illustrissimae Dominationi vestrae submittant, sacras vestras manus exoscular.

Cavan,
die 19 Decembris
anno 1648.

Vestrae Illustrissimae ac Reverendissimae
Dominationis
Obsequentissimus servus et filius.
Fr. Thomas Makernan, Minister Provincialis."

(1143) Quod in hac epistola habetur, nempe existentes tunc in Iberniae Regno strictioris observantiae Franciscanos fuisse 400 et paulo plures, non quadrat ad id quod ab aliis nostratisbus

didici et D. Walterus Enos in rebus ad hoc bellum et controversiam apprime versatus, memoriae prodit, fuisse scilicet tunc ex Franciscanis *illis solis (praeter Capucinos semper venerandos)* numeratos in Ibernia mille et quingentos. Unde Patris Provincialis, qui *| manu propria has litteras non scripsit, sed subscriptis, 1626* amanuensem calculo vel calamo lapsum fuisse crediderim. Porro v Concilium et pseudo-Comitia Generalia hoc autumno Kilkenniae denique congregata, et ex solis pene Ormonistis conflata, molestissime tulerunt Observantinos hunc in modum Nuncio et causae Catholicae militare. Quare vel a pseudo-Concilio vel a pseudo-Comitiis (nam epistolae exemplar mihi communicatum die, loco et subscriptionibus caret) hae litterae cum Carmelitarum Provinciale Romam (ut videbimus), quatenus appellationem prosequeretur, ab Ormonistis misso datae sunt ad Suam Sanctitatem:

"Beatissime Pater.

(1144) "Inter alias, quibus premimur, angustias, conqueri liceat quod ex Ordinibus S. Augustini, Dominici, et prae aliis ex Ordine S. Francisci, qui numerosus est et singulari devotionis affectu apud nostrates colitur, multi inveniuntur, et ex his non pauci praelati, qui gentem tot malis afflictam detrahant, civili magistratui inobedientiam in rebus temporalibus privatim suggerunt, et publice concionantur, et in mutuam cladem Iberos excitant. Hoc adeo jam crevit malum, ut nisi potenti Sanctitatis Suae manu et speciali sollicitudine, malo indies invalescenti mederi non possit ea potissimum de causa quod in Capitulo Provinciali Fratrum Ordinis Seraphici, ad nutum Illustrissimi Domini Nuncii Apostolici, praepositi omnes electi sunt, viri in seditionem et *| tumultum apti, et qui miserabilis Iberniae 1627* cadaver lacerant. Plura in hunc sensum nostro nomine referet R. Admodum P. Joannes Rowe, Provincialis Carmelitarum Discalceatorum, cui ut plena fides adhibeat, humillime rogamus.

Ad oscula pedum sacratissimorum devotissimi filii et de-
vinctissimi servi," &c.

(1145) Ad Generalem autem Observantinorum Ministrum haec epistola data fuit, Provinciali Iberniae Ministro necdum custodia liberato :

"Inter multiplicia, quae nos undique circumcingunt, nulla sunt quae vehementius urgent aut acrius pungunt, aut periculosius minantur Iberniae Confaederatis ultimam ruinam, quam quod ab Ordinis seraphici Patribus nuper passa est, et etiamnum magis magisque patitur. Cogimur enim, et cum intimo dolore

*Just.
cap. 43.
num. 6.*

cordium inviti cogimur, exponere Paternitati tuae Reverendissimae Patres quosdam, filios vestros hujus Regni, authores esse praecipuos et promotores per Illustrissimum D. Nuncium et Episcopos quosdam paucos seditionis longe periculosissimae et civilis belli jam inter ipsos Confaederatos exorti, praeceteris vero Ministrum Provincialem, PP. Diffinitores, et praelatos locales plerosque, qui pietatem praetendentis sed impietatem intendentis, populum ubique et religionem associatione temeraria ab obedientia ac fidelitate debita civili magistratui subtrahere, et in mutuam caudem praecipitare satagunt, afflictis et vexatis supra modum Patribus et Fratribus subditis, qui in idem cum ipsis non consenserunt, aut eadem vel similia | nolint perpetrare scelera.

1627

v

Inter quos Reverendus admodum Pater Valentinus Broune, Sacrae Theologiae Lector Jubilatus, olim Minister Provincialis, vir apud omnes ob vitae integritatem, monasticam disciplinam, et doctrinae eminentiam in summa veneratione habitus, et R. P. Georgius Dillon, Guardianus Conventus Galviensis, Religiosus optimus, et variis in Ordine officiis laudabiliter functus, dura patiuntur, ut suspensionem a divinis, vocis activae et passivae privationem, et inclusionem in domo disciplinae. Quapropter, et praeterea cum probe sciamus praefatum Ministrum Provincialem, Patres Diffinitores, et plerosque superiores locales conspiratione quadam ad nutum Illustrissimi Domini Nuncii, atque ad confusione et destructionem Reipublicae institutos fuisse in ultimo Capitulo Provinciali, (ut jam factis abunde docemur) omni instantia rogamus Paternitatem vestram Reverendissimam ut si Confaederatos Catholicos et fidei causam ulterius periclitari malis actibus nolit, si Ordinem Seraphicum, quem nos et universum Regnum speciali affectu et honore prosequimur, amet, nobis Visitatorem idoneum dignetur quamprimum destinare, qui Regni querelas coram audiat, abusus reformat, perturbatores Reipublicae officiis privet, atque pios et benemeritos substituat. Interea incolumitati nostrae necessum erit prospicere, atque adeo quosdam de Patribus ejusdem Ordinis, quorum unus est Minister Provincialis, in custodia detinere. Plura in hunc sensum nostro nomine referet Reverendus admodum P. Joannes Rowe, Provincialis Carmelitarum Discalceatorum, cui ut plena fides adhibeat, humillime rogamus.

Reverendissimae Paternitatis vestrae," &c. |

1628

(1146) Cum eodem etiam litterae ad Cardinalem Barberinum, Ordinis Protectorem, a pseudo-Concilio mense Septembri datae sunt eodem spectantes. Ex quibus conjecto et praefatas etiam

eodem tempore, nec a pseudo-Comitiis tunc vix incipientibus, sed ab eodem Concilio fuisse scriptas. Praeter quas eidem Carmelitarum Provinciali ab eodem Magistratu Anglice data fuere circa eosdem Franciscanos haec monita.

"Monita circa S. Francisci Ordinem."

(1147) "1°. Circa Franciscanorum causam Suae Sanctitati, Cardinali Protectori, et Ministro Generali repraesentabis violentiam, qua Nuncius in ultimum Capitulum Provinciale dominatus est et suffragiorum atque eorum, qui rebus turbandis studebant, conspirationes, ubi Provincialis, Diffinitorii Patres et Guardiani electi sunt ab ejus factione atque ad ejus beneplacitum.

(1148) "2°. Electos fuisse eos, qui proponderent in discordiam, bellum, et fines nostri faederis scopo repugnantes, et quo pacto sua prodiderint ingenia inter hanc controversiam.

(1149) "3° Fore ut Regnum et Ordo infinita damna patiantur, nisi destinandus fuerit Visitator, qui hos abdicet, et alios regulari disciplinae quietique addictos in eorum locum substituat. Procurabis autem pro viribus ut sic constituendus Visitator sit aliquis ex suae Majestatis dominiis.

(1150) "4°. Futurum ut juxta Regulares Ordinis Constitutiones, unanimes Capituli Atloniae anno 1644 celebrati | ordinationes, Comitiorum Generalium ab universo Ordine in Hispania eodem anno celebratorum consensum, et longe plura ipsius ultimi Capituli Provincialis suffragia, hujus Regni in duas vel plures Provincias divisio conducat ad reformandos conventus, sedandas conscientias, et amputandas in Republica perturbationes. Quare Suae Sanctitatis diploma, quod solum deest, quodque Visitator statim executioni mandabit, nulla via non curabis.

1628
v

(1151) "5°. Nisi Ministrum Generalem offenderis, mittes cum nostris litteris amplam epistolam a te ipso scribendam, qua ob oculos pones eorum Franciscanorum, qui Regimini adversantur, conatus, et, quam Regno pariunt, ruinam, nec non Concilium, Comitia, proceres, nobiles, Regisque populum decrevisse in suam ipsorum necessariam praeervationem impedire quominus illi, qui ab ultimo Capitulo Provinciali authoritate funguntur, moderentur, idque efficere ut Provincialis, Diffinitores, plurimi Guardiani, et alii noti incendiarii, modo capti fuerint, in regimine non persistant.

(1152) "6°. Jam Provincialem et P. Paulum King deprehensoris fuisse reos gravissimarum proditionum: Concilium ab omni

nota ob eorum incarcerationem injuste incurrenda vindicabis." Hactenus illa monita P. Rouaeo data.

1629 (1153) Hae litterae et monita redolent Franciscanorum ab Ormonistis stantium suggestiones et recursum ad laicos a faedere Catholico desciscentes habitum | ut eorum interventu Provinciam pessundarent, et ipsi saltem, ea in duas divisa, alterius nempe Anglo-Ibernicae clavum arriperent, eo demum progressi ut ejus authoritate freti rem pressius urgendam duxerint, destinato Romam post P. Rouaei discessum quodam P. Antonio Gearnon, suae factionis Franciscano, cum quo pseudo-Concilium mense Decembri ad Cardinalem Barberinum, Ordinis Protectorem, scripsit his verbis :

" Eminentissime Domine.

(1154) " Miserabilis Iberniae fatum, quae praeter externa inimicorum fidei arma, bello tandem civili et mutuis Confaederatorum caedibus crudelissime atteritur, ac jacet desperabunda, cogit nos, quibus in hoc tristi animorum et armorum dissidio, administrandae Reipublicae sors obvenit, ad Eminentiam tuam recurrere, ut authoritate, qua pollet, et pietate singulari, afflictis rebus Confaederatorum succurratur. Illi enim omnium hujus Regni malorum, post Illustrissimum D. Nuncium et Episcopos quosdam, praecipui sunt authores, promotores, et actores, qui ex voto suo et professione regulari et Sanctae Sedis dispositione subsunt Eminentissimae Dominationis vestrae gubernationi et correctioni, Patres nimirum et fratres Ordinis Seraphici, praesertim vero Minister Provincialis, Patres Diffinitiorii, et superiores plerique locales, qui cives, populum, militem, Confaederatos omnes a Juramenti associationis | observantia pervertere, avertere ab obedientia debita civili magistratui in rebus temporalibus, et in mutuam caudem ac omnia mala civilis belli praecipitare, tum privatis adhortationibus tum publicis concionibus, omnique astu et dolo satagunt. Eoque jam invaluere iniqua ipsorum molimina in perniciem Reipublicae et Catholicae causae ruinam, ut Eminentissimae authoritatis vestrae interventu egeat Ibernia, et Religio Franciscana, vel ideo maxime, quod in ultimo ejusdem Ordinis Seraphici Capitulo Provinciali ex conspiratione quadam et pro libito Illustrissimi Domini Nuncii constituti fuerint omnes pene superiores per universum Regnum, homines nimirum, qui perturbandis rebus operam darent, et idonei forent excitandae seditioni. Quare advoluti pedibus Eminentissimae Dominationis vestrae omni instantia rogamus, ut visitatorem dignetur quam

primum destinare, qui Ordinem ipsum visitet, qui nostras et Regni querelas contra praelatos, aliasque Patres audiat, quique indignos et perturbatores Reipublicae officiis universim privet, et viros virtutum, civesque bonos ad superioratus promoveat. Neque enim potest institutum illud apud nos aut Regnum ipsum cum regimine praefatorum Patrum aut similium consistere. Plura in hunc sensum referenda Eminentissimae Dominationi vestrae jam ante commisimus Reverendo admodum P. Joanni Rowe, Carmelitarum Discalceatorum Provinciali, et nostro in Romana Curia nupero Procuratori, et nunc denuo committimus Reverendo admodum P. Antonio Gearnon, | conventus Dun-dalcensis Guardiano, et Reverendo admodum P. Mariano de la Wafre ab Angelis, Sacrae Theologiae Lectori, Ordinis Minorum, quibus ut Eminentissima Dominatio vestra dignetur plenam fidem adhibere, orant

1630

Eminentiae vestrae,

Kilkenniae, Obsequentissimi servi,

17 Kal. Januarii 1648.

Montgaret. Muscry. Athunry. Phelim O Neal.
 Lucas Dillon. Richardus Blake. Richardus Bellings.
 John Welsh. Robert Devereux. Gerald Fennell.
 Patricius Brian."

(1155) Epistola cum P. Joanne Rouaeo ad eundem Cardinalem mense Septembri data pene eadem verba continebat sed a Montgaretto, Dunboynnio, Luca Dillono, Phelimo O Nello, Richardo Blako, Richardo Bellingo, Patricio Briano et Roberto Devereux subscriptibus tanquam Concilio Supremo. Porro eodem 17° Kalendas Januarii pseudo-Comitia Generalia ad eundem Cardinalem eodem spectantes dederunt has litteras :

"Eminentissime Domine.

(1156) "Quod jam ante significavit Concilium hujus Regni Supremum, hoc nos, Iberniae magnates, Praelati, populi in Comitiis Generalibus congregati repraesentamus Eminentiae vestrae, quoniam ulterius dissimulare nec expedit nec licet. Nimur inter alios promotores et actores praesentium omnium hujus Insulae malorum et tristis divorii inter ipsos Confaederatos, Seraphici Ordinis Patres esse praecipuos, praesertim vero Ministerium Provinciale, Patres Diffinitorii, et Guardianos permultos, qui omni conatu | enituntur obedientiam debitam civili Magistratu pessundare et in seditionem et rebellionem cogere, atque adeo Iberniam et rem Catholicam perdere, effectu probantes

1630

v

quod ante praevisum erat, in id sceleris fuisse promotos ad nutum Illustrissimi D. Nuncii in ultimo Provinciali Capitulo. Quare vehementer oramus Eminentissimam Dominationem vestram, cuius correctioni praefati Patres subjiciuntur, ut his malis occurere dignetur visitatorem deputando, qui abusus reformat, seditiosos amoveat, piosque et erga Rempublicam fideles substituat in officiis, ne alioqui cogatur ipsum Regnum, cum opprobrio sacratissimi instituti sempiterno, pro sua defensione statuere, quod ratio postulat, et necessitas urget. Quo autem inquis machinamentis Patrum eorum, qui conturbant nos, in futurum occurratur, rogamus ut Eminentia vestra curet Provinciam Ibernicam in plures quamprimum dividere, et Bullam Sanctitatis Suae in hunc finem expediri. Prorsus enim hoc necessarium est, non solum pro ipsorum fratrum reformatione et quiete, sed etiam pro Iberniae securitate. Plura referent Comitiorum nomine Reverendi admodum latores, R. P. Antonius Gearnon, Guardianus Dundalkensis, et R. P. Marianus de la Wafre ab Angelis a nobis ad Eminentiam vestram destinati, quibus ut fides integra habeatur oramus. Deus incolumem diu servet Eminentiam vestram Ecclesiae universae bono.

Eminentissimae Dominationis vestrae
Servus addictissimus

Kilkenniae, Richardus Blake Prolocutor Comitiorum
17 Kal. Januarii 1648. Generalium."

"Ex mandato Comitiorum :
Philippus Kearny,
Generalium Comitiorum Clericus." |

1632* ad ejusdem Magaulii turpem proditionem hoc anno 1648 mense Julio. Itaque Georgium non solum communia suorum Ormonistarum studia in ejus venis ebullentia in Nuncium hoc anno irritarint, sed etiam eodem forsan adductus fuerit, quod, aliis ab eo tempore ad infulas promotis, ipsi Episcopatus e manibus exciderit, ejusque nepoti castrum Athloniense mature restitutum non sit. Id verum est Nuncium per litteras Romam missas institisse, ut P. Georgius in Elphinensis coadjutorem assumeretur, nullamque ejus rei fecisse mentionem, nisi satis jejunam frigidamque in scheda ad Cardinalem Pamphilium 31 Decembbris anno 1645 missa, qua : " De Fr. Georgio (inquit) Dillon haud majore

Reg.
p. 189.

* (Folium 1631 laceratum est iam ante annum 1718. Amanuensis enim Codicis Leicestriani sic scribit : " Qui ci manca una carta perchè è lacerata nell' originale.")

diligentia percontatus sum, quod Elphinensis, cui in coadjutorem dandus esset, non mihi videtur aliam postulandi Coadjutoris habere causam, praeterquam quod sciatica laborat, et non nisi multa cum molestia equitat. De reliquo aetas et vires mihi apparent sufficientes." Sic ibi Nuncius, qui 11 Aug. 1646 eidem scripsit Elphinensi non opus esse coadjutore.

*Reg.
p. 322.*

(1157) Quod ad P. Valentini Brounum attinet. Ille sui Zepherini Brouni cum Antrimio et Muscrio in Galliam ad Reginam Angliae et Walliae Principem hoc anno allegati et Ormonio addictissimi adeo dogmatibus politicis exequendis insistebat, ut exquisitam in illis secundandis diligentiam atque industriam collocaret. Quare jure merito in ambos haec sententia lata fuit.

"*In Dei Nomine Amen.*

(1158) " Nos Joannes Baptista Rinuccinus, Dei et Apostolicae Sedis gratia Archiepiscopus et Princeps Firmanus et in Iberniae Regno Nuncius Apostolicus extraordinarius, et R. admodum P. Fr. Thomas Makiernan, | Provincialis Ordinis Minorum S. Francisci de strictiori observantia, notum facimus quod nos visis, examinatis, pleneque per nos rimatis et discussis meritis et circumstantiis cujusdam cause criminalis contra Reverendos Patres et Fratres, Georgium Dillon, Monasterii S. Francisci apud Galviam Guardianum, et Valentini Broune, ejusdem Ordinis et Monasterii conventualem, et Provinciae patrem intentatae, motae et querelatae, invenimus, et plene probatum apud nos extitit, tam ex confessione dictarum partium, quam facti notorietate, ut ex testibus omni exceptione majoribus, dictos Patres, Georgium et Valentini, multa dixisse et fecisse, quae scandalosa sunt et in contemptum ac injuriam censorumarum ecclesiasticarum tendunt. Quapropter nos, ad tollenda plurimorum scandala, contra praedictos delinquentes, jus et justitiam facere desiderantes, Deumque et conscientiam pœnalis habentes, per praesens nostrum decretum et sententiam pœnalis habentes, Georgium et Valentini suspendere decrevimus, et suspendimus per praesentes, idque durante nostro beneplacito, ab omni officio, gradu, et dignitate, voce activa et passiva in suo Ordine. Item ab omni divinorum sacramentorum administratione, cuius absolutionem et relaxationem nobis reservamus, nisi forte (quod Deus velit) praedicti Patres publice et in eodem loco, et multis ad id vocatis et praesentibus, dicta factaque sua in contemptum clavium Ecclesiae Catholicae, retractare, revocare, et disertis

v
1632

verbis renunciare voluerint, et paenitentiam salutarem per nos
 iisdem imponendam | humiliter acceptaverint et impleverint.
 1633 Mandantes etiam praefatis Patribus strictissime ac sub ulterioribus paenis et censuris postea infligendis, ne intra vel extra monasterium suum opiniones et doctrinam, quam hactenus in praedictis docuerunt, verbo vel scripto alicui vel pluribus imposterum intimare, proponere, aut persuadere praesumant. Datum in Palatio nostraræ Residentiae Galviae in loco praesentis nostraræ mansionis et refugii, die 19 mensis Julii anno 1648." Hactenus illa sententia.

(1159) Pseudo-Concilium Kilkenniense in horum duorum, atque aliorum similium Ecclesiae Ibernicae turbinum favorem Latine scripsit Ministro Generali epistolam, quae haud adeo delituit, quin ejus apographum Nuncio communicatum fuerit, et hic sequitur, solitis Ormonistarum decipulis non carens.

"Reverendissime Pater.

(1160) "Cum magno doloris sensu, nec non inviti, cogimur scribere et proponere justam querelam nostram contra aliquos Ordinis vestri Patres, quos hic nos, parentes ac majores nostri durissimis persecutionum temporibus aluimus, fovimus, ac sub umbra alarum nostrarum, non cum parvo vitae et fortunarum discriminè et dispendio, proteximus. Et jam cum omnia nostra bona, vitam, posteritatem, ac omne, quod nobis charum est, pro Catholica religione vindicanda et ad primaevum splendorem restituenda exposuerimus, quod hi, nempe | quidam vestri Ordinis Patres sunt jam praecipui in nostra persecutione publice ac privatim nostro nomini et famae detrahentes, quasi schismatici, haeretici, aut haereticorum fautores essemus, ob cessationem armorum, quam ad sex menses fecimus cum Barone de Insequin, extrema fere necessitate urgente, et ex illa treuga multa bona expectamus, nec aliquid continens quod religioni Catholicae obesse, imo multa quae ei prodesse possent, et cum Illustrissimus Dominus Sedis Apostolicae Legatus extraordinarius nobis significasset illam cessationem esse iniquam, curavimus articulos et conditiones ad ejus desiderium (ut nobis videbatur) mutare, et sic putavimus Illustrissimo Domino satisfactum esse, et consequenter ad postulationem Provinciarum cessationem conclusimus, multis quidem Praelatis ac Ordinum plurimis Religiosis doctis ac timoratis consentientibus et eam approbantibus. Illustrissimus tamen Dominus nescimus quo spiritu aut zelo, utinam bene ordinato, ductus, cum paucis novis episcopis ei assistentibus

fulminavit excommunicationem majorem in omnes acceptantes et publicantes dictam cessationem, quam excommunicationem P. Provincialis vestri sacri Ordinis per quosdam sui Ordinis fratres contra expressam nostram inhibitionem ad maximam Regni inquietudinem publicari et in publicis concionibus denunciari curat, non obstante quod a dicta | excommunicatione intra fatalia juris appellavimus, et quod omnes fere hujus Regni Confaederati alicujus considerationis aut aestimationis dictam cessationem amplexi fuissent. Quam magna et periculosa sit haec nobis et toti Nationi injuria vestrae Reverendissimae Paternitati considerandum offerimus, cum vestri fratres authoritate et jussione sui praelati se ipsos et populum a fidelitate et obedientia, quam nobis sancte devoverunt, subtrahant, et ad intestina et nationalia bella provocent et animent. Ecce qui pacem praedicare debent, horrida bella excitant. Siquos vero bonos, doctos, aut timoratos Religiosos authoritati nostrae ac regimini pro conscientia ac religione sacramenti, obedientes invenerit praefatus P. Provincialis, illos supra omnem modum torquet, vexat, et ad libitum censurat. Inter reliquos R. admodum P. Valentini Broune, Sacrae Theologiae Lectorem emeritum, suae Provinciae patrem, virum immaculatae semper vitae, ac apud exteriores et domesticos in magna veneratione habitum, ac R. P. Georgium Dillon, Conventus Galviensis modernum Guardianum, religiosum in suo Ordine variis officiis laudabiliter functum, eo quod dictam cessationem et ei adhaerentes publice non condemnent, et censuras | contra eam in concionibus non denuncient, mirum in modum 1634
persequitur et vexat. Quapropter humiliter petimus a sua Reverendissima Paternitate dictos Patres et omnes alios vestri Ordinis nobis adhaerentes protegi et defendi, donec plenius a nobis informetur, et monere reliquos fratres ut nec publice nec privatum factiones aut seditiones seminent, nec se publicis rebellibus et nostrae autoritati inobedientibus adjungant, ut (proh dolor) multi jam faciunt in maximam Reipublicae perniciem et inquietudinem, et Catholicae religionis destructionem, et sui Ordinis opprobrium et perpetuam infamiam. Quae omnia eorum Provinciali attribuenda sunt. Expectantes his omnibus malis opportunum remedium Reverendissimam Paternitatem vestram Deo commendamus." Haec Concilium.

(1161) Hae litterae nos docent quam mala fide et quantis artificiis Concilium suam causam Romae per acta illuc missa egerint eo liberius quod illic difficilius et tardius veritas a Nuncio atque ejus partibus demonstrari convincique falsitas posset

quam in Ibernia, ubi controversiae acta et testes essent praesto, et ubi res ipsa in medio posita pseudo-Concilii nequitiam non loqueretur modo sed etiam intonaret. In hac siquidem epistola insinuant primo, se a causa Catholica stare, Nuncium vero ejusque fautores esse Ecclesiae Ibernicae et nationis turbines, cum contrarium adeo certum | esset, ut mirum sit qua fronte id indicare ausi sint. 2°. Se armorum cessationem contraxisse putantes Nuncii votis per articulorum correctionem satisfactum fuisse, cum tamen ex actorum serie manifeste constet de contrario, probeque sciverint Nuncii votis per illam articulorum castigationem se nunquam satisfecisse. 3°. Inducias ad Provinciarum postulationem contractas fuisse, cum non nisi duarum Provinciarum non nulli Ormonistae sub Conciliorum Provincialium nomine ad induciarum casum falso et fraudulentissime propositum in eorum favorem responderint, proindeque etiam horum consensus pro non consensu habendus sit. 4°. Multos Praelatos ac omnium Ordinum plurimos Religiosos doctos ac timoratos consensisse atque approbasse, cum tamen manifestum sit paucos respectu tantae multitudinis ecclesiasticae consensisse, eosque tales qui aliis e Clero nedum numero sed etiam meritis, scientia, probitate, et virtutibus omnibus essent longissimo intervallo inferiores, praeterquam quod re ipsa faederis juramentum temerarint et haeresi atque haereticis ad Ecclesiam Ibernicam pessundandam viam aperuerint, ut suos laicos secundarent. 5°. Omnes fere Confaederatos alicujus considerationis aut aestimationis dictam cessationem amplexos fuisse, cum tamen adeo ipsi restitum sit, ut ea vix steterit, etiam arte, Marte, fraudibus infinitis, et stipendiario haereticorum exercitu eam cum Ormonistis sustinente. 6°. PP. Valentimum Brounum et Georgium Dillonum fuisse punitos, quod cessationem et ei adhaerentes publice non condemnassent, et | censuras in eam latas in concionibus non denunciassent, cum tamen ex sententia in hos lata constet, eos haud pure negative (sicut hic fraudulenter innuit) se gessisse, sed multa dixisse et fecisse scandalosa in contemptum ac injuriam censorum ecclesiasticarum et in contemptum clavium Ecclesiae Catholicae. 7°. Strictioris observantiae Franciscanos a Nuncio stantes publice et privatim factiones et seditiones seminasse in maximam Reipublicae perniciem et inquietudinem, Catholicae religionis destructionem, Ordinis opprobrium et perpetuam infamiam. Quae usqueadeo falsissima sunt ut nihil unquam illa Franciscanorum Provincia totius suaे Religionis celeberrima praestiterit gloriosius. Multa alia praefatae litterae continent

repudianda, sed ex iis, quae suis locis retulimus, refutata. Nec ipsam epistolam nec hanc ejus dissectionem inseruisse, nisi ut, tanquam ex ungue leonem, demonstrarem, quot mendaciorum et technarum plaustra pseudo-Concilium Romam et alio per suas litteras, acta et relationes transvehenda curarit. Porro praefatus P. Georgius se demum submisit hoc acto et verbis, quae ex autographo Nuncio porrecto habe :

(1162) "Si in aliquo offendи Sanctam Sedem Apostolicam vel Dominationem vestram Illustrissimam aut ejus authoritatem, vel admodum R. Patrem meum Provincialem, submittendo me uni et alteri in omnibus, quae contra me habent, humiliter peto veniam, benedictionem, et absolutionem, declarando quod nunquam | habui intentionem aliquid *facere* in contemptum vel 1636 *spretum* supradictorum aut Dominationis vestrae Illustrissimae, cui filius obedientissimus semper ero.

Fr. Georgius Dillon."

(1163) An aliter se Nuncio P. Georgius submiserit, mihi non constat. Reperio tamen ipsum et collegam, P. Valentimum Brounum paenitentiam apud Nuncium egisse. Quare fidem habet ambos aliter se submisso. Caeterum has Franciscanorum strictioris observantiae controversias ad annum inferiorem, deindeque ad annum 1650 fusius tractabimus in magnam eorum, qui Concilio adhaeserint, confusionem et ingentem Provinciae, quae ex parte longe maxima gloriosissime se gessit, laudem ac nominis propagationem. Quare Concilium aliud agens suam causam jugulat et illam Provinciam Franciscanam praeter intentionem summis laudibus ornat, ubi in nupera illa epistola ad Ministrum Generalem data conqueritur Iberniae Franciscanos fuisse : "*praecipuos (inquiunt) in nostra persecutione, publice ac privatim nostro nomini et famae detrahentes quasi schismatici, haeretici, aut haereticorum fautores essemus.*" Sic illi, qui per astutiam ipsis familiarem non *nisi quosdam* ibi hoc crimine sine crimine accusant, ne pauciores sibi adhaesisse faterentur, cum tamen, sibi non constantes, in epistolae fine *multis id ipsum* objiciant, veritatem prodentes, quae ex Provincialis epistola ad Nuncium scripta et superius posita | constat, nempe tot tantosque 1636 illius Provinciae Religiosos pietate et doctrina conspicuous v minime in his contestationibus claudicasse, sed Dei, fidei, Ecclesiae, Nuncii, fautorumque causam constantissime sustinuisse, nec nisi paucos ibi atro carbone notatos ab obedientia Deo, Ecclesiae, et Praelatis debita defecisse.

(1164) Ad Carmelitas Discalceatos transeo. Quorum Provincialem, P. Joannem Rouaeum, et P. Laurentium Mathaeum, nec non duos hospitii Galviensis Carmelitas (de quibus antea diximus) a Concilio stetisse reperio. Quo Romae auditio, id factum ut quidam P. Patricius a S. Anna, Carmelita Belgicus, P. Joanne Rouaeo jam Romam ab Ormonistis in Procuratorem destinato, ex Belgio in Iberniam a Ministro Generali ad eam novam atque adeo non numerosam Carmelitarum Provinciam visitandam missus sit. Qui quid ipse atque alii non nulli Carmelitae Iberni statuerint, Nuncio per litteras Limerico Galviam directas significarunt, quas ex autographo hic habe.

" Illustrissime et Reverendissime Domine. Pax Christi.

(1165) " Si cordium arcana oculorum obtutibus paterent, profecto Illustrissima Dominatio vestra clare animadverteret, quali benevolentiae affectu, quantaque reverentia Illustrissimam Dominationem vestram, nec non omnes S. Sedis Apostolicae Ministros prosequamur. Quod ut effectu ipso intelligeret, Patres nostros Conventus Galviensis, qui eam offenderunt, non tantum inde amovimus, sed et Romam satisfacturos proficisci e vestigio praecepimus. Quare submissius Illustrissimae Dominationis vestrae pedibus provoluti | obsecramus ut pro sua sapientia nihil minus rectum de nostra Religione vel nobis ob istorum Patrum excessus et offensas censere dignetur. Verum ad tuam tutelam et praesidium properantes pristino candore et dilectione fovere et complecti velit. Nobis enim statutum est in omnibus Illustrissimae Dominationi vestrae obsequi et parere. Tantum abest ut vel in minimis eam offensam velimus, divinae supplicantes pietati ut post praesentis vitae discrimina Illustrissimam Dominationem Vestram sempiterna coronet gloria. Datum Limerici 20 Novembris 1648.

Illustrissimae Dominationis vestrae humiles servi et filii.

Fr. Patricius a S. Anna, Visitator generalis.

Fr. Cirillus a S. Josepho Diffinitor Provincialis.

Fr. Patricius a S. Jacobo, Diffinitor.

Fr. Cherubinus a S. Gabriele Diffinitor Provincialis, Secretarius."

(1166) Quod hic affirmatur, nempe conventus Galviensis binos Carmelitas, qui in censuras ecclesiasticas ob armorum cessationem fulminatas insurrexerant, fuisse amotos, et Romam, ut satisfacerent, missos, effectu caruit, nam immorigeri illi duo

Carmelitae Visitatoris et Diffinitorum sententia perculsi, ad Concilium Kilkenniense recurrerunt, cuius mandato praelaturam sibi illa sententia ablatam recuperare satagerunt, quod Praetori Galviensi et oppidi Capitaneo obtulerunt, urgentes ut id violenter exequendum curarent. Qui cum rebus ecclesiasticis se immiscere noluissent, illi ad Clanricardium recurrerunt, | a quo duas 1637
obtinuerant epistolas minarum satis plenas, unam ad P. Vicarium, hospitio illi Carmelitarum Galviae a Visitatore praefectum, et aliam ad Praetorem, ut Vicarius locum sponte cederet, vel invitus deponeretur, et, illis duobus ad officia et functiones ecclesiasticas in eo hospitio restitutis, in vincula conjicerentur, quicumque resisterent. Cum autem Praetori et duabus Carmelitis Vicarius hospitii januam aperire noluisse, duo Carmelitae ad Ormonium Proregem haereticum recursum habuerunt. Cujus brachio et mandato restituti, alios sui Ordinis Religiosos secum in divinis communicare renuentes conventu detrudendos, et post biduum ad tribunal saeculare sistendos curarunt. Hanc illorum duorum Carmelitarum, nempe P. Gregorii a S. Elia ex Lawlesiorum familia, qui hospitii Priorem per usurpationem agebat, et P. Stephani a S. Ubaldo ex Brounorum tribu turbulentam historiam, quae partim in hujus anni finem, partim in anni subsequentis initium inciderat, in actum publicum relatam fuisse video Galviae 7 Maii 1649 datum, quod suis subscriptionibus robolarunt tres Episcopi, nempe Rapotensis, Clonfertensis, et Elphinensis, cum Dominicanorum Provinciale, aliisque multis e clero Galviensi. Porro illorum duorum Carmelitarum querela ad Concilium Kilkenniense hoc anno relata, quid successerit, D. Joannes Creagh, S. Theologiae Doctor, Nuncio de praefato P. Patricio a S. Anna, Visitatore Generali, 15 Decembris 1648 Limerico scribens te docebit. “ Is (inquit) hinc ante dies aliquot opportune solvit, alioquin juxta iterata | Supremi Concilii mandata ad Praetorem hujus civitatis detinendus et non segniter custodiendus.” Sic ille. Ex quibus omnibus constat quam sacrilege Concilium atque alii Ormonistae tam ecclesiastici quam laici in hujusmodi contestationibus processerint.

(1167) Ad alios Ordines Religiosos transeo. Inter quos Jesuitae Iberniae specialem merentur mentionem, sed ad anni inferioris initium aptius et fusius faciendam. Nec hic aliud de ipsis dico, quam eos, non omnes, sed plerosque de Ecclesia Iberica in his controversiis pessime meruisse. Benedictinorum, Bernardinorum, et Augustinianorum, praeter horum ultimorum

tres circiter vel quatuor, Nuncio restitisse reperio neminem. Quod ad Capucinos spectat, pauciores in Ibernia se tenebant non sub Provinciale sed sub Commissario Generali in tribus praesertim hospitiis, Limericensi, Kilkennensi, et Galviensi, aliis eorum domunculis, Dublinensi, Vadipontana, Molinegarrensi, et Corcagiensi, antea haereticorum furore direptis, et ipsorum non nullis male tractatis. Haud semel autem Nuncius tradit Capucinorum sibi adversatum fuisse neminem. Quinimo R.P. Barnabas Barnevallus, eorum Commissarius Generalis, sub sanctae obedientiae pracepto jussit ne quis fratrum adversus Nuncium, ejusque censuras dicto, scripto, vel facto quidpiam moliretur. Erat autem tunc dierum rumor a politicis Ormonistis in partium sibi adversantium* studiose excogitatus, atque in vulgum sparsus, nempe | Eugenium O Nellum et veteres Iberos, qui plerique Nuncii atque Ecclesiae causam sustinebant, in id animum inten-
 disse, ut sub religionis velo coronae Anglicanae jugum excuterent, pristinaque deinde libertate recuperata, alios Iberos ex Anglia a quadringentis retro annis, et quod excurrit, oriundos latifundiis gladio partis gladio pariter spoliarent, et praesertim bonis ecclesiasticis nec non magnatum agris fidei odio sub Henrico Octavo, Eduardo Sexto, Regina Elizabetha, et Rege Jacobo confiscatis, exuerent. Quae suspicio
 Daniel 13. simillima erat illius criminationis, quam duo senes et judices iniqui Susannaee innocentia intenderant, ut ipsi promeritam mortis paenam non darent, sed suam vindictam exercerent. Res enim loquitur Anglos atque Anglo-Iberos a quingentis prope annis sategisse totis viribus, ut aborigines in Ibernia extirparent, et Ormonistae in hoc bello adeo iisdem majorum suorum vestigiis institerunt ut demum a faedere Catholico ad suos haereticos in eum finem turpissime desciverint. Utut sit, suspicio illa ab Ormonio et Ormonistarum malignissimis late propagata haud parum conduxit ad peragendum ut plurimi Anglo-Iberni, alias (ut credere par est) Ecclesiae causam propugnaturi, claudicarint. Licet autem haec tentatio non nullorum etiam Prae-
 latorum et plurium Religiosorum constantiam labefactarit, Barnabas tamen, Capucinorum Commissarius Generalis, | Nuncio (sicut dixi) cum suis subditis adhaesit, cum tamen ex nobili atque opulenta esset Barnevallorum familia, quae sub Anglis in Ibernia creverat, haberetque unde sibi ruinam metueret, si pernicious ille rumusculus fidem mereretur. Nec parum ad hanc Capucinorum laudem confert, quod eorum plerique Anglo-

* (*Hic aliquod nomen deest, e.g., praejudicium.*)

Iberni essent, et tales, quorum agnati ex parte longe potissima Ormonio adhaererent. Porro Nuncius hac Capucinorum constantia, aliisque eorum meritis adductus, juxta potestatem sibi ab Innocentio X° factam eos Galviae ita stabilivit, ut non obstantibus quibuscumque constitutionibus Apostolicis antea latis, perinde ac quivis alii Religiosi, omnes intus ac foris suas functiones Regulares exinde exercere, stipemque publice mendicare valerent. Quinetiam quatuor Episcopi ex quatuor Regni Provinciis Nuncio Galviae assistentes et totius Congregationis Ecclesiasticae ob delegationem mense Maio a Regni Praelatis factam auctoritate fungentes, nempe Rapotensis, Clonfertensis, Corcagiensis, et Clonmacnoisensis, 7° Novembris 1648 Galvia ad Suam Sanctitatem communi epistola scripserunt, supplicantes ut Capucinos non minus ac alios quoscumque Religiosos toto Regno stabiliret. "Hoc (inquiunt) promoverentur ob singularem observantiam, subjectionem, et obedientiam erga nos, Apostolicum Nuncium, et Ecclesiam Romanam in his extremis fidei periculis, in quibus fere soli immaculati et inconcussi permanerunt." Sic illi. |

(1168) Hac aestate in Ecclesia Gallicana floruit R. admodum 1639
 Dominus et Pater Vincentius a S. Paulo, ejusdem nationis v
 sacerdos, qui eximia pietate atque animi magnitudine Missionem instituit Apostolicam, in quam nationum omnium sacerdotes admittebat, et procuratis Lutetiae duabus domibus, in quibus sub sancta ejus disciplina vitam communem religiose compositam degebant, exinde in pietate atque institutis sacerdotalibus ac missionariis eruditos in varias mundi plagas ad haeresim extirpandam et fidem propagandam destinabat, ut etiam vestes, viatica, et alia in eum scopum necessaria atque utilia iis suppeditaret. Hoc institutum sacerdotes, praesertim Gallicani, sed et competenti numero Iberni, amplexi sunt. Quorum, quotquot extra Galliam in Evangelii propagationem non mittebantur, in multis ipsius Galliae urbibus vitam communem agentes Calvinistas, qui magnis gregibus etiamnum in illo regno summa animi pertinacia eam nefariam haeresim profitentur, convertendis et Catholicis ad vitae probitatem reducendis incumbebant, et etiamnum praecipue incumbunt. Porro ex hac sancta Congregatione Missionarii nostri in Iberiam prodierunt, ubi saltem anno 1646 Limerici pedem fixerunt, et tunc exindeque, usque ad bellum fere exitum, vitam ducentes communem, non mediocrem in animabus convertendis de lupo infernali victoriam reportarunt.

1640

Horum crediderim Nuncio adversatum fuisse neminem. De quibus D. Joannes Creaghus, S. Theologiae Doctor, Limerici Vicarius Generalis, Nuncio 15° Decembris 1648 scribens: | “Optaverim (inquit) summopere ecclesiam parochialem S. Munchini hujus civitatis (quam ab Illustrissima Dominatione vestra petivi et impetravi) his Missionariis in perpetuum concedi. Sunt enim egregii in vinea Domini operarii. Utinam plures hic haberent parochias.” Haec ille, ad quem scripsit Nuncius eum in ea parochia quem, vel quos vellet, collocare posse. An autem Missionariis illam in perpetuum concesserit, quaestio est quam non video decisam, caeterum haud videtur futurum ut Creaghus, qui Nuncio omne studium profitebatur, illos adeo apud eum laudibus cumularet, aut ipsis parochiam postularet, nisi a Nuncii partibus stetissent; Nuncius etiam ejus postulationem secus repudiasset.

1640

v

(1169) Quod ad Clerum Iberniae saecularem spectat, superius ostendi ex totius Regni Episcopis non nisi septem vel octo induciantibus adhaesisse. Ex inferioris autem gradus Clero saeculari (aliorum plurimorum ab Ecclesiae partibus stantium comparatione) pauci ad pseudo-Concilium deflexerunt. Quod totum probe scientes Consiliarii a celebranda Cleri Iberni Synodo Nationali usqueadeo abhorruerunt, ut eam sacrilegis edictis et armis praepedierint, ne ipsi unanimi Cleri sententia damnarentur et Cleri pars minor majoris et sanioris sententiae subscriberet, Clerumque sequeretur populus, cuius majorem | et millies saniorem partem causae ecclesiasticae studuisse reperio, licet Ormonistae suis et haereticorum viribus inducias intruserint, praevalentibus in Concilio Supremo septemviris Ormonio addictissimis, qui multitudinem improvidam infinitis fraudibus et juramenti faederis transgressione fascinarunt, haud parum conducente ad tantum malum Regni jam bello exhausti inopia, et Faederatorum discordia, quibus factum, ut multi viri integerrimi pacis accelerandae studio possessi, minus viriliter, quam par esset, in pseudo-Concilium insurrexerint. A quo hactenus inter has discordias civiles ita Reipublicae clavus usurpatus erat, ut complura acta condiderint, quibus ne ipsi quidem septem Consiliarii, sed eorum pauciores subscripterint, licet ex norma Regiminis a Confaederatis generalibus statuta Concilium tunc ex membris duodecim erectum nihil valide statuere posset, nisi (ex duodecim illis Consiliariis) saltem septem consentirent. In quam regulam peccavit: primo, actum comminatorium ad Episcopum Waterfordensem

12 Junii datum, cui non nisi sex ex Consiliariis jam dictis subscripserunt cum Joanne Walshaeo, cui Consiliarii residentis locus competere non posset, nisi absente Geraldo Fenello, qui tunc adeo non aberat ut manum ipse suam apposuerit. 2°. Actum | praepedienda Synodi studio ad Nuncium 24° Julii datum, cui ex iisdem septem non nisi quinque subscripserunt cum aliis duobus Consiliariis non residentibus et dicto Joanne Walshaeo, ibi minime gentium Consiliario residente, quod una Fenellus nomen adjecerit, nec ille nisi Fenelli loco Consiliarium residentem agere valeret. 3°. Actum postridie Clanricardio, ut Concilio nationali celebrando armata manu intercederet, scriptum, quod quinque tantum, ex Consiliariis residentibus, suis calculis robora-
runt, cum aliquot Consiliariis non residentibus, ex quibus Joannes Walshaeus ob dictam rationem Consiliarii residentis partes ibi agere non poterat, Fenello per se subscribente. 4°. Actum millies sacrilegum 28° Julii datum rationes pessimas, ob quas Synodus prohiberetur, continens, et praecipiens nequis ad Synodum proficiseretur, et ut proficiscentes aditu intercluderentur, subscribentibus tantum iisdem ipsissimis quinque Consiliariis residentibus cum iisdem non residentibus, excepto Henrico O Nello, qui huic ultimo manum non apposuit. 5°. Instructiones Commissariis ad nefarium juramentum in civitate et diaecesi Limericensi ministrandum 25° Julii datae, quibus quatuor tantum ex Consiliariis residentibus manus apposuerunt cum aliquot non residentibus et Joanne Walshaeo ibi residentem non agente, quod Fenellus una subscripserit. 6°. Actum mense Junio ad Episcopum Ossoriensem datum quo, ut cum aliis e Clero Or-
monico de quaestionibus tunc circa has controversias propositis responderet, rogatus fuit, subscribentibus | sex tantum Consiliariis residentibus cum Walshaeo, qui ob eandem rationem ibi Consiliarii residentis officio fungi nequiret. 7°. Epistola mense Septembri cum P. Joanne Rouao ad Cardinalem Barberinum circa strictioris observantiae Franciscanos Iberos data, et altera ad eundem 17° Kalend. Januarii cum duobus Franciscanis directa, quarum primae quatuor tantum Consiliarii residentes cum quatuor non residentibus, secundae sex residentes cum quinque non residentibus subscripserunt, licet ex ultimorum Comitiorum Generalium statuto et regiminis norma, in quam solemni ritu Consiliarii juraverant, nullum actum condere valerent, nisi cui ex duodecim Consiliariis residentibus saltem septem subscriberent, nec hujus numeri defectum, imo ne unum quidem ejus calculum deficientem supplere possent omnes etiam simul con- 1641 v 20

1642

currentes Consiliarii non residentes, quorum utique partes erant ut juxta determinationes et limitationes superius tactas alicujus vel aliquorum ex duodecim Consiliariis residentibus p[ro]ae necessitate vel utilitate publica absentium locum supplerent, sed infra numerum quinarium, ita ut semper saltem septem ex residentibus subscribere deberent. Porro praefata acta (aliis id genus brevitatis studio omissis, quibus contra hanc regulam pseudo-Concilium subscrispsit) in medium attuli tanquam evidentissimum argumentum, quo hanc eorum perfidiosissimam machinationem | ad tot tantaque ipsorum acta, testimonia, litteras, edicta, decretaque, quibus Clero populoque intus et exterius nationibus fucum fecerunt, extensam demonstrarem, in quibus omnibus Concilii Supremi autoritatem sibi arrogabant, saepeque aliqua verba illam indicantes inserebant, sicut in praefata sua ad Cardinalem Barberinum epistola mense Septembri scripta et Decembri iterata : “ Miserabilis (inquit) Iberniae fatum, quae praeter externa inimicorum fidei arma, bello tandem civili et mutuis Confaederatorum caedibus crudelissime atteritur, ac jacet desperabunda, cogit nos, quibus *in hoc tristi animorum et armorum dissidio administranda Reipublicae sors obvenit*, ad Eminentiam tuam recurrere.” Haec illi mendacissime, aliaque id genus nescio quot.

1642

v

(1170) Itaque non solum illius pseudo-Concilii acta, quibus ab harum controversiarum initio et aliquandiu in progressu septem Consiliarii residentes subscriperant, ob conjurationem cum haereticis contra faederis Catholici scopum coitam, et infinitas rationes ex hoc fonte scaturientes iniqua fuerant, sed praeterea in discordiarum processu ob specialem causam jam dictam et demonstratam dignissimi evaserunt, qui ob usurpatam in actis publicis condendis atque immaniter execundis indebitam autoritatem vivi comburio tollerentur, quod acta condidissent, quibus tantum nunc sex, nunc quinque, nunc pauciores Consiliarii residentes | subscriperant contra regiminis normam jureamento solemni ab ipsis suscepto, nedum Comitiorum autoritate roboratam, et toto Regno propalatam. Siquidem ex septem Consiliariis residentibus Athuniae Barone, Luca Dillon, Robucco Linchaeo, Richardo Bellingo, Patricio Briano, et Roberto Devereux, qui inter duodecim Consiliarios residentes armorum cessationem cum Insequinno contraxerant, et aliquandiu in unum corpus coaliti acta non pauca condiderant, Robuccus Linchaeus intra unum post datos Apostolos refutatorios mensem recessit. “ Statim enim atque observaverat improbatam et

violentiam caeterorum laicorum Consiliariorum, quod inter alia apportatam ad Concilii mensam Decani Firmani manticam aperire statuerant, factum abhorrens a malefactorum societate et commercio se sejunxit." Sunt Doctoris Enos in rebus illis Ibernicis versatissimi verba. Ante tamem Robucci Lynchaei discessum invenio caepisse actorum subscriptiones septenario dictorum Consiliariorum residentium numero inferiores, postea laxato impudentiae fraeno frequentatae usqueadeo ut pseudo-Comitia Generalia in 4^m Septembbris indicta fuerint acto, cui quinque tantum ex Consiliariis residentibus manus apposuerunt. Quo vel solo titulo illa Ormonistarum Comitia, omniaque eorum acta pro nullis habeantur. Accedit illud pseudo-Concilium nullum non movisse lapidem, quo sui Ormonistae in illo conventiculo dominarentur, aliique vel nullo vel certe eo numero interessent, quo vel libere suffragari non auderent, vel si auderent, nihil possent. Praeterea ipsi Ecclesiae fautores suapte sponte | ab illo conjuratorum conventiculo abhorrebant, haud dubitantes, quin fidei et nationis causa ibi jugularetur. Denique ambae Catholicon rum partes tunc adeo inter se dissidebant ut, bello civili iisdem diebus calente, non togatorum sententiis sed armatorum gladiis litem dirimere satagerent, sicut ex rerum tunc in castis gestarum relatione superius posita liquet. Quare mense Septembri ne Ormonistarum quidem nisi pauci Kilkenniam ad ea pseudo-Comitia celebranda perrevererunt. Unde Nuncius in Diario ad 16 Septembbris 1648 : "Non (inquit) auditur inchoari Kilkenniae Comitia. Quinimo fertur dilata esse in 4^m Octobris. Quod pro certo habetur, cum hic in Conacia, qui illuc vadat, videamus neminem. Idemque de aliis Provinciis auditur." Haec tunc Nuncius.

Iust :
ibidem.
cap. 30.
num. 3.

Idem
ibidem.
cap. 22.
n. 9.

1643

(1171) Illi tamen pauculi Ormonistae tunc Kilkenniae quasi Comitorum Generalium autoritate pollentes P. Joannem Rouaeum, Carmelitarum Discalceatorum in Ibernia Provincialem, Ormonio et Ormonistis addictissimum, in procuratorem cooptarunt, qui Romam pergeret, et appellationem mense Maii a Concilio interpositam prosequeretur. Ille adeo primis illius conventiculi diebus se ad iter accinxerat, ut 11^o Septembbris, 7^o a die in quem pseudo-Comitia indicta fuisse vidimus, ad portus Waterfordiensis fauces a Duncaniae Gubernatore, in Nuncium | optime affecto, e navi in propugnaculum extractus fuerit. Verum postridie dimissus et ad suos paucos Ormonistas Kil- kenniam reversus, litteris, quae cum ipso missae essent, a Dun- caniae Gubernatore restitutis, et hac za vice Kilkenniae (ut

1643
v

aliunde colligo) renovatis, magna festinatione cum altera navi in Galliam transfretavit. Cum quo pauculi illi Ormonistae passionis glaucomate excaecati, et Comitiorum Generalium nomen sibi arrogantes, epistolam ad Innocentium Xum scripsere imposturis plenissimam, mihi nusquam, nisi apud Philopatrum, authorem nulla fide dignum, obviam, proindeque forsan ab ipso etiam pro suo more adulteratam, quae tamen re ipsa illorum Ormonistarum genium et impietatem spirat, et hic sequitur :

*Vindici-
arum ;
lib. I.
p. 140.*

“ Beatissime Pater.

(1172) “ Inter tot, quibus premitur, miserias infaelix Ibernia, nulla nos magis afflit, quam quod septennio jam Catholicam religionem et Ecclesiae splendorem nostro sanguine propagantes, ab Illustrissimo D. Nuncio, Archiepiscopo Firmano, telis Apostolicae Sedis autoritate fulminatis petimus. Heu ! quaenam haec devastatae Patriae et tantarum clodium merces ? aut in quo peccavimus quod, quem Iberniae Patrem et tranquillitatis Angelum expectavimus, civilis belli caput et calamitatum omnium inde emanatarum authorem experimur ? Scilicet Supremo Concilio, cui nos summam | Regni autoritatem delegavimus, non licuit difficillimis temporibus, rebus maxime distractis, sex mensium inducias utiles ac necessarias cum Barone de Insequin, utcumque Protestante, contrahere. Ast si illi, quibus omnium nostrum salus commissa est, oblatas denegassent inducias, et temerario ausu patriam et religionem evidenti objecissent periculo, procul dubio in illos animadversum fuisset. Hinc est quod lectis cessationis articulis et prolixa inter Supremum Concilium et dictum Illustrissimum D. Nuncium super illis disceptatione, omnibus perpensis rerum et temporum circumstantiis, inducias illas, utpote justas, commodas, et necessarias, unanimi consensu approbavimus, et ratas habituri sumus ; supra modum afflicti quod Illustrissimus D. Nuncius, spreta publica Regni autoritate, partes rebellium fovere non destiterit, et Eugenio O Neill adhaerere elegerit, qui nisi coactus, aut nostris aut Supremi Concilii mandatis ab initio hujus belli nullatenus obtemperarit. Quapropter enixe petimus, cum jam tot superatis impedimentis, quae Illustrissimus D. Nuncius objecrerat, Reverendus admodum Pater Fr. Joannes Rowe, Carmelitarum Discalceatorum in Ibernia Provincialis, ad pedes Suae Sanctitatis nostro nomine prosternitur, illum rerum nostrarum statum et injurias nobis illatas referentem benigne audire dignetur, injustas revocare censuras et

benedictionem nobis impetrari quam humiliter obsecramus.
Kilkenniae 17 die Septemb. 1648.

"De mandato generalis Sanctitatis vestrae ad pedum oscula
Conventus Confaederatorum provolutus.

Catholicorum Iberniae : Richardus Blake Prolocutor."

Philippus O Kearny,
Generalium Comitiorum
Clericus." |

(1173) Hanc epistolam, postridie quam Nuncius praefatum 1644
locum de Comitiis necdum inchoatis in suum Diarium retulerat, v
scriptam fuisse vides. Quare liquet, quod dixi, nempe Rouaeum
cum suis chartis ne ab Ormonistarum quidem pseudo-Comitiis
postea frequentioribus, sed a pauculis Ormonistis missum. Ille
autem tertia navigationis die in Galliam appulsus, Lutetiam
Parisiorum perrexit, ubi Regina Angliae, ejusque ex fratre
nepote, Ludovico 14°, Galliarum Rege, hujusque matre, Regina
Christianissima, faventibus, et Joanne Ceallachano, Iberno
Muscriensi, atque adeo Muscrii, et (hujus causa) Ormonii atque
Ormonistarum omnium fauore, facultatis Parisiensis sacrae
Theologiae Doctore, qui sub emento Philopatri Irenaei nomine
libellum suum biennio post in Ormonii et Ormonistarum de-
fensionem edidit, strenue cooperante, quod Nuncio atque adhaer-
entibus in Censurarum causa praejudicium Parisiis offerre conatus
sit, te docebit relatio tunc ex eadem urbe ab homine rei bene
gnaro ad Nuncium transmissa his verbis, quae ex autographo
insero :

(1174) "Die 1° Decembris anni 1648, de mandato Regis
Christianissimi, convocatis in Sorbona coram Subdecano et
Syndico sacrae facultatis Theologicae Parisiensis septem aliis
spectatissimae eruditionis et probatissimae fidei ac pietatis ejusdem
sacrae facultatis Doctoribus, ad examinandam quaestionem
illis | proponendam a Fr. Joanne Rouaeo, Carmelita Iberno, 1645
de excommunicatione lata ab Illustrissimo D.D. Joanne Baptista
Rinuccino, Archiepiscopo et Principe Firmano, Sanctae Sedis
Apostolicae apud Confaederatos Iberniae Catholicos Nuncio,
contra omnes ejusdem Confaederationis acceptantes et amplecten-
tes cessationem armorum iniquissimis conditionibus initam cum
Barone de Insequin, infestissimo fidei Catholicae hoste et haereti-
corum exercitus in isto Regno praefecto generali, res tractabatur
ut sequitur.

(1175) " Post longam seriem et exactam istius quaestacionis discussionem, in septem diversis earundem Doctorum congregationibus, per tres horas integras, singulis septem diebus habitis, auditis ex utraque parte rationibus et testimoniosis, contra validitatem excommunicationis deposuerunt ex una parte dictus P. Rouaeus, Carmelita, et D. Joannes Callaganus, Ibernus praesbyter et in Sacra Theologia Doctor, obnixe efflagitantes Doctorum censuram de invaliditate dictae excommunicationis. Ex altera vero parte validitatem et aequitatem excommunicationis latae defendantes deposuerunt viri dignissimi probatissimae vitae ac pietatis nec non spectatissimae disciplinae, utpote in S. Theologia alii Doctores, Bachalauri alii, alii in artibus Magistri, qui ut poterant exposuerunt motiva et rationes, quibus ductus dictus Illustrissimus D. Nuncius istam excommunicationem in delinquentes fulminavit, licet omnia ejus motiva scire non poterant, utpote a Patria remoti, ut res ista agebatur. Quae tamen proposuerunt, visa sunt Doctoribus ita valida et sufficientia, ut contra validitatem excommunicationis discernere non audebant. Quare auditis utrinque rationibus censuerunt nullatenus concedendam censuram in favorem dictorum Dominorum, Callagani et Rouaei, contra validitatem dictae excommunicationis propter varias has sequentes rationes: 1°. Quod causa pendebat coram tribunali Summi Pontificis, interposita delinquentium appellatione, proindeque ipsi non possent rem illam nullatenus tractare, nisi laesa debita Sedi Apostolicae reverentia. 2°. Quod rationes, super quas fundata et fulminata fuerit ista excommunicatio, validas et sufficientissimas judicaverint, licet non nisi earum paucas easque debiliores audierint, ut supra insinuatum. 3°. Denique, quod praeviderint Doctores suas censuras ea in parte detrimentum maximum atque damnum propagationi ac restaurationi fidei orthodoxae, quae in isto Regno Iberniae agebatur, illaturas. Itaque destinarunt ex novem istis duos, qui rem referrent et totum processum declararent nobilissimo viro, Domino de Brian, Comiti, et Secretario Regis Christianissimi, ad effectum scilicet quod ipsos dignaretur excusare apud Reginam Regentem, quia nihil poterant praestare in favorem causae Patris Rouaei, ut per litteras regias ab ipsis postulabatur. Destinati illi duo vocabantur S.M.N. Peiriret, magnus Magister Collegii Navarrai Regiae, ejusque Doctor ac Socius, et D. Bachellier, Doctor ac Socius Sorbonicus. Sed sciendum est valde et notandum, quod quamvis destinati illi duo testimonium satis perhibuerint, Doctores nullatenus posse illam excommuni-

1645

v

1646

tionem improbare, proindeque excusatos se haberi velle, quod rem intactam reliquerint. Hac (inquam) non obstante eorum protestatione, exierunt adhuc et aliae sub nomine ac sigillo regis Christianissimi litterae ad eundem penitus effectum, ad quem priores, procurantibus scilicet dictis deponentibus Callagano et Rouaeo, eorumve fautoribus et adhaerentibus. Secunda igitur vice secundis illis litteris moniti Doctores rursum minutorem et strictiorem rei examinationem inceperunt. Sed post multos exantlatos labores, non aliam parturierunt sententiam, quam priorem, scilicet rursum duos etiam (sed pro extrema vice) destinaverunt, qui illud idem referrent, et renunciarent, quod priores duo destinati hi posteriores fuerunt D. Messier, Subdecanus Sacrae facultatis Theologicae et praefatus D. Peiriret. Sciendum insuper est, dictos deponentes, scilicet Patrem Rouaeum et D. Callaganum, causam praedictam clam agitare voluisse, assumentes secum tanquam consortem et coadjutorem, haereticum, Dominum Germain, Reginae Angliae Consiliarium. Sed eorum insidias et perversas animi machinationes detexit Joannes Molony, Ibernum, in facultate Parisiensi artium Magister, quas ut primum detexit, allocutus est D. Syndicum facultatis Theologicae, rogavitque eum plurimosque alios Doctores sibi notos et amicos, ut si talis causa coram ipsis in facultate proponeretur, dignarentur ipsi significare, quandoquidem res fuerit gravis momenti pro fide Catholica, et qui istam causam promovebant, scilicet dicti Rouaeus et Callaganus, *viri essent male affecti erga causam Catholicam*, quae in Ibernia agebatur, *et tales ab omnibus fuissent habiti*. Itaque contingit ut cum exiisset mandatum istud Regis procuratum per dictos Rouaeum et Callaganum, res illa a Doctoribus examinaretur, notitiaque data sit dicto Domino Molony, qui assumptis et monitis aliis suis compatriotis, fidei zelatoribus, comparuit coram Doctoribus, ubi exposuerunt rationes et motiva Illustrissimi D. Nuncii in illa censura ferenda ut supra. Repertum autem est in processu negotii dictos Rouaeum et Callaganum *plurimas imposturas, falsitates, et calumnias* coram Doctoribus pro rationibus solidis et veris allegasse, et inter alia quae exhibuerant mendacia, dixerunt et persuaserunt Doctoribus *nullam intervenisse appellationem adversus istam censuram, nec delatam ullatenus causam fuisse ad Summum Pontificem*. Quod cum postea falsissimum et mendacissimum inventum fuerat, censebantur isti in omnibus rei (nam qui delinquit in uno censetur omnium reus), et mercedem suam receperunt. Nam cum opprobrio et despectu repulsi sunt,

1646

v

1647 etiam ab iis, qui alioquin | ipsis maxime favebant, et aestimati sunt tanquam homines causae Catholicae minus faventes, imo multum adversantes, et Pater Rouaeus reprehensionem satis acrem, quae ruborem in vultu quantumvis audaci excitavit, passus est a Domino Hennequin, uno ex Doctoribus et alias ejus causae maxime faute, decepto scilicet eorum imposturis et falsis narrationibus. Notandum denique in litteris istis Regiis, quae Doctores ad examen istius controversiae obligabant, mentionem tantum factam fuisse nominis dicti Patris Rouaei, qualitatem gerentis Provincialis Carmelitarum Discalceatorum in Ibernia. Praeterea ipse Doctoribus dixit se fuisse deputatum ad illud munus per Supremum Concilium Confaederatorum Catholicorum Iberniae." Hactenus illa relatio.

(1176) In Nuncii causa tunc Parisiis apud Doctores sustinenda praeter alios nostrates me latentes et D. Joannem O Molonium hic nominatum, cuius propria manu (nam apices internosco) dicta relatio scripta fuit, D. Richardus Nugentius, e Comitatu Corcagiensi Ibernus, ejusdem facultatis Parisiensis S. Theologiae Doctor meritissimus, et R. P. Joannes Poncius, Franciscanus bernus, isque Corcagiensis, toti jam Dei Ecclesiae in virum doctum notus, eximiam operam collocarunt. Nec suis partibus defuit Illustrissimus ac Reverendissimus D. Nicolaus *ex Comitiis Guidis a Balneo Dei, vernacule de Bagni*, Archiepiscopus Athenarum, inter hoc bellum | Ibernicum ibi saltem ab anno 1644 Nuncius Apostolicus, proindeque a nobis inter has res Ibernicas saepius nominatus, qui ubi Regina Angliae cum ipso propter hanc controversiam expostulasset, generose respondit se paratissimum ad obsequendum tam dignae Regiae, sed non in iis, quae obsequio Sedi Apostolicae debito repugnarent. Porro Rouaeus confusionem illa Parisiis obrutus, se in viam dedit et Romam non nisi 16 mensis Januarii anno 1649 pervenit, vel ipso Philopatro teste, paucis diebus antequam pax in Ibernia (ut videbimus) cum Ormonio a suis Ormonistis 17 Januarii jam dicti stylo veteri conclusa promulgataque fuit, cum tamen induciae Insequinnianae 27 Maii 1648 censuris prohibitae essent, praesertim ne ad optimam pacem excludendam et ad malam illam intrudendam (sicut de facto successit) viam sternerent.

Quam ergo maligna fuit Ormonistis mens in illa appellatione interponenda, lentoque pede prosecunda, ut interea totam ipsi machinationem exequerentur, et appellationis plane nugatoriae praetextu populum seducerent. Quae lenta appellationis prosecutio eo majori ipsis vitio vertenda est, quod Nuncius et Praelati

Vindic:
lib. 1.
pag. 144.

delegati appellationem ad effectum quidem suspensivum non admiserint, sed ad effectum devolutivum per Apostolos 4º Junii 1648 datos ad spatium semestre tantum valituros. Respondebunt forsitan appellantes P. Rouaeum a Duncaniae Gubernatore e navi fuisse extractum et *illa arte, id maxime effectum, ut serius appellatio ad Summum Pontificem deferretur.* Sed haec responsio nulla est. Nam 1º tres amplius menses | post concessos Apostolos elapsi fuerant antequam Rouaeus, etiam prima vice, velum fecit, aut a Gubernatore illo extractus est. Deinde a Gubernatore post unam noctem dimissus adeo celeri navigatione in Galliam trahit, ut Cardinalis Panzirolus Nuncio in Iberiam ex Urbe 16 Novembris 1648 scripserit eum Parisios pervenisse. Quo citra dubium nescio quot hebdomas antequam Cardinali Romae innotuit, pervenerat. Ex quo calculo rite subducto liquet haud ab illo Gubernatore factum, ut nisi paulo tardius trajecerit. Porro quam infaelici successu appellationem Romae prosecutus sit, inferius suo loco et tempore recensebimus. Interea haud melius quam hic collocaverim praefati P. Joannis Poncii epistolam, quam tunc Parisiis in Iberiam ad Archiepiscopum Dublinensem, ex Religione Franciscana ad infulas assumptum, Anglice scripsit circa infamem apostamatam, P. Petrum Walshaeum, Franciscanum Ibernum, strenuum Nuncii adversarium, aliaque.
"Illustrissime et Reverendissime Domine.

(1177) "Ex epistola mihi a P. Petro Walsaeo missa intelligo Illustrissimam Dominationem vestram a Concilio, in controversia ipsis cum Nuncio intercedente, funditus recessisse, de qua re praefatus Pater multum conqueritur. Quae nuncia mihi fuere acceptissima, et certus sum fore gratissima omnibus Patribus nostratis Romae degentibus, qui maximopere doluerunt ubi audissemus te non solum induciis subscriptisse, sed etiam earundem causa deinde Concilio adversus Nuncium adhaesisse. Illustrissimae Dominationi vestrae hic inclusam mitto meam ad P. Petri Walshaei litteras responsonem, | quam dignare illi mittere, si mittendam duxeris. Sin autem, de ea secus dispone. Ego honori duco ut sim sincerus, et propterea meam ipsi mentem expressi, sicut oretenus egi cum P. Rouaeo, Carmelitarum Provinciale, quem certus sum Romae non praevalitetur adversus Nuncium, non obstantibus omnibus falsis rationibus, quas illis propositurus est in purgationem eorum, quae Concilium pacto concluderat, idque sane ita ut licet forsitan sincere praecesserint, nemo tamen, quem eorum mens latuerit, non possit optime citra ullam temeritatem eorum procedendi modos suspicari, et metuere,

Philopater
Vindic.
Lib. 1.
pag. 143.

1648

1648

v

ne aliquid religioni Catholicae et patriae bono exitiali cogitarint. Utinam bene perpendissent Nuncio restituro non defuturos in natione tam Catholica adeo multos, qui ab ipso starent, proindeque futurum, ut illis luctuosis discordiis se et patriam impli- carent. Crediderim autem eos arbitratos ipsum, pactis semel ab- solutis, non occursum, illeque pariter opinione, quam de eorum in Ecclesiam obsequio conceperat, fretus, sibi persuaserit, eos post latas a se censuras, caeptis, quae (ni fallor) temere meditati erant, et nocenter pepergerunt, destituros, ita ut, omnibus utrin- que contendentibus, miserandum Regnum in extremi excidii discrimine versetur. Utcumque fuerit, Illustrissima Dominatio

1649

vestra se gessit, sicut | dignum adeo Praelatum decet etc. Parisii
25° Octobris 1648.

Illustrissimae Dominationis vestrae indignus discipulus et
cappellanus,

Fr. Joannes Poncius."

(1178) Nuncius auditio P. Rouaeum ab Ormonistis Romam ad prosequendam appellationem fuisse destinatum, Cardinali Panzi- rolo per litteras haud semel supplicavit, ut causa, nisi sero Pro- curatore auditio, P. Josepho Arcamonio, Theatino Italo, sibi a confessionibus, ex Ibernia in Urbem destinando, non diffiniretur, cum quo ad Suam Sanctitatem Italice scripsit hanc epistolam :

"*Sanctissimo Domino Nostro, Papae, Innocentio X.*

"Beatissime Pater.

Reg. I
P. 673

1649

(1179) "Sanctitas Vestra sui Pontificatus actionibus et perpessionibus egit, quod Ecclesiae Romanae magis est proprium quam olim Imperii fuerat, perinde agere ac pati fortia. Quare ego, cui ab hujus officii mei initio ita fortuna faverat, ut vestrae Beatitudinis magnanimitati non nulos victoriarum triumphos significaverim, eadem ingenuitate possum referre viva voce sua constantiae gloriam persecutionis. Erit ergo ad pedes Vestrae Sanctitatis, nomine meo, P. D. Josephus Arcamonius, Theatinus, et meus | Confessarius, qui cum omnibus hujus Regni successibus interfuerit, Sanctitati Vestrae machinationes et progressus unitae cum haereticis factionis et eregione eorum, qui bona mente sunt, Catholicorum consilia, vires, et spes fideliter enarrabit. Quantum ad me, probe novi id omne, quod passus sum et patior, esse debere maximum meae et personae et familiae ornamentum, sed semper cum aeterno animi dolore, quod ulla ejus pars vergat in pertur- bationem Beatitudinis vestrae, quae meretur etiam omnium

v

suorum Ministrorum cruento adorari omni loco absque ulla diminutione ejus, quod suae Sanctissimae personae reddendum praecepit Deus. Finem facio suam divinam orans Majestatem, ut si suis justis judiciis saepe permisit sanctae fidei rotas volubiles, rogante Sanctitate Vestra eas semel et semper infidelitate atque haeresi accommodare dignetur. Et ipsi supplicans ut praefato Patri faveat protegatque, sanctissimos Beatitudinis vestrae pedes oscular, eique appreco mercedem infinitae tranquillitatis ad annos plurimos. Galviae 7 Novembris 1648."

(1180) Ad Cardinalem autem Panzirolum, praeter alias litteras huc non spectantes, Nuncius dedit cum eodem P. Josepho epistolam, cuius praecipuam partem hic habe. "Eminentia (inquit) vestra a P. Josepho fuse intelliget, quanti interfuerit ad cohibendum malorum impetum, quod Sua Sanctitas | jam novos in hoc Regno Episcopos nominarit. Nam inter insolentias et bella, malasque voluntates, pauci, qui inter Episcopos seniores boni sunt, mecum esse nunquam potuerunt, et mansissem solus, nisi praesto fuissent quinque ex junioribus, qui me semper secuti sunt. Quapropter humillime meam aperio opinionem, fore scilicet utile ut aliis etiam tribus episcopatibus vacantibus de Praelatis provideatur, ad eorum, qui Sedem Apostolicam sequuntur, augendum numerum, et confundendum Magistratum praesentem, qui a Sua Sanctitate promotos sed a se ipsis non nominatos, inaudita temeritate in publici juramenti formula vocarunt *praetensos Episcopos* et id Laesae Majestatis delictis in me cisis inseruerunt." Haec Nuncius, Galvia 11 Novembris 1648, qui P. Josepho haec monita dedit Italice :

(1181) "Si Reverentia vestra (sicut fore spero) in treugae iniuitate et, quae mihi incumbebat, obligatione ejus conclusioni obviandi persuadenda successerit, faciliter etiam negotio, Deo adjuvante, ostendere poterit me non voluisse me accingere, nec ad discedendum ex Regno, nec ad remanendum in eo instar meri spectatoris successum, sicut evenisset, nisi processum fuisset ad censuras.

(1182) "Nam (ut primo de hoc ultimo loquar) oportuisset videre coram meis oculis Baronem Insequinniae et ministros haereticos exercentes jurisdictionem, opprimentes Catholicos, et tempa Puritanis restituente, sicut ille suo edicto typis | mandato se facturum protestatus erat, et in Sedis Apostolicae ignominiam opus fuisset ut totam devorarem, quin possem nec scirem ulli rei adhiberi remedium, velut homo nullius in Regno authorita-

*Reg. :
P. 675.
1650*

*Reg.
P. 680.
1650*

v

tis. Praeterea nec hunc quidem in modum id assecutus essem ne ex Regno exploderer, quandoquidem Insequinnius jam suis litteris super hoc mentem declaraverat. Nec solum ejus rei sententia fuerat anno superiori (sicut tunc significavi) hic conclusa inter Digbaeum et conjuratos, sed etiam sub finem mensis Martii pacta Parisiis inter Reginam (Angliae) et duos Regni Commissarios, antequam hic induciarum tractatus proponeretur, sicut constat ex litteris fide dignis ad quosdam Iberos ex Gallia allatis. Restat ergo considerandum solum discessionis remedium, quod aliquo fundamento nixum fuisse videtur, velut res quae me ipsum multis liberasset molestiis, et populo (ut videbatur) illam, quam sua ingratitudine merebantur, mercedem rependisset, et quia nemo sibi non persuadebit nihil statui et conditioni meae majorem animi oblectationem atque utilitatem parere potuisse quam ejusmodi abscessionem, cum Sua Sanctitas id faciendi potestatem in meo posuerit arbitrio, et meas actiones usque ad diem illum tantopere sibi arrisisse ostenderit. Quibus addo sic me aliqua cum laude infinitis expediendum fuisse fastidiis. Hinc est quod sperem fore ut patronorum clementia, auditio me non ivisse in | animi sententiam tantopere delectantem, credat incitamenta, quibus ab ea amplectenda dimotus eram, fuisse secundum honorem et conscientiam incomparabiliter majora.

(1183) "Licet Regnum hodie ab illis solis, qui praeteritiae pacis authores fuerant, et eam ob causam tribus mensibus in carcere retenti sunt, gubernetur, nihilominus haud ita est depravatum, quin Faederatorum Catholicorum tres quadrantes manifeste pro Ecclesia, ejusque decretis faciant. Inter Episcopos, licet post condemnatas inducias non nulli piae invidia vel aliis passionibus (sicut Reverentia vestra demonstrare poterit) sententiam mutaverint, nihilominus septemdecim ex hac parte militant. Ex eadem etiam stant, uno excepto, omnes Vicarii Apostolici. Ordo Dominicanus hoc temporis articulo neminem continet, qui contrarium publice sentit. In amplissima Sancti Francisci Religione octo vel septem tantum se opponunt, et quatuor ad summum in Ordine Augustiniano. Capucini omnes nobis suffragantur, et ex ipsis Jesuitis non nulli nobis astipulantur, licet major eorum, nec non Carmelitarum discalceatorum pars sit contraria, tametsi in his duobus ultimis Ordinibus Provinciales, qui adversantur, non nisi violenter suos subditos traxerint. Praeterea cum in civitatibus ventum est ad subscribendum memorialibus, quo interdictum relaxaretur, Wexfordiae | omnes, et Galviae trecenti cives subscripterunt. Idque ipsum de Limerico

speratur. Si jam tota Ultonia, et omnes Ultoniensibus adhaerentes, qui alias Provincias incolunt, adjungantur, dubio procul numerus quem dico resultabit. Hi autem omnes, ut me de discessione loquentem audierant, protestati sunt cum lachrymis futurum ut haec abscessio religioni ruinam procrearet, eamque potius destrueret quam aedificaret, et universum Clerum persecutoribus in praedam relinqueret. Porro ad hoc propositum Reverentia vestra novit et referre poterit Archiepiscopi Dubliniensis et tot aliorum planctus.

(1184) "Id omnino ipsum D. Eugenius et universus ejus exercitus, nec non adhaerentes affirmabant, ostendentes non adversarios Ormonistas sed se religionis causa bellum caepisse, et semper secutos fuisse Ecclesiae partes cum periculo in se accersendi totius alterius partis persecutionem, proindeque post haec omnia derelinquendos omnibus in praedam per meum discessum, et perditum iri prorsus florentem exercitum, quo non sine ratione inniti posset omnis futura spes religionis, sine hoc auxilio funditus peritura.

(1185) "Has omnes et multas alias rationes Theologis fidelibus communicare non neglexi, quibus demum mihi respondentibus se arbitratos, me *ex conscientiae legibus teneri* ad omnem conatum adhibendum, quatenus religionem in eo, quo versabatur, discrimine non desererem. Huic parti adhaerere | decrevi, cum 1652 culpatio, qua duo Regni trientes me notassent, mihi desertionem imputaturi, pluris facienda mihi videretur, quam persecutio, quam ex altera parte metuebam. In memoriam etiam revocavi hanc Nunciaturam p[re] sua difficultate aliquatenus comparandam illis Ecclesiae tempestatibus, quibus Ministri Apostolici nunquam animo cadebant. Denique ubi perpendissem cultus hic publici conservationem esse unum ex iis, quae hodie praestanda suscepit Sedes Apostolica, malui subire aleam cujuscumque mortificationis, quam committere ut ulla adversus eandem Sanctam Sedem querela moveretur, quasi a caepto prosequendo fuisset deterrita.

(1186) "Jam opus erit ut Reverentia vestra demonstret futurum ut, nisi ad censuras ventum fuisset, omnis alia diligentia in finem superius memoratum adhibita vel adhibenda ad nihilum recideret, quod ex tractatus, quem mecum Consiliarii tenuerant, progressu facile liquet. Siquidem in principio ad me Waterfordiam scripserant, quam haberent cogitationem contrahendi cum Insequinno inducias, quod se pro Rege facturum declarasset, et bonas promitteret conditiones. Cumque ipsis

respondissem, treugam ob varias rationes mihi videri religioni periculosam, toties et responderunt, et me Kilkenniam invitauit cum pollicitatione nihil agendi nisi ad meum votum, ut illo demum me traxerint.

1652

v

(1187) "Ibi in quatuordecim Episcoporum Congregatione induiae condemnatae fuere; cumque non ignoraretur, | quod Concilium tamen in tractatu progrediebatur, iidem Episcopi mihi et aliis quatuor veniendi etiam (si opus foret) ad censuras authoritatem contulere. Interea rei ad justam cum Clero mensuram redigendae tractatus inchoatus fuit, eodemque tempore Concilium ad pactionem cum Barone absolvendam Commissarios destinavit. Unde cum Ecclesia mihi videretur irrideri, ex improviso Kilkennia exivi, quod Consiliarii tanta animi amaritudine tulere ut postea cum ratione creditum fuerit eos me Kilkenniam invitasse, et voluisse ut ibi essem in fines suos, et forsitan quo me in Marchionis Ormoniae, qui illuc venturus esset, manus tradarent, meque Regno ejicerent majori cum imperio atque ignominia. Marienburgum (ubi una nocte et die una pedem figere decreveram, quo exinde Galviam proficiserer) supervenerunt ad me duo eorum Commissarii, ut nova proponerent temperamenta, et D. Eugenium soporarent. Etenim vidimus interea maxima velociitate coactum fuisse Prestoni exercitum, et Taaffi viribus nec non haereticis Insequinnii copiis coaluisse, peneque nostrum venisse in conspectum, et declarasse se velle O Nellum occidere. In hac rerum conditione, viso omnem anteriorem diligentiam ludibrio fuisse habitam, foreque ut si non obviarem me spectatore ipse et exercitus Ultoniensis opprimeremur, et haeretici de vera religione triumphum reveherent, necessarium esse existimavi ut mea atque Episcoporum autoritate et excommunicationem fulminavi, quod mihi aliud nec in mentem veniret, nec superesset | remedium. Reverentia quoque vestra poterit patronos reddere certos mihi, nisi Prestonus hoc temerario modo comparuisset, decretum fuisse (sicut ipsis Consiliariis scripseram) Censuris abstinere. Unde Deus Opt. Max. videtur permisisse primum, ne secundum succederet. Jam vero hac deliberatione certum est impeditum fuisse vel delatum haeretici dominatum, salvatum religionis cultum, et restitutum exercitum florentem, qui se eandem constanti animo defendere velle ostendit, et a quo, si Deo placuerit, etiam hodie optimi effectus expectentur.

1653

(1188) "Verum excommunicatio adversariis haud tantum negotii facessiverat, quantum quod appellatio ad effectum suspensivum admissa non fuit. Horum enim terminorum

imperiti et mala potius voluntate occupatorum quam doctorum hominum consiliis ducti quacumque appellationem credebant suffecturam ad iudicium eludendum, ad quod antea in eum se modum praeparaverant, ut publice ostentarent, se, si ad excommunicationem veniretur, jam dispositam habuisse Appellationem, quo factum ut semper perstiterint appellantes ad Suam Sanctitatem in religionis causa, ut adversus eandem in eo, quod machinati erant, progredi, et perinde judicem ad quem ac judicem a quo irridere valerent. Unde ex hoc punto omnes originem traxerunt secutae deinde dissensiones, Religiosorum pertinacia, Episcoporum schisma, et cunctae, quibus me affecerunt, contumeliae, cum vidissent se hac ratione praepeditos a prosequendis consiliis, quae a tot mensibus rata fixaque | habuerant, nempe ut 1653 Ultonienses destruerent, Clerum depremerent, et Marchionem v (Ormoniae) ac pacem restituerent.

(1189) "Praeterea magnum videbatur suppeterere argumentum insistendi huic deliberationi, ubi observassem in praesenti casu intervenisse quod factum non fuerit Waterfordiae inter primam pacis rejectionem, in qua, supra quam in hoc negotio peractum est, omnes Consiliarii declarati fuerant perjuri. Quod ad caetera, illic Consiliarii, si Ormonio adhaererent, hic non solum illi sed etiam omnes alii, si haereticis se associarent, excommunicati fuere. Illic fulminata fuerat censura in eos qui decimas ecclesiasticas exigenterent, et hic etiam id ipsum. Ibi omnes milites comminationibus adacti fuerant ad veniendum ad exercitum Ecclesiae. Et hic pariter. Cum ergo illam deliberationem Romae et in omnibus aulis ac Regnis, quibus innotuisset, cum tanto applausu receptam fuisse animadvertissem, haud potui mihi persuadere, quin simile jam securum esset, cum de facto confidenter dici queat, hanc treugam non esse aliud, quam illius pacis resuscitationem, et perinde hanc atque illam fuisse impediendam. Effectuum autem diversitas, qua prima a secunda discrepare visa erat, ex eo originem traxit quod tunc omnes Episcopi opinionibus consenserint, et Concilium haud armatum fuerit, proindeque omnes facile ad Ecclesiae partes accesserint. Nunc autem septem Episcopi ob frivolas passiones se palam alienarunt, secumque suos fautores traxerunt. Concilium quoque de tantis sibi prospexerat copiis, in quibus continerentur sex praefecti generales, omnes adversus O Nellum conjurati. |

(1190) "Non nego me ab initio, quo in Iberniam veneram 1654 habuisse a Sua Sanctitate in mandatis, ut si illa pax (sicut P. Scarampus significaverat) conclusa fuisse, nullum ad eam appro-

bandam vel improbandam actum positivum facerem, idque relicta etiam mihi permanendi in eo rerum statu apud Insulam vel non permanendi libertate. Novi pariter in altera occasione mihi terminis generalibus scriptum fuisse, ut ubi id, quod ex parte mea possem, egisset, ulterius non resisterem. Verum ut me de primo purgem, oportet ut Reverentiae vestrae confidenter aperiam, me post pacem conclusam venisse Waterfordiam animo constanti insistendi monitis, et nullum faciendi actum pro vel contra. Quod meum propositum, ubi Episcopo Clogherensi pluribus antea diebus communicassem, ille etiam (sicut semper fidem faciet) id approbavit; viso autem omnes deinde Episcopos et P. Scarampum nemine discrepante judicasse pacem positive rejiciendam, malui accedere sententiae communis, ratus hoc suffecturum, sicut suffecit, in praedicti mandati forsitan violati excusationem. Ubi ergo considerassem quod in praesenti induciarum negotio de ea prorsus re, quae tunc tractabatur, ageretur, idque (quod plus est) in Sanctae Sedis et Cleri injuriam, abjecta omni mentis cunctatione easdem rationes utrobique militaturas, et aequali ponderatione ac judicio has nostras diligentias non minus quam illas a patronorum prudentia approbandas judicavi. Unde secundo mandato generali, quod mihi (sicut superius dixi) datum erat, perpenso, ingenue fateor me considerato negotio penitus dependente a primo, | et insuper ejusdem circumstantiis, fidei quoque periculo, nec non theologorum sententiis, existimasse me non praestitum quantum deberem et possum, nisi praestarem quantum prima vice factum erat, et nisi veniretur ad eum rerum statum, qui solus impetum, de quo toties significavi, sistere valeret.

(1191) "Hae sunt in summa rationes et causae, quibus mea et Episcoporum, qui mecum erant, deliberatio subnixa fuit. Satis autem ex effectibus seutis notum est factionem judicasse hanc censuram omnia sua consilia irrita reddidisse, cum jam posthabita Sedis Apostolicae et jurisdictionis ejus reverentia tantum decretorum, deliberationum, edictorum, incarcerationum, et violatae immunitatis ecclesiasticae, quae his mensibus praeteritis audita sunt, venenum evomuerit, nec Concilium nec Comitia se a propositionibus paulo minus haereticis continuerint, declarando Episcopos incurrisse delictum rebellionis, quod Nuncio obtemperassent, quem dicunt exteram esse potestatem, vocando Episcopos praetensos illos qui a Concilio nominati non erant, vel certe ad alium Episcopatum quam ad nominatum promoti fuere, et spoliando Nuncium auctoritate tituloque; qualia forsitan

nullius unquam Regis nisi prorsus haeretici tempore in hoc Regno contigerant.

(1192) "Et forsitan utiliter successit quod hoc tempore per-versa factiosorum atque Anglo-Ibernorum Regni inclinatio se prodiderit, quo Sedes Apostolica imposterum consideret sua subsidia, si his | concederentur, semper ad haeresim augendam et 1655 ad pessundandam jurisdictionem ecclesiasticam profutura, et e contrario perutiliter suppeditanda alteri parti et antiquis Ibernis, quorum illum unquam a religione Catholica defecisse, non est memoriae proditum.

(1193) "Nec minus etiam profecerit ad malam horum hominum mentem in Suam Sanctitatem atque in Nuncium demum detegendam, quam licet non nisi jam manifestarint, certissimum tamen est factiosos, qui ad regiminis clavum sedissent, eam animo semper infixam habuisse a prima die, qua Papa huic negotio manum admoverat. Cum P. Scarampus Concilii concessui retulisset, Suam Sanctitatem me Nuncium in Iberniam destinasse, ipsi responsum fuit, eos non Nuncium sed pecuniam postulasse, et non illum sed hanc solam curasse. Episcopus Corcagiensis, qui tunc cum aliis tribus Commissariis ad tractandum cum Marchione se Dubliniae tenebat, mihi fidem facit, collegas, auditio hoc nuncio, expavisse, et commotos fuisse valde. Richardus Bellinus in itinere, quo Romam perrexisse, auditio Florentiae hoc nuncio, biduo prope obmutuit, et quam conceperat, animi amaritudinem Romae manifeste demonstravit. Primis diebus, quibus Kilkenniam appuli, non nulli causidici P. Scarampum interrogarunt, nunquid tribunal erigerem, et illo respondente quod erigerem, illi id nullo modo permittendum responderunt. Quo factum ut in hac re cum maxima semper dexteritate processerim, et majorem habere cupierim quam exercere autoritatem. Vicecomes Musciensis in publicis Comitiis dixit, diem, quo appuli, Regno fuisse fatalem. In summa omnibus actionibus ostenderunt se Papae autoritatem pati non posse. De quo primum verbo, deindeque demum libro typis | mandato affirmare 1655 non erubuerunt ejus suppetias haud aliud fuisse quam spem, v ventum, et desperationem. Dei ergo fuerit permissio ut personae solo nomine Catholicae et in Ecclesiam irreverentes, demum primae Sedis fulmine percuterentur, et in se illam accerserent iram, quae ejusdem divinae Majestatis contemptores solet comitari.

(1194) "Ego sane, ex quo litteras ex Gallia et Flandria missas videram, quibus asseritur ibi de Concilii mente et contumacia

pessime sentiri, et quibus scribitur contractas cum Insequinno inducias fore fontem, ex quo extrema religionis ruina nascitura sit, in spem veni modum, quem ad eas impediendas tenui, multo magis approbandum a patronis, velut qui pari clementia suos Ministros defendunt et instruunt. Et haec quidem sunt, quae Reverentiae vestrae dicere aequum duxi, relinquens alia plura adjungenda ab ipsamet tanquam rerum callentissima." Hactenus illa monita P. Josepho tradita.

(1195) Praeterea alia quoque charta paulo posterius nempe
Reg. I.
p. 697. 11 Novembri scripta P. Josepho a Nuncio tradita fuit eodem
spectans, quam hic praetermitto, quod non aliud contineat quam
eorum, quae alibi circa inducias et censuras fusius retuli, compen-
dium. Porro circa praefata Nuncii monita notandum est 1°.
quod dicit Regnum tunc gubernatum ab illis solis, qui praeteritae
pacis authores fuerant, et eam ob causam in carcere retenti
erant, ita intelligendum ut ab illis solis per se vel suam factionem
dominantibus, proindeque a collegis ad eorum votum ambulanti-
bus, Regnum tunc gubernatum fuisse censeatur. 2°. *In
1656 amplissima* (inquit) S. | *Francisci Religione octo vel septem
tantum se opponunt.* Quod ille didicerit, et forsitan tunc verum
fuerit, licet Provincialis epistola postea ad Nuncium 19 Decem-
bris scripta et superius posita majorem numerum contineat.
3°. Alibi dicit octo Episcopos, sed hic septem defecisse. Quae
se destruere non videntur. Nam hic de septem Episcopis, qui *se
palam alienarunt*, loquitur. Octavus autem, quem Ardagh-
densem esse existimo, se quidem a Nuncii partibus alienavit,
sed non *palam*, cum ita Nuncio non adhaeserit ut miris usus sit
artificiis ne per acta publica probari posset se Concilio
adhaesisse, saltem usque ad haec monita P. Josepho tradita.
Septem autem Praelati qui *palam* se alienarunt, fuere Tuamensis,
Aladensis, Finiborensis, Ossoriensis, Midensis, Dromorensis, et
Limericensis. Septemdecim Praelati, quos a sua parte stetisse
hic dicit, fuere Iberniae Primas Ardmachanus, Archiepiscopus
Cassiliensis, Archiepiscopus Dubliniensis, Kilmorensis, Rapotens-
sis, Clogherensis, Dunensis, Clonmacnosensis, Waterfordensis,
Laonensis, Ardfeartensis, Immolacensis, Corcagiensis, Rossensis,
Laghleniensis, Elphinensis, et Clonfertensis, praeter quos septem-
decim hic et octo superius nominatos haud plures tunc Episcopi
in Ibernia se tenebant, excepto ipso Nuncio, decimo octavo
Episcopo pro Ecclesiae partibus faciente, cuius vel solius calculus
omnium adversariorum simul sumptorum suffragiis praepondereret.
Aberant autem Regno duo Episcopi, Fernensis et Duacensis.



Quorum ius per acta a se postea scripta et subscripta judicasse
videtur vibratas ad impediendam armorum cessationem censuras
fuisse validas, quibus ius post regressum | ita detulit ut citra 1656
Nuncii licentiam nec rem sacram fecerit, nec sacramenta frequent-
arit, licet Episcopus, operamque deinde dederit ut absolutio ad
cautelam peteretur. 4°. In monitis illis P. Josepho datis Nuncius
mentionem facit duorum mandatorum, quibus ipsi praescriptum
fuisse videatur, ne paci Ormoniae anno 1646 contractae pro-
scriptaeque aut his induciis anno 1648 contractis intercederet.
Horum mandatorum 1^m a Cardinale Pamphilio 5 Novembris
1645 notis arcanis transmissum, et suo loco superius positum,
praescribebat ut Nuncius, si pacem integrum ex Glamorganica
et Ormonica compactam invenisset ad suum appulsum plane
celebratam, eam nec approbaret nec improbaret, sed pure
negative se haberet. Verum ex rerum tunc gestarum relatione
superius contexta constat id mandatum haud missum fuisse
nisi transmissis a Scarampo Romam pacis Glamorganicae con-
ditionibus, et illis in Urbe utcunque arridentibus, quibus, postea
a Rege revocatis, Glamorgani mandato refixo, subsidiis Pontificiis
in bellum Ibernicum impensis, victoriisque insignibus anno 1646
a milite Catholico reportatis, rerumque facie multis aliis modis
ante proscriptam pacem Ormonicam omnino mutata, illud
mandatum antea significatum vel hoc solo nomine evanuisse
videtur. Quare Nuncius sancte et prudenter illo posthabito in
rejicienda anno 1646 pace Ormonica unanimem Cleri sententiam
secutus est postea Romae approbatam. 2^m vero mandatum,
de quo hic Nuncius loquitur, missum fuit a Cardinale Panzirolo
notis arcanis 1^o Julii 1647, quod sicut suo loco superius legas,
praescribebat ut Nuncius, ubi suis partibus satisfecisset, nec
pacis nec induciarum | tractatibus se amplius immiseret. Verum 1657
hoc mandatum Romae missum fuit perpensis induciarum, de quibus
paulo ante cum Ormonio contrahendis agebatur, circumstantiis a
Concilio tunc per acta a Nuncio Romam missa ita coloratis, ut
Suam Sanctitatem et Congregationem Cardinalitiam rebus
Ibernicis in Urbe praefectam ad dictum mandatum transmitten-
dum induxerint, nullatenus ad has inducias extendendum
anno 1648 non cum Ormonio sed cum Insequinnio ita celebratas,
ut sub induciarum praetextu et nomine pestilentissima et crudel-
issima Ormonistarum et haereticorum in Clerum, Ecclesiam
Ibernicam fautoresque coita delituerit conspiratio. 5°. Nuncius
in praefatis monitis P. Josepho traditis, veterum Ibernorum
nullum unquam a religione Catholica defecisse vel faetus cum

haereticis percussisse dicit ; quod ejus assertum temperandum est. Nam defecerunt quidem aliqui, sed tantae aliorum pluralitatis comparatione adeo pauci, iique Anglorum vel Anglo-Ibernorum cognatione, agnatione, vel alio eorum visco occupati ut tentationis ardore mitigato resipuerint, exceptis paucissimis.

(1196) Non deerant e Clero Ibernico, etiam ex Praelatis, qui cum Nuncio egerint, ut ipsi ad hanc causam prosequendam in Urbem destinarentur, sed ille praeter alios jussit ut P. Richardus O Ferallus, Capucinus Ibernus, hospitii Galviensis tunc moderator, P. Josephum Romam comitaretur, et non solum itineris socium sed etiam in causa apud Urbem agitanda auxiliatorem

1657 se praebaret, quod melius quam | P. Josephus nationis statum, v personas, et circumstantias calleret. Mandato etiam scripto inseruit Nuncius ut P. Richardus toto itinere etiam per continentis regiones Catholicas vestem laicam indueretur, quo ambo citius Romanam pervenirent. Reluctatus autem est P. Richardus quantum tuta conscientia potuit. Sed nihil profecit, Nuncio constanter et absolute imperante. Cum ergo plures dies condescendi occasionem, quae quod ex solo portu Galviensi solvere possent, haud facile se offerebat, expectassent, demum 17 Novembris 1648 ex illo maris sinu vela ventis dederunt. Cumque plures naves Anglicanae ad eas oras pyraticam exercerent, in eas quidem paulo postquam ex portus faucibus egressi essent, inciderunt, sed Deo specialiter providente mox furibundo turbine flante et immanni coorta tempestate, hostes etsi longe fortiores tantum abest ut insilierint, ut etiam totis viribus resilierint, obsecrantes ut navis etiam Catholica longe se teneret, ne utrinque collisione naufragarentur. Porro P. Josephus et P. Richardus secundis ventis usi in Galliam incolumes navigarunt, dieque Christi Domini Nativitati sacra Parisios pervenerunt, ibi a Galliarum Nuncio omni humanitate excepti, menseque Januario ineunte iter prosecuti, de quibus ad annum proxime sequentem sermo redabit.

(1197) D. Patricius Lynchaeus, Collegii S. Nicolai apud | 1658 Galviam tunc *Praepositus, Guardianus, Wardianus*, seu (nam illam praefecturam his variis nominibus significari video) *Custos*, aliique sacerdotes, ejus collegae, de Nuncio et causa Catholica cum bene meriti essent, eidem Nuncio libellum supplicem praesentarunt his verbis :

(1198) "Quandoquidem haec nostra ecclesia D. Nicolai apud Galvienses authoritate apostolica in Collegiatam erecta sit, cum mensa et bursa communi, ac nuper (favente Deo) nostrorum

Catholicorum viribus et armis e manibus haereticorum eruta, nos infrascripti, ejusdem Ecclesiae Vicarii, ne in eodem pio ac religioso loco futuris temporibus pravorum morum nimia quorundam vivendi libertate spargantur zizania, suppliciter contendimus et humiliter petimus, quatenus Illustrissimus Dominus noster, Joannes-Baptista Rinuccinus, Archiepiscopus et Princeps Firmanus, nec non Sedis Apostolicae per Iberniam Nuncius extraordinarius, circa sequentia puncta, ea quae suaे Illustrissimae Dominationi ad Dei Opt. Max. gloriam ac praedicti loci praesens ac futurum commune bonum tendere videbuntur, statuat, consulat, praecipiat, etc. Nosque iidem Vicarii pro aeterna et temporali suaे Illustrissimae Dominationis faelicitate Deum Opt. Max. orare non desistemus.

(1199) " 1°. Petimus ut Regulae, quae convenienti piis Clericis in communi viventibus huic domui tradantur, vel a nobis electae approbentur, nec cuiquam in Collegio nostro vivere liceat, qui eas (in quantum fieri potest) non observet. |

(1200) " 2°. Ut exteriores portae Collegii die noctuque debitiss 1658 horis claudantur, nec ulli e collegis importuno tempore extra v domum vel in civitate vagari, neque ulli omnino feminae Clericorum cubicula vel ullum nostrae domus secretum locum ingredi liceat.

(1201) " 3°. Quia defectu sufficientium reddituum in communi mensa vesci adhuc non possumus, rogamus Illustrissimum Dominum quatenus praecipiat ut omnia, quae acquiruntur in communi ex piis legatis, ex oblationibus fidelium vivorum et defunctorum, et ex administratione sacramentorum in unam massam redigantur, ut inde cum tenuibus, quae nobis concessa sunt, beneficiis in communi mensa victitare liceat.

(1202) " 4°. Quia redditus hujus Collegii nimis sunt tenues, contendimus ut Illustrissimus Dominus stabiliat nos in possessione cuiusdam nostri beneficii *de Schryen* dicti, pro quo beneficio habemus duas vel tres Bullas et plurimorum annorum praescriptionem donec nuper quidam Tuamenses nos vexare caeperunt. Addi etiam possent (si videbitur) ad augendum cultum divinum alii proventus, beneficia, personatus vel praebendae.

(1203) " 5°. Admonendi sunt laici ne immunitatem et libertatem ecclesiasticam hujus loci violent. Unde neque imposterum ullum a Clericis exigant juramentum obedientiae, neque convivia in Collegio instruant, neque caetus aut convocationes ulla in ecclesia, choro vel sacristia de negotiis saecularibus teneant.

1659

Neque pulsentur campanae templi ad convocandam | curiam laicorum, neque intrudant in templum vel Collegium illos servientes, aut penitus admittantur, nisi illi, qui placuerint Domino Wardiano et Capitulo.

(1204) " 6°. Multi in hoc loco ineunt contractus, qui videntur illiciti, saltem valde periculosi, maxime illi, qui vulgo *Mortgagia* vocantur. Unde instrui ab Illustrissimo Domino vellemus, quomodo circa personas, quae illos exercent contractus se gerere debeant pastores et Confessores.

Patricius Lynchaeus Vicarius D. Nicolai. Henricus Joyce, Vicarius D. Nicolai. Gregorius Joyce Vicarius D. Nicolai."

(1205) Hanc chartam aliquot mensibus ante P. Josephi Arcamonii discessum porrectam fuisse aliunde colligo. P. Josepho autem ex Ibernia navigaturo ejusdem causae in Urbe prosequendae cura commissa fuit, eique in eum finem praefatus Collegii Praepositus Bullae Pontificiae, qua id Collegium olim ab Innocentio 8°, sexto Idus Februarii anno 1484 erectum erat, exemplar ea lege tradidit ut P. Richardo O Ferallo non communicaret, ne territorii Galviensis ruricolis, quos superiorum temporum Galvenses, ut Bullam jam dictam assequerentur, apud Innocentium 8m (sicut ex ipso diplomate liquet) traduxerant. Porro ad apographi P. Josepho traditi calcem Praepositus sua postulata interposuit his verbis :

"Indiculus rerum, quarum volumus postulationem fieri a P. Josepho Romae in favorem Collegii Galviensis.

1659

(1206) " 1°. Quia lites aliunde diversi Archiepiscopi Tuamenses | nobis intenderunt circa privilegia et immunitates nostras, rogamus absolutam exemptionem ab ejus jurisdictione impetrari.

v

I. Archiepiscopi
Tuamensis.

(1207) " 2°. Quia summa tenuitate censum laboramus, ita ut si integros census perceperissemus, ad honestam trium vel quatuor sustentationem vix sufficerent, multo minus cum duae partes ad usum belli nobis modo detrahantur, et in parrochiis, quae ruri sunt, reliqua tertia pars iis sacerdotibus debeatur, qui in iisdem deserviunt, rogamus *Rectorias de Galway et Clare et alia beneficia nobis ad commodam sustentationem concedi.*

(1208) " 3°. Cum ex judicio arbitrorum inter bona memoriae Archiepiscopum Tuamensem et nos de partis utriusque consensu delectorum et scriptis instrumentis duas parochiae de *Scrine et Kilhennin* ad nos de jure pertineant et tamen utriusque possess-

ione nunc orbi simus, rogamus ut earundem possessio nobis curetur concedi.

(1209) "4°. Non modicum emolumentum proveniet Collegio, si facultas dispensandi in 2° et 3° ac reliquis consanguinitatis ac affinitatis gradibus *Wardiano* pro tempore existenti conferatur. Proinde rogamus ut operam det ad hanc facultatem obtinendam.

(1210) "5°. Erit solatium civibus et emolumentum Collegio, si *Wardianus* pro tempore existens fruatur potestate probandi ultima testamenta.

(1211) "6°. Petimus ut ecclesia nostra S. Nicolai authoritate Apostolica sit et dicatur *insignis ecclesia Collegiata*, cuius dedicatio singulis recurrentibus annis celebretur Dominica 4^a post Pentecosten, cum eo die erupta sit e manibus haereticorum, nec certum diem antiquitus celebratum cognoscere possimus.

Patricius Lynchaeus, Praepositus D. Nicolai Galviensis." |

(1212) Haec eo libentius in medium produxi quod rerum ad 1660 illud Collegium spectantium notitiam contineant. Porro Collegiae sperabant futurum ut voti compotes ipsi evaderent Nuncii favore, cum ipsi in his dissidiis civibus ita obtemperarint, ut eorum praecipuus in rebus ad Collegium pertinentibus adversarius, Archiepiscopus Tuamensis, ibi diaecesanus, in eundem ad Concilium Kilkenniense Ormonistas et Ormonium scandalosissime defecerit. Verum his omnibus non obstantibus collegarum postulatis Romae promovendis P. Josephum defuisse vix dubito, cum contrarium nullibi mihi occurrat, ut potius sit unde defuisse conjectem. Reque ipsa justitiae consonasse videtur ne Sua Sanctitas eorum votis acquiesceret, inaudita altera parte, in perpetuum non solum illius Archiepiscopi Tuamensis, sed etiam successorum omnium et diaecesis Clerique Tuamensis praejudicium, cuius rei P. Richardus (arcano rescito et chartis a P. Josepho obtentis) rationem habuit.

(1213) Ad Ormonistarum Comitia redeamus. Quibus mense Julio a pseudo-Concilio Kilkenniensi in 4^m Septembris indictis, Episcopus Limericensis viso quod Consiliarii Synodo Nationali intercesserant, Nuncio et Regni Praelatis ad ea confluendum judicavit. Quare Limerico 9^o Augusti 1648 Nuncio scribens : "Nulla (inquit) alia ratione melius huic malo provideri potest, quam ut accedamus | unanimi consensu ad Comitia Generalia 1660 et videre possimus, quid Agentes Romani et Gallici egerint suis missionibus, quorum forte negotiatio conductet ad reconciliationem animorum." Sic ille, cui prudentissime respondens Nuncius :

"Quod (inquit) Dominatio vestra Illustrissima existimat nihil
tutius esse pro rebus compondendis quam unanimiter accedere
ad Comitia, probare non possum, cum sciam res spirituales
directe et primario debere tractari in convocatione Ecclesiastica,
neque existimo eam ullo modo esse diversae sententiae." Sic
Nuncius, a quo etiam Regni Praelatis accessu ad Comitia inter-
dictum est multiplicatis hujus praescripti exemplaribus :

(1214) "Cum Synodi Nationalis convocationem undique armis
atque insidiis impeditam audiverimus, consulentes indemniti
Reverendissimae Dominationis vestrae prorogandam in aliud
tempus censuimus, nihilominus sperantes quod Deus respondeat
pro iis, qui vim injustam patiuntur. At vero cum in proxima
Assemblea ob jam notam omnibus Dominorum de Concilio
intentionem et vota convenientium ipsis addicta, manifestum
periculum ineatur, aliquid statui posse Catholicae fidei pernici-
osum, quod solummodo coram Ecclesia et non alibi examinari
debet, relinquentes omnino temporalia dispositioni saecularium,
praecipiendum Dominationi vestrae Reverendissimae censuimus,
ut pro hac vice tam per se ipsum quam per suum Procuratorem
ab hujusmodi congressu abstineat, in quo cum Reverendissi-
morum Episcoporum *vota non ponderentur sed numerentur tantum*,
facile ipsis invitis ac repugnantibus | damnum aliquod sanctae
nostrae religioni accedere potest, et eo periculosius quo justum
esse venditabitur populo imbecilli, quod praesentibus Episcopis
conclusum fuerit. Unde remedium aut difficilius recipietur aut
contemnetur, nec non propter alias rationes, quas brevitatis
causa omittimus. Interim orabimus omnes Deum ut spiritu
unionis in Confaederatos communicato, etiam Ecclesiastica
Congregatio gregem suum instruere tuto ac faeliciter possit."
Sic Nuncius.

(1215) Ad haec Nuncii verba, quae tanquam tot Spiritus
Sancti oracula singulis Regni Praelatis per multiplicata exempla-
ria missa fuisse conjecto, respondit Episcopus Limericensis his
verbis alia quoque tangentibus haud silenda :

"Illustrissime et Reverendissime Domine.

(1216) "Intellexi nuper a Patribus Eremitanis S. Augustini
quod Dominatio vestra Illustrissima scripserit nuper ad quendam
Lusitanum, qui asserit se Canonicum Regularis, ut tandem
admitteret dictos Patres ad inhabitandam domum in corpore
Monasterii erectam, ex qua domo ejeci biennio elapso quendam
haereticum, rejecta pensione annua, quam obtulit mihi modo

permitterem ipsum possidere istum locum. Quae domus facta est sentina peccatorum partim concessa haereticis, partim tabernariis, partim dissolutae vitae personis, inter quas dictus Canonicus retinuit sibi cubiculum. | Ego ista omnia sub initio indicavi 1661 Dominationi vestrae Illustrissimae, et ob nescio quod respectus, quia favebatur ad aliquibus bene affectis, permisus est ita vivere et locum Deo dicatum in sordibus tanquam speluncam peccatorum retinere, et jam factus insolentior respondet nec Summo Pontifici se velle obedire ut admittat ullos ad dictum Monasterium, cum tamen nihil habet producendum pro se, nec capax sit beneficiorum in hoc Regno, et ego habeam Bullam Summi Pontificis et introductus sim in possessionem. Itaque rogo Dominationem vestram Illustrissimam ut unum e duobus non gravetur concedere, nimirum ut fratres Augustiniani de facto admittantur ad Monasterium inhabitandum, aut liceat mihi procedere contra dictum Canonicum, ne diutius Monasterium remaneat pollutum, quia certe qui cupid, ob interesse sordidum, Monasterium inhabitari a pessimis hominibus, non potest intelligi bene affectus erga religionem. Tanta est hujus Regni confusio ex discordiis et divisionibus Confaederatorum, ut nisi Dominatio vestra Illustrissima cum Congregatione Ecclesiastica velit ire ad Assembleam et res concordare per armorum cessationem inter Confaederatos vel aliqua alia via donec Agentes Romani venerint, verear ne eorum tandem adventus non fiat cum nostro honore, sicut modo fieret et esset res valde utilis, si ad instantiam Congregationis nihil innovaretur, contra instructiones Agentibus concessas, ante ipsorum adventum, quod facili negotio obtineri posset. Et quoad | me, licet receperim epistolam 1662 Dominationis vestrae Illustrissimae prohibentem meum accessum ad Assembleam hac vice, quia scio certo plus me boni efficere posse praesentia quam absentia, si alii Episcopi futuri sint, non deero, quantum in me erit, praeservationi Regni et religionis, et siquid saeculares in contrarium moliantur, faciam publicam declarationem contra ipsorum facta, quando non poterunt excusare, ecclesiasticos habere futuras imaginations pro fundamento suarum declarationum sed verum recessum a sensu Regni. Deus Opt. Max. dirigat Dominationem vestram Illustrissimam, ut optat ac manus deosculatur

Illustrissimae et Reverendissimae Dominationis vestrae
Humillimus et obsequentissimus servus

Limerici

Edmundus Limericensis."

die 18 Sept. 1648.

(1217) Quantopere Limericensis a Nuncii sententia distaret, binae amborum demonstrant epistolae, 1^a Nuncii ad Limericensem, et haec secunda Limericensis ad Nuncium. Quarum 1^a prudentissimum, vigilantissimum, zelo domus Dei flagrantissimum, inter tot angustias patientissimum, et superno Spiritus Sancti flatu ductum Ministrum vere Apostolicum spirat. 2^{ae} vero pars posterior non Episcopum Catholicum aut Christianum, sed capitolum Ormonistam impatientia, arrogantia, mentis praecipitatione, atque universali illa animae confusione, | quam contracta censura ecclesiastica, *ventus urens*, parit, plenum sapit. Quid enim certius quam rationes a Nuncio in sua epistola allegatas fuisse irrefragabiles, praeter alias plurimas, quas ipse ibi, et nos hic brevitatis causa omittimus, antea ad nauseam in medium allatas, et tunc adeo in Ibernia pro constantissimis et notoriis habitas ab iis omnibus, qui sane saperent. Nam jam sufficientissime res ipsa in medio posita convicerat, inducias cum Insequinnio initas meram fuisse Ormonistarum et haereticorum conjurationem eo spectantem ut posthabitis Comitiorum ultimorum decretis saluberrimis, et legationibus Gallicanis Romanisque frustratis, Ormonius, infensissimus Ecclesiae fautorumque hostis, in Proregem revocaretur, et pax iniquissima, eaque quoad articulos specie tutiores per politicorum atque haereticorum astutiam, et violentiam, et rabiem suo tempore evacuanda refigendaque intruderetur. Quod totum successit ut tunc nemo sanae mentis successorum non judicarit. Heu quantam malorum Iliadem hic cervicosus Limericensis aliquique Praelati, Religiosi, et sacerdotes Ormonistae Ecclesiae et nationi Ibernicae pepererunt? Si enim Clerus unius labii fuisset, populus, vel certe tanta populi pars in officio perstitisset, ut reliqui pluralitatis constantia fracti manus dedissent. Verum altari in altare erecto, Regnum in se divisum non hostium robore sed propriis discordiis corruit. Porro pseudo-Comitia illa cum in 4^m Septembris indicta essent et calente partium bello civili ne Ormonistarum quidem nisi pauci Kilkenniam confluxissent, | hi usurpato Comitiorum nomine, acto tunc Anglice edito et Kilkenniae typis mandato alios absentes invitarunt. Id hic Latine vertimus:

“*Per Comitia Generalia Confaederatorum
Catholicorum Iberniae.*

(1218) “Cum multi in hujus Regni Regimen male affecti operam dederint, ut haec Comitia injuriose traducerent, affirmantes fuisse indicta ex industria ut pax in rebus ad religionem

pertinentibus nec honorifica nec tuta concludatur, nulla actorum vel mandatorum, quae ab aliis Comitiis praescripta essent, habita ratione, et licet non pauca specimina, quibus in fortunatum assumptionem, multarum vitarum jacturam, et ipsum etiam nationis extirpanda discrimen, nostrum propagandae religionis zelum exeruimus, nos ad aequi cuiusvis arbitri sententiam ejusmodi calumniis neutquam obnoxios relinquant, ne quis tamen credulus sinistris id genus viis seducatur, unanimiter declaramus in diversarum nostrarum priorum expressionum et protestationum juramento faederis et secus factarum prosecutionem, nos totis viribus et facultatibus elaboraturos et connixuros ut Romano-Catholica religio praeservetur et promoveatur, ejusque immunitates et privilegia sarta tectaque maneant, et hac ex parte tantum nos abesse a frustandiis anteriorum Comitiorum actis ut etiam in quacumque pace contrahenda ab eorundem Comitiorum decretis, mandatis, declarationibus, vel explanationibus recessuri non simus, nec potestatem | ab illis 1663 reservatam nec factas ab illis declarationes circa Regni pacem et v quietem stabiendum excessuri. Quapropter ulterius palam facimus omnes et singulos cujuscumque gradus vel qualitatis, quorum est hisce Comitiis interesse, si quovis id genus praetextu et sine impedimento manifeste legitimo iisdem abfuerint, esse viros erga Regni pacem et tranquillitatem male affectos et instar talium tractandos ac multandos. Datum Kilkenniae 14 Septembris anno Domini 1648 et 24 anno regni supremi Principis nostri, Caroli, Dei gratia Regis Angliae, Iberniae, Franciae, et Scotiae."

(1219) His magnificis protestationibus Ormonistae populo fucum fecerunt, quibus tamen eos non stetisse, sed causam Catholicam in his pseudo-Comitiis jugulasse videbimus. Porro invenio hoc ipso die Richardum Blakum, impium eorundem pseudo-Comitiorum prolocutorem, Conventiculi nomine Reverendissimo D. Edmundo O Diomasa, Episcopo Laghlenensi, scripsisse Anglice hanc epistolam :

" Optime Domine noster.

(1220) " Confaederatorum Catholicorum Comitia Generalia, ubi observassent Illustrissimam Dominationem vestram post decem a prima eorum sessione dies non apparuisse, haud obstante citatione sibi in eum finem a Concilio Supremo missa, mihi praeceperunt ut tibi significarem se ejusmodi tuorum defectuum notitiam capere, et nisi intra biduum ab harum receptione gravibus Regni negotiis cum ipsis astiteris (ad quod velut ex Regum Angliae munificentia et speciali favore | Baro temporalis teneris) 1664

statuisse id efficere ut non solum tua bona fisco addicantur, sed aliae tibi paenae Regni legibus, quae temporibus maxime Catholicis vigebant et in praxim redigebantur, fultae infligantur. Sicut autem arbitrantur actionem esse prorsus illicitam et extra Illustrissimi D. Nuncii potestatem quod tibi praescriperit ne ad se ipsa accederes, sic ejusdem praescripti observantiam judicabunt esse *obsequium in exteram potestatem* et ab ipsorum unione separationem. Cum alia, quae aestimarem in mandatis non habeam, finem facio.

Ex Castro Kilkenniensi

14 Sept. 1648.

Illustrissimae Dominationis vestrae
Benevolentissimus amicus
Richardus Blakus."

(1221) Vix dubito quin aliis etiam Praelatis tunc Kilkennia absentibus, haec ipsa mutatis in superscriptione nominibus, vel similis epistola pari modo scripta fuerit. Laghlenensis autem 16 Septembri scripto respondit se non bene se habere nec tuto Kilkenniam profecturum quod a Jonio, Dubliniae Gubernatore, per viciniam cum suis viribus grassante sibi metueret. Se scire cupere qua ratione suum obsequium in Nuncium censendum esset *exhibita exterae potestati submissio*, cum Faederati omnes ei antea per biennium integrum, et quod excurrit, obtemperarint. Non esse cur bonorum sibi confiscationem intentent, cum nullos ex Episcopatu haberet redditus et bona sua aliunde comparata

1664

v

Prestonianae cohortes hebdomade superiore | diripuerint. Velle se ut Primatis Ardmachani, Episcopi Corcagiensis, atque Episcopi Dromoriensis, aliorumque Praelatorum, quorum diaeceses penes hostes atque haereticos essent, bona potius recuperent atque in belli sumptus impendant, quam in suam diaecesim involent, quae sub gravi vectigalium publicorum in belli Catholici impensas concessionum pondere ingemiscat. Tantam nuperis mensibus a foro Kilkennensi factam fuisse statoribus et apparitoribus Clerum prehendendi, facultatibus excutiendi, et custodiae mancipandi potestatem, ut si ab infirmitate valeret, in iter praesertim illud se dare non auderet, quod non dubitaret, quin qui posthabito omni conscientiae stimulo in ejus bona involaverant, facile in personam irruerent. Porro haec omnia gravissima conventiculo proposuit, quatenus excessus in pseudo-Concilio novissime patratos ad trutinam revocarent, et paenas exigenter, affirmans ipsos Regno ad hoc justitiae specimen edendum teneri. Et haec quidem fuit responsionis a Laghlenensi cum magno zelo

factae summa, Caeterum Nuncius 10 Octobris Cardinali Panzirolo notis secretis scribens: "Comitia (inquit) media amplius suffragiorum parte sunt infrequentia, quod ex veri Cleri partibus ad ea se contulit nemo. Non nullae desunt Provinciae integrae. Nec illis interesse constat ex Episcopis nisi septem, nempe quatuor qui aliunde se illo receperunt, et tres qui Kilkenniae se tenebant, sed omnes septem communi sententiae refragantes. Ego non solum non consensi ut illo vaderent, sed etiam quantum potui, prohibui virtute juramenti ab ultimis Comitiis suscepti nihil unquam tractandi pertinens ad regimen, nisi expectato Commissariorum, qui Romam profecti sunt, reditu, et Suae Sanctitatis sententia circa religionis materiam praecognita. Cum ergo Comitiis soli intersint pejores, absque ulla oppositione, censemur non facturi nisi male, fluxaque fore quae concluderint." Sic ibi.

Reg:
p. 668.

(1222) Quod dicit hic Nuncius, his scilicet pseudo-Comitiis non nullas defuisse Provincias integras, de Ultonia intelligendum est. Ex qua et ipsa MacAengusius, nempe Vicecomes Iveaghensis, et Felix O Nellus census Equestris, nec non Alexander MacDonnellus, Marchionis Antrimii frater, cum Henrico O Nello pseudo-Concilio adhaeserunt, actis publicis velut Consiliarii Ultonienses subscibentes. Ex aliis Regni Provinciis ita electi sunt qui ad conventiculum illud confluenterent, ut Concilii, Ormonii, atque Insequinnii partibus arte et Marte praedominantibus factio Ormonica in illo consessu calculis et suffragiis praestiterit, peneque sola interfuerit. Accedit ad ineuntem Octobrim ex Gallia ipsum Ormonium (sicut vidimus) supervenisse, et Insequinnium jam Concilio pro nutu militantem et Ormonistarum Catholicorum copias adeo vim intulisse, ut conventiculum illud Comitorum Regni nomen non meruerit compactum ex bonorum ecclesiasticorum, et agrorum fisco in odium fidei sub Henrico 8°, Eduardo 6°, Regina Elizabetha, Jacobo 1°, et Carolo 1° addictorum possessoribus, aliisque Ormonistis in Clerum fautoribus debacchantibus. Unde Nuncius in suo Diario 28 Octobris 1648: "Certum (inquit) est Domino Eugenio cum Comitiis aliquem intercessisse de | conveniendo tractatum, eumque proposuisse ut quatuor ex Consiliariis regimine abdicentur. Qui exitum metuentes clanculum acciverunt Insequinnium ut cum exercitu Kilkenniam accederet. Isque personaliter Kilkenniam ingressus est et cum hac concussione induxit ad facienda multa edicta in Nuncium atque Episcopos ei adhaerentes." Sic ille.

1665

v

(1223) Ab his ergo Comitiis quid aliud expectandum quam ut ea, quae antea a pseudo-Concilio pessime gesta essent, probarent, deindeque eidem viae sine fraeno insisterent, novisque decretis et decretorum executione Nuncio atque ejus partibus a Clero populoque pro viribus praejudicarent, quod totum facili negotio successit.

(1224) Prolixum foret hic decretorum istorum iniquorum vel indicem texere; non nulla tamen inseram, ex quibus, velut ex ungue leonem, Comitiorum ingenia nemo non dignoscat. Ac i^o quidem mihi occurrit quoddam edictum ita scriptoris negligentia in exordio mutilatum, ut hanc ejus partem integrum inserere nequeam. Nec tamen ita mutilum est quin sensus omni Clerico, qui libro melior sit, pateat. Siquidem ibi Comitia praefantur quosdam Praelatos, Episcopos, multosque alios ex saeculari et Regulari Clero summa cum impietate, malitia, et perfidia nuper Confaederatos in duas partes dissecuisse, et quotidie in iis, qui ex Clero populoque fideles beneque affecti essent, a sua in Regem et statutum faederis juramento Regimen fide | seducendis persistere, atque ex eo fonte immanem horribilemque illam Regni dissensionem, sanguinis Catholici effusionem et populationem descendisse. Et haec quidem falsissima causa a pseudo-Comitiis iniquissimo decreto ferendo praetenditur. Jam quae postea sequuntur, ipsorum verba Latine verto.

1666

Ormonius.

(1225) "Ad infligendam (inquiunt) transgressoribus talem paenam, qua et in ipsis animadvertisatur, et aliis exemplum praebeat, omnesque a sceleratis ejusmodi facinoribus et proditoris molitionibus imposterum patrandis deterreantur, et ut visibiliter sciatur, qui ex praefato Clero et laicis obsequio in Regimen aduersentur, quique male affecti sint, et qui non, decernitur et statuitur ut intra Faederatorum Catholicorum limites in omni Comitatu primus Vicecomes, et in singulis civitatibus, oppidis, vel municipiis omnes magistratus et praincipui ac primarii officiales, aut alii, quos haec Comitia vel ii, *quibus eorundem Catholicorum Regimen creditum fuerit*, assignabunt, omni cum festinatione quoscumque Praelatos, Episcopos, et quosvis alios ex saeculari et Regulari Clero residentes intra eorum diversos respective Comitatus, civitates, oppida, municipia, praerogativas, districtus, vel jurisdictionem, cis Faederatorum Catholicorum fines, coram se evocent, et ipsis sequens juramentum deferant, ab omnibus Praelatis, Episcopis, cunctisque aliis personis ecclesiasticis ex Clero respective saeculari et Regulari, tactis sacris Evangelii, suscipiendum et emittendum, cuius tenor et forma sequitur his

verbis: Ego A. B. coram Deo, | Sanctis, et Angelis ejus juro et 1666
 protestor me imposterum praestitum fidem et verum obsequium v
 supremo nostro Regi, Carolo, nunc regnanti, haeredibus ejus
 et legitimis successoribus, meque erga haec praefatorum Catholicorum Comitia et eos, quibus ab ipsis eorundem Catholicorum Regimen commissum fuerit, fore sincerum, fidum, et obedientem,
 nec verbo nec opere, nec uni nec pluribus, qui horum Comitiorum vel eorum, quibus ab ipsis eadem gubernatio credita fuerit, mandatis refragati fuerint, directe vel indirecte opitulaturum, adhaesurum, suffragaturum, adjuturum, aut astiturum, et me omnes proditiones, machinationes, stratagemmata, consilia, vel conspirationes jam mihi notas vel a me resciendas, aut quas in suae Majestatis coronam vel dignitatem, aut in haec Comitia vel eos, quos Regimini clavo praeposuerint, vel adversus Confaederatorum Catholicorum tranquillitatem, Rempublicam, aut incolumitatem struendas, cogitandas, machinandas, faciendas, vel aggrediendas intellexero, aperturum, omnes ejusmodi molitiones, proditiones, conjurationes, et consilia totis meis viribus suppressurum, impediturum, et illis obviam iturum, meque inducias jam contractas, aut alias ejusmodi cum D. Barone Insequinniae, vel quovis alio similibus rationibus contrahendas propugnaturum et defensurum, non obstantibus D. Nuncii atque aliorum Episcoporum excommunicationibus, atque Interdictis nuperis, et quibuscumque aliis excommunicationibus, Censuris vel Interdictis in earum defensores | aut fautores a D. Nuncio vel Episcopis 1667 pari titulo fulminandis, meque nullis ejusmodi excommunicationibus, interdictis, aut censuris modo praefato per D. Nuncium vel hujus Regni Praelatos ob praenominatas aut similes causas ferendis vel publicandis obsecuturum, approbaturum, aut ullo numero habiturum, nulloque praetextu vel colore cuicunque quorumvis Praelatorum, episcoporum vel Cleri saecularis aut Regularis Praefectorum, qui ulla tenus praeceperint vel suaserint ut iisdem inducis vel his Comitiis, aut Regimini ab ipsis et a praefatis Catholicis statuendo occurratur, vel obedientia denegetur, acto vel actis, mandato vel mandatis obtemperaturum, donec Episcopi et Praelati jam dicti semetipsos Regimini submisserint et accommodaverint.

(1226) " Ulterius statuitur et decernitur ut siqui Praelati, Episcopi aut personae ecclesiasticae ex Clero saeculari praefatum sacramentum modo jam dicto suscipere detrectaverint, sic recusantes a predictis Vicecomitibus, Magistratibus et (sicut dictum est) primariis officialibus vel aliis, quibus authoritas

*credita fuerit, in carcerem conjicantur, ibique maneant, ne vadimoniis quidem dimittendi, donec praedicto Jurejurando sese obstrinxerint, et dederint sufficientem ac *collateralem* securitatem (praesertim ii, qui magnopere suspecti sunt vel erunt) fore ut juramenti capita observent, alias extra Regnum in exilium mittendi, cum haec suavissima et moderatissima sit via ad quam necessitas cogit, quo concordia foveatur, et Faederati Catholici paresventur.*

(1227) "Praeterea decernitur et statuitur ut omnes ex Clero Regulari, qui praefatum juramentum suscipere | recusaverint, v deinde a praefatis Vicecomitibus, magistratibus, primariis officialibus vel ab iis, qui (sicut dictum est) assignati fuerint, mox ex suis diversis conventibus, claustris, praedictique diversi Cleri monasteriis removeantur.

1. Ormonii. (1228) "Deinde sancitur et statuitur ut siqui exilio multandi, citra Comitiorum vel eorum, *quibus Regimen creditum fuerit*, licentiam in hoc Regnum redire praesumpserint, tractentur et in eos procedatur, velut proditores in sua Majestatis leges, Coronam et dignitatem.

Ormonius in Religiosorum praefectum assumitur. (1229) "Sancitur pariter et statuitur ut haec Comitia vel ii, *quibus Regimen commissum fuerit*, confestim in ejusmodi refractoriorum Regularium locum substituant et designentur ex dictis respective Ordinibus, Monasteriis, conventibus, et claustris viros Religiosos virtute praeditos, et Regulares se Regimini conformantes in iisdem Monasteriis, conventibus, et claustris permansuros, donec eorum Praefecti Generales debitam et talem, qualis temporibus maxime Catholicis in more posita fuerat, iniverint et praescripserint viam ad moderanda eorum instituta et praeveniendam posthac seditionem.

(1230) "Decernitur pariter et statuitur ut iidem primi Vicecomites, magistratus, praecipui officiales, aliquae moderatores, *qui modo jam dicto cooptati fuerint*, tam juramentum testimonii quam omnibus aliis viis et modis legitimis, quanta commoda temporalia, possessiones, victus, facultates, vel beneficia ejusmodi Praelatis, Episcopis, vel aliis ecclesiasticis aut Clero in eorum respective Comitatibus, civitatibus, oppidis, municipiis, districtibus, aut jurisdictione suppetunt, investigent, eademque commoda temporalia, possessiones, victus, facultates, et beneficia in usus publicos prehendant, | impendenda, sicut Comitia vel ii, *quibus haec Comitia Regimen committent*, constituerint vel praescripserint. Siqui autem ulla id genus bona aut oculuerint aut subtrahere vel oculere studuerint, vel ad primi Vicecomitis,

magistratus, vel praecipuorum officialium rogatum ea tradere detrectaverint, hoc casu statuitur ut iidem Vicecomites, primarii magistratus et praecipui (sicut jam dictum est) officiales in carcerem contrudant ejusmodi subtractores et occultatores, ibi permansuros quoad hujus domus mandato, vel *ab iis, quos haec domus ad Regiminis clavum asciverit*, inde liberati fuerint. Et ut similiter iidem Vicecomites, primarii magistratus et praecipui officiales jam dicti in publici usum prehendant tantum bonorum et pecorum, quae ad praefatos occultatores et subtractores spectaverint, quantum per duodenariam inquisitionem vel alias licitas vias ac modos compertum fuerit concurrere pretio et valore cum duplo bonorum sic occultatorum et subtractorum, sicut praelibatum est. Et ut iidem primi Vicecomites, magistratus, praecipue officiales mox atque ejusmodi confiscationem absolverint, scripto suis calculis munito ad haec Comitia, *vel ad eos quibus haec Comitia Regnum gubernandum concrediderint*, exactam, particularem, et certam omnium ejusmodi confiscationum in eadem commoda temporalia, possessiones, beneficia, et facultates praedictas ab ipsis exequendarum, nec non modi quo in prosequendo hoc nostro mandato se gesserint, referant rationem, quatenus haec Comitia, *vel ii, quibus gubernium commiserint*, ad disponendum | de ejusmodi emolumentis temporalibus, possessionibus, facultatibus, vel beneficiis statuant, sicut ad optimum et utilissimum Reipublicae usum profore judicaverint.

ab
Ormonio.

ad Ormonium.

1668
v

(1231) "Et ulterius sancitur et decernitur ut omnes Praefecti generales, Legati generales, Instructores generales, Tribuni, Tribunorum legati, Instructores Majores, centuriones, aliquae Faederatorum Catholicorum officiales et Duces ad suos respective exercitus, castra, aut praesidia non admittant, sed accessu intercludant quemcumque ex saeculari et Regulari Clero, qui praefatum juramentum respuerit vel non suscepere vel in suspicionem vocatus fuerit veniendi ad seminandam in iisdem exercitibus aut praesidiis seditionem aut confusiones, vel ad ullum ex praedictis viribus dimovendum ab eadem armorum cessatione observanda vel a sententia obsequendi, studendi, et adhaerendi suae Majestati, ejus legibus, et Coronae, nec non hisce Comitiis, aut eorundem Catholicorum regimini. Et ut iidem Praefecti Generales aut alii officiales quoscumque eum in modum delinquentes vel suspectos in custodiam dent, et ad haec Comitia vel ad eos, *quibus Regimen creditum fuerit*, mittendos curent, quatenus cum illis perinde ac cum seductoribus, tranquillitatis publicae perturbatoribus, societatis Catholicae et juramenti faederis violatoribus ac

1669

Reipublicae vastatoribus procedatur. Et ulterius decernitur | ac statuitur, ut siqui ex praefatis Vicecomitibus, magistratibus, praecipuis officialibus, Praefectis Generalibus, Instructoribus generalibus, chiliarchis, subchiliarchis, et praefatis Ducibus hoc mandatum debitae executioni mandare recusaverint, neglexerint, vel omiserint, ejusmodi supremi Vicecomites, etc., habendi et censendi sint ad omnes intentiones et proposita tanquam sontes violati predicti Jurisjurandi associationis et unionis, et tanquam seducentes predictos Confaederatos Catholicos ab eorum fidelitate, atque in ipsos tanquam tales seductores ac transgressores a Comitiis aut ab iis, *quibus Regiminis clavus commissus fuerit*, animadvertisatur.

(1232) "Et statuitur ut siqui Praelati, Episcopi, vel alii ex saeculari aut Regulari Clero deprehensi fuerint seducentes quascumque fideles et bene affectas personas ex Clero vel laicis ab eorum obsequio in suam Majestatem et jurata Regimini obedientia, vel ulli hostium aut in haec Comitia vel in eos, *quos ad Regiminis clavum cooptabunt*, insurrecturis adhaeserint, studuerint, opem tulerint, aut astiterint, haec Comitia rebus bene perpensis cum ipsis respective procedant juxta viam temporibus Catholicis usitatam et Canonicas hujus Regni sanctiones.

(1233) "Et ultimo decernitur ut omnes officiales civiles et militares, omnesque illi, quorum assistentia requisita fuerit, iisdem Vicecomitibus, magistratibus, etc., opitulentur, adjuventque inter hoc mandatum debito modo exequendum." Hactenus Comitia. |

1669

Vindic: v
Lib. I.
p. 148.

(1234). Eorundem Comitorum nomine Richardus Blakus, prolocutor, Nuncio scripsit nefariam epistolam Anglicanam, quam Philopater Irenaeus, Ormonii et Ormonistarum parasitus, si non mala fide, certe male traduxit, sicut mihi ex ipso autographo Anglicano, quod jam pae manibus et ob oculos est, manifeste liquet, et hic Latine verto.

"Illustrissime et Reverendissime Domine.

(1235) "Praeceperunt mihi haec Comitia Generalia ut Illustrissimae Dominationi vestrae significarem Confaederatos Iberniae Catholicos pro magna ipsorum et filiali in Suam Sanctitatem reverentia, hactenus quidem nimia, et quae exemplum non agnoscit, patientia tolerasse varias oppressiones, divisiones, exorbitantia crimina, et capitales offensas, quas Illustrissima Dominatio vestra continuo et citra intermissionem a triennio jam pene elapso in hoc Regno commiserat, et etiamnum ibidem continuat patratque in ineffabile religionis Catholicae detrimen-

tum, nationisque tam antiquae et tam Catholicae ruinam, nec non in dedecus, quod tuae actiones et modi procedendi, durante tua in hoc Regno Nunciatura, Sedi Apostolicae inurere studuerunt. Sed haec demum compulisse hunc Generalem Conventum ad recurrendum ad valida et justa media, quibus majorum Regni commodorum jam ad extremas rerum angustias tua rebus citra ullam authoritatem se immiscentis opera reductorum reliquiae nondum destructae in tuto collocentur. Quapropter Illustrissimam Dominationem vestram certiorem faciunt declarationem ac protestationem contra te praeparari Suae Sanctitati mittendam ex parte complectentem capita contenta scripto hic inclusio, cuius | Illustrissima Dominatio vestra dignetur notitiam 1670 capere, et te ad tuum iter Romam versus suscipiendum, atque ad te adversus illam tui ibi accusationem defendendum praeparare, idque ita ut interea Illustrissima Dominatio vestra sub paenis divino et gentium jure incurrendis, nec per semet, nec per ulla sua instrumenta directe vel indirecte ulla hujus Regni negotiis se immisceat. Remaneo

Illustrissimae Dominationis Vestrae

Benevolus amicus :

Ex Comitiorum mandato :

Richardus Blakus."

Kilkenniae,
19 Oct. 1648.
"Ex. per Philippum Kearneum,
Generalium Comitiorum
Iberniae Clericum."

(1236) Capita accusationis tunc Nuncio cum his abominabilibus litteris calumniarum et mendaciorum refertis missa apud Philopatrum pro suo more fide pessima ex Anglicis Latine versa reperiuntur, quae mihi non in Nuncii Scriniis sed alibi Anglice occurunt, qua lingua perinde atque epistolam transmissa fuisse non dubito. Itaque spretis quae Philopater (utinam non animo in Nuncium semper maligno) adulteravit, ipse ex Anglo traducam, addamque ad acti calcem calumniarum numeris indicatarum refutationes, generaliter lectorem praemonens stupendum esse quo pacto homines fidem Catholicam profitentes eo furoris | progressi sint ut tantam mentiendi calumniandi libidinem 1670 sibi permiserint.

Philop.
lib. I.
Vindic.
p. 150.

v

"Compendium alicujus partis eorum, quorum accusatur Illustrissimus D. Archiepiscopus Firmanus in Nuncium Apostolicum a Sua Sanctitate ad hoc Regnum Iberniae allegatus.

(1237) " 1°. Suam Illustrissimam Dominationem ad appulsum in hoc Regnum mense Octobri 1645 reperisse Confaederatos Catholicos (1) omnes unanimes et ad pacem honorificis conditionibus ineundam pronos et eorum regiones magna rerum copia abundantes, idque adeo ut Catholica religio in tribus amplius ex hujus Regni quatuor partibus cum splendore (2) exerceretur.

(1238) " 2°. Suam Illustrissimam Dominationem in Generalibus Comitiis apud Castrum Kilkenniense mense Februario et Martio 1646 celebratis, Suae Sanctitatis nomine Confaederatis quatuor fregatas bellicas (3) promissose, inque se recepisse futurum, ut in quavis ex quatuor Provinciis bellum Suae Sanctitatis impensis et valde magnis pecuniae summis in eum finem tunc numerandis (4) sustineret. Qua lege sua Illustrissima Dominatio rogavit, ut pax tunc concludenda, usque ad Kalendas Maias tum proxime futuras differretur, et meliores conditiones Suae Sanctitatis interventu in id tempus concedendas sponpondit. In cuius 1671 promissionis violationem sua Illustrissima Dominatio | in Confaederatorum usum (5) nullam fregatam contulit, nullaeque adhuc conditiones (6) Roma missae sunt, et ex omnibus illis pecuniis ac subsidiis promissis sua Illustrissima Dominatio haud plus in hujus Regni usum contulit (7) quam sex circiter librarum sterlingarum millia, quae in expeditione Conaciensi inter anni 1646 aestatem et eadem aestate quatuor circiter librarum sterlingarum millia, quae in expeditione Ultoniensi collocata fuere, etsi pecuniae, quae ex publicis vectigalibus essent, et aeris mutuo accepti necdum repensi multarum et magnarum aliarum summarum velut a se solutarum apochas receperit.

(1239) " 3°. Suam Illustrissimam Dominationem ex quo in Nuncium se induerat, usque in diem hunc nullam (8) unquam Comitiis Generalibus aut Concilio Supremo reddidisse aut obtulisse rationem aut notitiam pecuniarum, armorum, apparatus bellici, vel fregatarum, quae ipsi vel suo Decano aut aliis ab ipso delegatis Sua Sanctitas aut alii pii Principes, Praelati, vel personae suppeditaverant.

(1240) " 4°. Suam Illustrissimam Dominationem inter eadem Comitia iisdem mensibus Februario et Martio Suae Sanctitatis nomine (9) promissose, se Cardinalis Poli Bullam et dispensationem circa dissolutarum Abbatiarum, Prioratum, et similium possessiones, siqua in re illa deficeret, confirmaturum, seque ad id authoritate fuisse munitum. In cuius promissi violationem sua Illustrissima Dominatio Bullas dedit et procuravit, et rescripta

tradidit, quo Confaederati | Catholici plurium dissolutarum Ab- 1671
batiarum, Prioratum et similium possessione (10) exturbaren-
tur. A multis etiam, qui bona ecclesiastica per Bullas ab ipso
Summo Pontifice (11) tenebant, iisdem Bullis posthabitatis, sua
ipsius autoritate possessiones transtulit.

(1241) " 5°. Suam Illustrissimam Dominationem dum eadem Comitia sederent, Suae Sanctitatis nomine Instructionum Commissarii, quinquaginta vel pluribus selectis eorundem Comitorum membris, spopondisse, (12) nullum episcopatum aut aliud in hoc Regno beneficium ecclesiasticum Romae vel secus conferendum praeterquam iis solis, quos suae Majestatis jure Regimen (13) vel alii respective patroni (14) nominarent aut praesentarent. In cujus et alterius similis Concilio Supremo, Urbani VIII. nomine ab ejus tunc Ministro factae sponsonis temerationem sua Illustrissima Dominatio acceptis a Concilio circa idoneos et dignos viros ad Clonfertiae (15) et Rossae episcopatus promovendos praesentationibus, procuravit ut alii duo ad eosdem episcopatus promoverentur. Sua etiam Illustrissima Dominatio plenam sibi et absolutam omnium beneficiorum ecclesiasticorum in hoc Regno dispositionem assumpsit, contra (16) fundamentales Regni leges omni aetate Catholicis temporibus usitatas, adeo ut Coronam (17) et fideles suae Majestatis subditos legitimis suis juribus ac commodis abdicaverit. In illis quoque beneficiis distribuendis sua Illustrissima Dominatio ingenia ut plurimum deligit inquieta (18) et omni nationis tranquillitati | ac regimini 1672
adversantia, sicut plurimis argumentis adhibendis demonstrari potest.

(1242) " 6°. Suam Illustrissimam Dominationem impulisse et fuisse nupero Praefecto Generali Eugenio O Nello, multisque aliis ut armati in Regimen insurgerent, ultimaque Comitia Generalia concussuri magnas vires ad Kilkenniam disponerent. Qui nuperus copiarum Imperator multa eorundem Comitorum membra in carcerem compingere, et (si in rem suam opus foret) occidere, nec non hanc civitatem (19) diripere statuerat, semper ab illo tempore cum suo exercitu in omnibus hujus Regni partibus ex praedictis Confaederatis Catholicis millia ferro, flamma, et fame (20) delevit.

(1243) " 7°. Suam Illustrissimam Dominationem hoc praesente Jubilaei anno 1648, quo ipsi maxime congruebat ut precibus, praedicatione, et exemplo Christianum in hoc Regno gregem ad dictum Jubilaeum utiliter amplectendum exhortaretur, suis illegitimis et (21) temerariis edictis ac censuris sacrorum cele-

brationem prohibuisse, et ecclesiarum valvas, quas Confaederati sui sanguinis fortunarumque jactura reseraverant, iisdem occludendas curasse, et interposita a Confaederatis ad Suam Sanctitatem legitima appellatione suam Illustrissimam Dominationem majore, quam antea, (si major esse posset) violentia processisse.

(1244) " 8°. Suam Illustrissimam Dominationem ultimo mense Aprili inducias cum D. Barone Insequinniae licet Protestante, eo tempore, quo a Parlamento (22) staret, ineundas approbasse et consuluisse, mox autem atque idem Baro ad suae Majesta-

1672 v
1672 tis partes palam transiit, suam | Illustrissimam Dominationem inducias, quas Concilium cum ipso celebravit conscientia intutas declarasse, eoque titulo cum praetensis delegatis ad suam animi sententiam delectis processisse ad excommunicationes in eos omnes, qui iisdem induciis insisterent, promulgandas praeter spem in sua Illustrissima Dominatione et praetensis delegatis a reliquo Clero, *a quo delegati erant*, collocatam.

(1245) " 9°. Suam Illustrissimam Dominationem ea mente insalutato Concilio Kilkennia abrupte discessisse, se ad Eugenium O Nellum contulisse, eum multaque aliorum millia contra ipsorum juramentum faederis ad arma in Regimen capienda impulisse, et tam oblatis magnis praemiis quam aliis viis sagaciter operam dedit ut suae Majestatis (23) Arx Atloniensis praedicti Eugenii O Nelli, tunc suae Majestatis et Regiminis imperium detrectantis, potestati permitteretur.

(1246) " 10°. Suam Illustrissimam Dominationem per suos Ministros Duncaniae se tenentes elaborasse ut Duncaniae propugnaculi a Confaederatis Catholicis post longam et sumptuosam obsidionem expugnati praefectum (24) corrumperet, eumque eo impulisse ut contra ejus juramentum associationis et repositam in se fiduciam Regimini adversatus fuerit, et per sua instrumenta et Ministros effecisse ut idem praefectus R^{dum} Patrem P. Joannem Rouaeum, Carmelitarum Discalceatorum in hoc Regno Provincialem, cui magistratus suae ab ipsius Nuncii censuris Appellationis ad Suam Sanctitatem deferendae provinciam commiserat, transfretatione intercluserit. |

1673 (1247) " 11°. Suam Illustrissimam Dominationem mensibus Junio, Julio, et Augusto ultimis, exindeque semper, et nunc sedentibus hisce Comitiis, in Conaciae Provincia, aliisque hujus Regni partibus rebelliones (25) excitasse, et continuo in id incumbere ut urbs (26) Galvia, aliaque magni momenti loca rebellibus et proditoribus tradantur, eisque eum in finem arma, pecunias, et apparatum bellicum subministrasse, mensibus

quoque Junio et Augusto praeteritis subscrisisse decretis, quibus licere declaravit sua Majestatis subditos Regimini morem gerentes et praefatae armorum cessationi justae legitimaeque adhaerentes occidere, diripere, suisque bonis spoliare.

(1248) " 12°. Suam Illustrissimam Dominationem ad omnes exercitus praedicto Confaederatorum Catholicorum Regimini obsequentes sua edicta et excommunicationes (27) direxisse, et sub earundem interminatione ab illis requisivisse, ne ulterius eidem Regimini obsequium praestarent, suaque opera ac molitionibus procurasse ut Legatus generalis O Ferallus, suum associationis Juramentum et, quo Provinciae Conaciae fidem pollicitus erat, peculiare sacramentum (28) prophanarit, et Eugenio O Nello tunc juxta ac nunc perduelli adhaeserit.

(1249) " 13°. Ad suam Illustrissimam Dominationem in Confaederatorum vitas, possessiones, et fortunas (29) usurpasse tyrannicam atque arbitriam potestatem ac jurisdictionem, sicut constat ex ejus edicto ad Jacobum Guoghum, Capitanenum, dato, quatenus sub excommunicationis paena in suos usus certa bona traderet; ex Bullis et rescriptis, quibus praedia laica (30) frequenter transcripsit; ex ejus nominatione et designatione (31) Gubernatorum in Comitatibus et Praefectorum Generalium atque aliorum ducum in copiis rebellibus; ex ejus exactione magnarum ac gravium summarum mutuo acceptarum minis et dolis (32) a diversis Comitatibus, municipiis, et privatis personis; ex sua fidei publicae, qua se easdem tempestive soluturum caverat, violatione, cum tamen summae, quas modo jam dicto acceperat, ad multa librarum sterlingarum millia (de quibus jam constat) excreverint; ac denique ex earum pecuniarum omnium vel majoris partis distributione in rebelles (33) ac proditores.

(1250) " 14°. Suam Illustrissimam Dominationem contendisse ut Reverendum quendam (34) Praelatum et residens Supremi Concilii membrum compelleret ad arctissimi secreti juramentum, quod a Comitiis Generalibus impositum fuerat, violandum et ad Concilii arcana sibi revelanda. Per suas quoque plures litteras ab hujus Regni Praelatis flagitasse, ne huic conventui generali (35) assisterent vel comparerent, et iisdem Praelatis sub paena excommunicationis preecepisse, ne ad Concilium accederent, nullamque in induciarum causa opinionem dicerent, ubi Concilium Regni Praelatos evocasset, quatenus in controversia sibi cum Nuncio intercedente eos consulereret.

(1251) " 15°. Suam Illustrissimam Dominationem usurpasse illegitimam autoritatem ascribendi militari et civili eorundem

1673

v

1674 Confaederatorum albo eos, qui ipsi (36) ad imperandum | idonei viderentur, et eos utroque albo expungendi, quos expungendos duceret, ut suos fines assequeretur.

(1252) " 16°. Suam Dominationem Illustrissimam edictis ad multos diversorum Ordinum Religiosos directis sub paena excommunicationis praescripsisse, ne (quod eorundem Ordinum privilegiis (37) adversatur) suis quique Provincialibus, qui suas in Regiminis favorem sententias protulerant, obtemperarent. Siqui autem Religiosi a suae Illustrissimae Dominationis sensu opinionibus dissensissent, eorumque respective Provinciales ejus vias probassent, tunc suam Illustrissimam Dominationem ab his a se dissentientibus Religiosis sub paena jam dicta flagitasse ut iisdem suis Provincialibus obedirent.

(1253) " 17°. Suam Illustrissimam Dominationem in hujus Regni dignitarios, parochos, et curiones absolutam atque ordinariam sibi assumpsisse jurisdictionem, nulla Archiepiscopis vel Episcopis, in quorum diaecesisbus sunt, data notitia, vel eorum habita ratione.

(1254) " 18°. Quendam Reverendum et Religiosum Praelatum cum sua Illustrissima Dominatione expostulasse, quod ejus honori non congrueret, Eugenio O Nello (38) ejusque partibus studere adversum viros in Regno fidos, opulentos, et conspicuos, qui si praevalituri essent, suae Illustrissimae Dominationi haud mediocriter nocerent, adeo ut interea temporis Confaederatorum sanguis effunderetur, huic autem suam Illustrissimam Dominationem respondisse partes praevalituras Romae habendas maxime Catholicas.

(1255) " 19°. Nuperrime sedentibus hisce Comitiis dum | 1674 Carmelitarum (39) Ordo Religiosus in urbe Galviensi Appellationis a dictis suaे Illustrissimae Dominationis censuris ad Suam Sanctitatem interpositae beneficio utens suas (ut ipsos decebat) functiones exerceret, quosdam, sua Illustrissima Dominatione (40) procurante et dirigente, in eorundem Carmelitarum sacellum Galiae noctu insiliisse, ipsorum personas (41) offendisse, eorumque campanam, qua celebrandi sacri signum dabant, dejecisse, eamque hactenus detinere, duobus praesbyteris ad dictae capellae januam constitutis, qui Catholicos violenter a Missa arcebant in magnum religionis Catholicae opprobrium in tractu, ubi multi sunt Protestantes bono exemplo ad fidem Orthodoxam convertendi.

(1256) " 20°. Suam Illustrissimam Dominationem per se et continuas suas molitiones, Ministros ac complices elaborasse ut

hanc nationem a sua in Regem (42) fide abduceret, fundamentales Regni leges et Regimen subverteret, inque eorum locum externam, arbitriam, et tyrannicam gubernationem introduceret. Quae ex Illustrissimae Dominationis suae modo procedendi adeo evidenter probanda sunt ut negari nequeant. Quibus omnibus atque aliis Illustrissimae suae Dominationis in hoc Regno procedendi modis atque actionibus factum est, ut sacrarum basilicarum ac sacellorum (43) centuriae multae, in quibus res Catholica publice celebrabatur, in hostium manus devenerint, magni Religiosorum Conventuum greges dispersi sint, integra vastaque territoria, in quibus | Confaederati habitabant, jam deserta et 1675 inculta vacent, et famis generalis, qualem nulla retro aetas in hoc Regno pepererat, invecta fuerit, veroque simile sit universalem desolationem secuturam, nisi citius occurratur.

Ex. per Philippum Kearneum
Generalem Comitiorum Iberniae Clericum."

(1257) Jam restat ut huic mendaciorum et calumniorum farragini, quas polliciti sumus, redargutiones subnectamus.

(1258) 1. Nuncium anno 1645 appulsum Confaederatos Catholicos reperisse unanimes, adeo falsum est ut antegressis belli annis iniquissima Ormonii factio per inauditas machinationes in Comitiis, Concilio Generali, aliisque magistratibus jam quidem praevaluuerit, sed non ita quin Clerus, aborigines, et omnes Cleri partes ad Ormonistas etiam bello civili aggrediendos paratae fuerint, potius quam ad permittendum ut suam nefariam mentem assequerentur. Quare Cleri partes per occultas protestationes se ad iniquam pacem impediendam accinxisse collendum est ex Comitiorum Generalium tribus circiter mensibus ante Nuncii appulsum celebratorum acto 4° Julii anno 1645 Kilkenniae dato et per universum Regnum promulgato, quo Ormonistae illis protestationibus obviare satagerunt. Eadem partium studia constant ex suggestionibus scriptis Nuncio ad appulsum datis, et suo loco ex parte positis, et ex ipsius Nuncii Relatione anno Kal. Martii 1646 Cardinali Pamphilio scripta sed 3° Maii missa et superius posita, qua Regni tunc statum adumbravit. Denique id ipsum colligere est ex multis aliis rerum superius tractatarum locis, quos hic vel citare prolixum foret. Nuncius | ergo operam quidem dedit ut nequissimae illius factionis Ormoniae impetus Ecclesiae exitialis cohiberetur. Nec caeptis defuit 1675 Deus, qui anno 1646 mense Augusto et Septembri ita ejus et partis sincerae conatus secundavit, ut Consiliariis, qui Ormonio

studerent, exauthoratis atque in carcerem conjectis, paceque iniqua proscripta, Clerus atque ejus partes triumpharint et usque ad finem (ut credere par est) triumphassent nisi Nuncius ab Ormonistis deceptus mente optima sed improvida permisisset, concordiae inter partes redintegrandae studio, ut Comitia Generalia ad ineuntem annum 1647 celebrarentur, donatis libertate illis Consiliariis, qui suam iterum factionem ex funere redivivam in Regni ruinam resuscitarunt.

(1259) 2. Si Catholica religio in tribus amplius ex Regni quatuor partibus ad Nuncii appulsum cum splendore exercebatur, Nuncius suo zelo et prudentia, nec non subsidiis Pontificiis id Deo auspice effecit, ut per insignes victorias anno 1646 reportatas splendor ille maximopere auctus fuerit. Quare ex ipsorum Ormonistarum hic confessione religio Catholica tunc facili negotio plane pleneque triumphum revexisset, nisi perniciosissima illa factio suis discordiis et coniurationibus triumphorum cursum non praepediisset. Unde hic Nuncium accusantes, suo se jugulant gladio.

(1260) 3. Nuncius quam bona fide fregatas illas in Faederatorum obsequium obtulerit, constat ex epistola ad se 24 Septembri 1645 data ab Invernito, quam aliaque huc spectantia suis locis in Nuncii purgationem tetigimus.

(1261) 4. Nuncius decretum habuit anno 1646 pecunias Pontificias in exercitus Ultoniensis sumptus impendere, sed Ormonistarum fraudibus factum ut majorem partem in Prestoni quam in Eugenii O Nelli vires distribuerit. Multas quoque alias minores summas in aliis Regni usibus collocavit. Vide superius Orationis suaee 2ae ad Comitia Generalia anno 1646 habitae compendium num. 6. "Habeo (inquit) tantam pecuniam ut possim | assumere in me onus alicujus partis notabilis belli in aliqua Provincia." Haec ad Comitia Nuncius, quae, et plura praestitit.

1676 (1262) 5. S. Petri fregatam, qua ipse Nuncius in Iberniam navigaverat, exinde hactenus in praedis hostilibus mari capiendis, atque aliis Regni indigenitiis sublevandis occupatam fuisse, et Decanum Firmanum aliam S. Ursulae fregatam anno superiore in Gallia pecuniis Pontificiis comparasse, et cum ambabus hoc anno in Iberniam rediisse liquet. Quarum prima hoc anno vix Ormonistarum manus evasit, et in secundam involarunt.

(1263) 6. Quam bona fide Nuncius in negotio, de quo hic loquuntur, processerit, et quam fraudulenter ejus adversarii se gesserint, alibi suo loco fusius demonstravimus.

(1264) 7. Vide quae dixi ad numerum 4m, quae in hujus numeri septimi responsonem sufficiunt.

(1265) 8. Quam ridiculum est hoc accusationis caput?

(1266) 9. Nuncius nec debuit, nec (sicut ex ejus facultatibus suo loco positis liquet) potuit circa bona ecclesiastica cum laicis dispensare, nisi certis conditionibus prudentissime adjectis; quas ab illorum bonorum possessoribus, exceptis paucissimis, spretas fuisse ipse Nuncius tradit suae Relationis Innocentio X porrectae cap. 2°. Cupiebant enim generalissimam et absolutam dispensationem, cum digni potius essent, qui ob ingratitudinem et perfidiam bonis omnibus ecclesiasticis excuterentur, haereticorum utique fautores, et malignissimi Sedis Apostolicae adversarii.

(1267) 10. Nusquam mihi occurrit Nuncium, quod hic dicunt, praestitisse. Si autem praestitit, jure suo, in indignos bonorum ecclesiasticorum usurpatores, usus est. Sed nec usum fuisse crediderim, nisi cum aliquibus circumstantiis pro ipso militantibus et hic silentio praeteritis ab adversariis. |

(1268) 11. Si de ecclesiasticis bonorum ecclesiasticorum 1676 possessoribus loquuntur, Nuncius certis casibus hoc potuit, v sicut ejus facultates docent. Si autem de laicis eorundem bonorum possessoribus hoc affirmant, citra dubium circumstantias pro Nuncio facientes non exprimunt. Mihi autem nusquam occurrit Nuncium tale praestitisse.

(1269) 12. Hanc disceptationem non in iisdem Comitiis sed in aliis ad ineuntem annum 1647 celebratis intervenisse reperio. Circa quam vide Relationem huc spectantem Kalendis Martii 1647 Cardinali Pamphilio a Nuncio missam et superius suo loco positam. Ex qua et ex aliis ibi annexis liquet hoc Nuncio objectum accusationis caput esse falsum.

(1270) 13. In eadem Relatione habetur, quod illis Comitiis Nuncius optime respondit, nempe Regi haeretico competere non posse Juspatronatus.

(1271) 14. Ante Anglorum invasionem veteres Iberniae Reges et Principes, Regni Archiepiscopatus, Episcopatus, et plurima ditissimaque Monasteria fundaverant dotaverantque, quorum Juspatronatus potius eorum haeredibus legitimis quam Ormonio studentibus Anglo-Ibernis, qui in bona ecclesiastica involarunt, competitabat.

(1272) 15. Ex praefata Relatione liquet Nuncium non spondisse futurum ut a Concilio praesentandi promoverentur. Nuncius enim haud injuria suspicabatur non alios ab Ormonistis

praesentandos quam sui fermenti ecclesiasticos, causae Catholicae in occasione defuturos, sicut re ipsa postea successit. Quare utinam praesentatorum ab Ormonistis promovendum curasset omnino neminem. Porro Walterus Lynchaeus et R. admodum P. Boetius Mac Eganus, quorum primum ad Clonfertenses, et secundum ad Rossenses infulas Nuncius antea promovendum curaverat, causae Catholicae inter has discordias piaeclare militarunt. Quare Ormonistae promotos fuisse molestissime tulerunt, P. | Hugone de Burgo, quem ad Clonfertensem Episcopatum praesentaverant, ad pejorem episcopatum, nempe ad Duacensem, promoto, et Joanne Mac-Ceallachano, quem ad episcopatum Corcagiensem cooptari sategerant, Nuncii opera prudentissime excluso, inque ejus locum Roberto Barrio, quem ipsum Concilium ad episcopatum Rossensem commendaverat, ejusdem opera substituto, qui sicut piaeclarissime se gessit, ita Ceallachanus sub ementito Philopatri Irenaei nomine vindicta flagrans, suum libellum famosum (ex quo prudentissime exclusum fuisse constat) in Ormonii et Ormonistarum favorem edidit, eximius haereticorum atque haereticis adhaerentium Ormonistarum fautor et patronus, proindeque episcopatu longe indignissimus.

(1273) 16. Legantur ejus facultates, ex quibus liquet Pontificem ipsi amplissimam conferendorum in Ibernia beneficiorum ecclesiasticorum fecisse potestatem, quam ille nutriendae inter partes Catholicae concordiae causa et improvida providentia potius in Catholicorum sibi adhaerentium et veterum Ibernorum, quorum majores ecclesias episcopales fundaverant dotaverantque, quam in Ormonistarum paejudicium exercuit *contra fundamentales Regni leges*, nempe antiquas Ibernicas, juxta quas Ormonistis nullum in episcopatibus Juspatronatus sed solis veteribus Ibernis competit. Quod si per *fundamentales Regni leges* in illa objectione intellexerint Ormonistae leges Anglicanas in Iberniam intrusas, has ante Henrici 8 ab Ecclesia defectionem non nisi in parvo Insulae angulo sub ipso Henrico viguisse tradit coronae Anglicanae studiosissimus, ipseque haereticus, Joannes Davisius, | Regis Jacobi in Ibernia *Attornatus*, qui

^v
1677 pag. 237. de legibus Anglicanis Henrico 8° regnante in Iberniae usus latius disserens: "Executionem (inquit) harum legum in Ibernia haud ad maiorem districtum quam ad Coloniam ibi Anglicanam se extendisse liquet ex statuto anni 13 Regis Henrici octavi c.3., quo traditur quod, diebus illis, Regis leges in quatuor tantum Comitatus vigerent. Documenta quoque eodem circiter tempore a Regiis in Ibernia Ministris per Scriniorum Magistrum, Joannem

Allenum, in Angliam transmissa id ipsum in confessu collocant. Quibus utique is inter caetera in mandatis habuit ut Regi inculcaret suam Iberniae terram tantopere ab obsequio descivisse, ut sua Majestatis leges haud per viginti in circuitu passuum millia vigerent. Indeque inolevit illud diverbum ab Ibernis usitatum, quod scilicet extra legem Anglicanam viverent qui ultra Birgum fluvium habitarent, non utique nisi triginta millia passuum Dublinia distantem. Idque ipsum Finglassiae Baro confirmat in suo de Iberniae defectione tractatu, quem ad annum Regis, Henrici octavi vicesimum scripsit." Haec Anglice Davisius. Itaque illae leges fundamentales Anglicanae temporibus Catholicis in Iberniam intrusae, proindeque coronae Angliae Juspatronatus in Ibernia novissimis annis ante schisma et haeresim non nisi in illo parvo tractu viguerant. Quod Juspatronatus tantum abest ut sub posterioribus Principibus haereticis creverit, ut etiam in haereseos paenam prorsus evanuerit.

(1274) 17. Cum coronae haereticae Juspatronatus ad Episcopos Catholicos praesentandos convenire dicant, spiritu pene | haeretico se agi ostendunt.

(1275) 18. Inquieta censem ingenia, quod secum in nationis et Ecclesiae Ibernicae ruinam, et in faederis Catholici dissipationem non consenserint.

(1276) 19. Lege schedam notis arcanis Cardinali Panzirolo a Nuncio 24 Decembbris 1647 scriptam, et superius suo loco positam, circa id quod tunc in Cleri Congregatione clam in deliberationem venerat a Nuncio tunc suspensam, ex qua colligere est quantam hic ingratitudinem Ormonistae in Nuncium exerceant, dignissimi quos inter ultima illa Comitia Eugenius cum suo exercitu coercuisse. Sed Nuncius intercessit. Porro illam deliberationem ab aliquibus Praelatorum apertam fuisse conjecto ex hac objectione, in qua Ormonistae vera falsis mixta scribunt, silentio praetereuntes suam inter dicta Comitia conjurationem, quam Eugenius et Clerus Ibernicus dissipasset, nisi Nuncius obicem posuisset.

(1277) 20. Bellum a Faederatis Iberniae Catholicis caeptum, et tot juramentis susceptis sanctificatum ante quidem in solos haereticos gesserat, sed tunc in haereticos et faedifragos Catholicos impia conjuratione inter se conjunctos continuavit. Quare illius belli civilis damna Ormonistis vitio vertenda sunt.

(1278) 21. Sic Henricus octavus, ejusque spuria filia, Regina Elizabetha, Sedis Apostolicae censuras in se fulminatas affirmarunt illegitimas esse et temerarias.

(1279) 22. Quam maligna objectio haec sit, ex iis constat, quae suo loco superius super hac re tradimus. Neque enim Nuncius contrahendis inducis, modo bonae futurae essent, nec contractis, nisi quia malis, intercedendum duxit.

(1280) 23. Quam ridiculum accusationis caput? Magaulii siquidem proditio in illa Arce Ormonistis tradenda docuit Nuncium si (quod mihi non constat) hoc praestiterat, prudenter processisse. Si enim Athlonia Eugenio tradita fuisse, vix | 1678 Ormonistae et conjuncti secum faedere haeretici hoc anno non succubuisserent.

(1281) 24. Nec minus ridicula est haec objectio ob similem rationem. Quod autem ibidem subjungunt, nempe Nuncium effecisse ut Rouaei transfretatio praepediretur, nullam prorsus fidem habet, praesertim cum Nuncius Galviae se teneret, atque adeo Duncanania longe gentium distaret, et itinera interjecta undique ab Ormonistis impedirentur.

(1282) 25. Non Nuncii ejusque partium sed Ormonistarum bellum rebellionis nomine censendum esse demonstravimus.

(1283) 26. Quinimo potius Nuncius suas Galviae partes eo adegit, ut Ormonistas Galvienses magistratu non abdicarent, ipseque manu propria urbis claves, et insignia Praetoria Praetori Ormonistae jure merito extorta restituit.

(1284) 27. Risu dignae objectiones, quae vix animas Catholicas redolent.

(1285) 28. Richardus O Ferallus publica etiam Provinciae Conaciae, nedum Regni autoritate, in Praefectum Generalem cooptatus erat. Sed pseudo-Concilium, postridie quam censurae fulminatae essent, suis litteris ad Clanricardium 28 Maii 1648 datis, eidem Clanricardio predictam virum Conaciensium (sicut ex ipsius Clanricardii declaratione 10 Junii 1648 data et superius posita constat) praefecturam generalem decreverunt, Richardo exauthorato, haud aliam ob causam, quam quod Clanricardius non minus Ormonio et aliis haereticis quam Richardus Clero atque ejus partibus studeret, antea semper deindeque de causa Catholica optime meritus, qui etiam, non nisi duobus circiter mensibus post sui | exauthorationem jam dictam interjectis, ad Eugenii O Nelli partes palam transiit, tentatis antea, sed incassum, viis omnibus, quibus fieri posset ut Concilium et Conaciae Provincia se ad suam praefecturam administrandam secundarent. Itaque fide summa se gessit ante et post illam suam ad Cleri partes transitionem, et Concilium etiam in hoc Regiminis articulo fidem in se positam prodidit.

(1286) 29. Edictum, de quo hic loquuntur, haud aliud fuisse credo quam quod impius Philopater in medium producit, et hic subjicio :

" Joannes Baptista Rinuccinus, Dei et Sanctae Sedis Apostolicae gratia Archiepiscopus et Princeps Firmanus, ac in Iberniae Regno Nuncius Apostolicus extraordinarius, tibi Jacobo Guogh salutem. Tenore praesentium praecipimus ac mandamus ad instantiam et petitionem D. Ludovici Gedeon, Capitanei fregatae Sancti Petri, et sociorum militum et nautarum, quatenus infra totam diem sequentem Lunae, quae erit 17^a currentis mensis Augusti, debeas reddere computa fidelia et realia cum effectu et sine mora de omnibus pecuniis et rebus spectantibus ad ipsos et alios pro praeda capta a dicta fregata, ad effectum quod statim ipse supradictus Capitaneus et alii interesse habentes debitam et justam habeant satisfactionem pro integra illorum quorumcumque parte, et hoc sub paena excommunicationis nobis reservatae de facto incurrandae, si per te et ex parte vel defectu tuo totum id non perficiatur, non obstantibus quibuscumque &c. In quorum fidem &c. Datum Waterfordiae 15 Augusti anno 1646.

Joannes-Baptista Archiepiscopus Firmanus, Nuncius Apostolicus." |

(1287) Sancti Petri fregatam, de qua hic mentio fit, Nuncius 1679
anno 1645 pecuniis Pontificiis in Gallia emerat, eique nautis, v
militibus, et rebus omnibus ad bellum navale idoneis bene
instructae praefecerat Ludovicum Gedeon in Capitaneum, ut
maritimae orae ab Anglorum Scotorumque pyratica defenderen-
tur, et praedae navales ex haereticis illis hostibus et praedonibus
revehendae in belli Catholici sumptus impenderentur, excepta
manubiorum parte ad Capitaneum jam dictum juxta conditiones
initas spectante et in militum nautarumque stipendiis, et navis
instruendae, subindeque reparandae, sumptibus collocanda. Cum
ergo Jacobus Guogh ea, de quibus in sententia illa a Nuncio
lata mentionem fieri vides, restituere debuerit, quid justius
quam ut sub censurarum interminatione ad restitutionem compel-
leretur. Nec aliud hic ipse Philopater reprehendit quam quod
Nuncius controversiam civilis magistratus sententia dirimendam
non curarit. Verum homo temerarius et imprudenter mendax
haud oblivioni tradidisset quod ipse sui libelli famosi capitulo
praecedenti habet et verum est, nempe pacem Ormonicam triduo
antea a Nuncio et Clero Waterfordiae damnatam fuisse, ex quo

Vind :
Lib. 1. p.
37.

Vindic :
lib. 1. p.
33.

atque ex aliis controversiae tunc inter Clerum et Concilium Supremum ortae et suo loco fusius recensitae circumstantiis liquet Nuncium haud sperasse futurum ut iniquissimum illud Concilium in sui favorem judicarent, praesertim tunc cum potius operam darent ut totum Regnum in Nuncium et Iberniae Clerum insurget et eos ad incitas redigeret. Caeterum Nuncius tunc et

1680 Iberniae Clerus illa praeda, | aliisque subsidiis ultra modum indigebant ut iniquam illam pacem vi intrudendam, viribus, quibus stipendia numeranda essent, rejicerent. Quare in illis angustiis sancte et prudenter censuris Jacobum Guoghum premendum duxit, quem alterius fregatae Capitanum fuisse et sub Concilii Clero tunc adversantis vexillis in illam praedam navalem a Nuncii fregata captam involasse conjecto.

(1288) 30. Praedia laica, quae a Nuncio transcripta fuisse dicunt, haud alia fuisse non dubito quam possessiones ecclesiasticas antea a Principibus haereticis in laicos, sui fautores, per tyrannidem distributas, et a Nuncio inquis possessoribus jam Catholicis non omnibus sed paucis confirmatas, vel certe intelligunt similia praedia bello haereticis erupta et a Nuncio juxta facultates sibi concessas aliis Catholicis vel laicis transcripta, vel ecclesiasticis, forteque ipsis legitimis dominis, monachis scilicet vel Canonice Regularibus restituta. In quo quid peccavit?

(1289) 31. Anno 1646 proscripta pace Ormonica, exauthorato Concilio Supremo, et non nullis ejus Consiliariis in carcerem compactis, erectoque novo magistratu ex recenti Concilio Supremo et Congregatione Ecclesiastica compacto, Nuncius in hujus mixti magistratus praesidem cooptatus, cum aliis ex Congregatione et Concilio, aliquot decretis tunc circa Faederatorum regimen conditis subscrispsit, ex quibus hic arripitur occasio ipsi objiciendi,

1680 quae hic objiciuntur. Sed quam mala fide? | Lector judex
v esto.

(1290) 32. Legantur ipsius Nuncii responsiones contentae in scheda suo loco superius posita ad Cardinalem Panziolum 16 Junii 1648 data circa gravamina sibi a Concilio illata. Legantur etiam quae inferius ad anni sequentis initium dicemus circa pecunias Nuncio ab Iberniae Jesuitis mutuo datis. Porro cum hic Nuncio dolos Ormonistae affingant, suam nequitiam non Nuncii culpam produnt.

(1291) 33. Pecuniae illae omnes vel pene omnes anno 1646, mutato (sicut dixi) Faederatorum Regimine, mutuo acceptae fuere ad pacem iniquam valentius eliminandam, et in copias Ecclesiae et patriae militantes distributae, in expeditionem Dublinensem

suo loco fusius delineatam. Quare Ormonistae in hisce Comitiis anni 1648 dominantes suam perfidiam produnt, cum hic eos, qui pacem illam tunc proscripterant, vocent *rebelles ac proditores*. Ex hoc enim colligitur Ormonistas illos tunc et semper hactenus in hac sua perfidia perstissete, licet pax illa a Clero, populo, exercitibus Catholicis, et Regni Comitiis ad ineuntem annum 1647 celebratis rejecta fuerit tanquam inqua. Ex hoc etiam loquendi modo colligere est Ormonistas ita invitatos et reluctantos pacem illam repudiassesse, ut nunquam ejus vel similis restituendae mentem abjecerint, licet toties per acta etiam publica protestati sint et juraverint contrarium.

(1292) 34. Hic Reverendus Praelatus, de quo loquuntur, fuit Episcopus Limericensis. Casus autem hic est. Clerus (ut vidimus) 27 Aprilis inducias cum Insequinno contrahendas damnavit. Quo viso Concilium ita nihil a se nisi Clero approbante in ea re gerendum simulabat, ut tamen 7° Maii clanculum certis conditionibus illam armorum cessationem absolvendam diffinierit, et 8 Maii Commissarios ad Insequinium in eum finem destinandos statuerit. Quo Nuncio cognito Episcopum Limerensem, unum ex Consiliariis, pressit, ut se occultam illam coniurationem Ecclesiae et nationi exitialem non celaret. Reque ipsa Episcopus totam ipsi machinam aperuit, ipso Nuncio authore, Rel. cap. 27. Ex hac autem Ormonistarum criminazione collendum videtur Limericensem postea conversum in arcum pravum ipsis retulisse non se id arcanum Nuncio aperuisse, sed Nuncium ursisse ut aperiret. Porro Nuncium in Limerensi ad illam coniurationem sibi communicandam premendo nedum licite, sed etiam pie et sancte processisse liquet. Nam non solum Pontifex in certis circumstantiis (sicut ex ejus facultatibus liquet) ipsi relaxandi juramenti fecerat potestatem, sed etiam Limericensis ex secreti observandi juramento a se atque aliis Consiliariis suscepto arcanum illud Nuncium celare non tenebatur, usque adeo ut ex promissa Regno fidelitate ipsi potius, et aliis quorum interesset, ejus communicandi onus incubuerit.

(1293) 35. Eventus funestissimus postea docuit Nuncium sanctissime et prudentissime haec Praelatis praescripsisse.

(1294) 36. Haec nisi de Regimine ad annum 1646 mutato intelligere nequeunt. Verum illius mutationis Nuncium nunquam authorem fuisse, sed unanimi aliorum sententiae subscripsisse, nec Nuncium, nec alios, nisi optime in hoc se gessisse, suo loco fusius demonstravimus.

(1295) 37. Ex Nuncii facultatibus suo loco ad annum 1645 positis patet hanc parenthesim esse falsissimam, reliquaque objectio absurditatibus, quae meros Ormonistas sapiunt, scatet.

(1296) 38. Nuncio congruisse quis dubitet adhaerere Eugenio O Nello, aliisque rei Catholicae fautoribus, qui causae justitia, | 1681 nobilitate, numero, multisque aliis titulis Ormonistas antecellebant. Nec hic aliud responderi posse video, quam Ormonio plures Equites, Barones, Vicecomites, et Comites studuisse. Sed haec responsio nulla est, cum in Ibernia notorium sit recentiores illos titulos eorum plerisque, tanquam novis hominibus et de corona Anglicana in Ecclesia Ibernica deprimenda bene meritis collatos fuisse, proindeque aliis, qui Nuncio studuerunt, generis splendore atque antiquitate millies posthabendos. De fortunis autem si quaestio sit, ea erat ambarum partium conditio ut Ormonistarum plurimi illis titulis gloriantes ostrum cum attrita lacerna commutassent, si bonis ecclesiasticis et Catholicorum patrimoniis in fidei odium confiscatis atque in ipsis, vel eorum majores tanquam haereticorum stipendarios a corona Anglicana collatis excussi fuissent, Nuncii autem fautores alii patrimonia a tot saeculis avita sed haereticorum fraudibus et tyrannide truncata possiderent, alii in fidei odium sibi vel majoribus extorta justo bello repeterent, et ambae fautorum ejus partes vastissima territoria per haereticorum technas et violentiam sibi erepta vindicarent jure adeo liquido ut Regni Comitia etiam Ormonistis consentientibus decreverint nunquam pacem ineundam nisi in integrum restituerentur, sicut ex legatorum hoc anno in Galliam ad Reginam Angliae et Principem Walliae destinotorum monitis magnam partem liquet.

(1297) 39. Carmelitarum Ordinem vocant duos nebulones, ejusdem Ordinis alumnos, dignos, qui ad triremes damnarentur, sicut superius ostendimus. |

1682 (1298) 40. Si Nuncius, quod hic dicunt, procurasset, optime fecisset; procurasse autem non alibi quam hic reperio, quare fidem non habeo.

(1299) 41. Ipsorum personas offensas fuisse non nisi hic lego. Quare nec hic etiam Ormonistis fidem habendam censeo, addens dignos fuisse qui verbis et verberibus exciperentur.

(1300) 42. Nuncius nunquam Nationem a sua in Regem quamlibet haereticum fide, nisi in Ecclesiae et religionis Catholicae praejudicium, proindeque in animarum damnationem redundante abducere conatus est. Nec contrarium unquam probarunt adversarii, nec aeternum probabant.

(1301) 43. Haec omnia mala longeque plura, demumque Ecclesiae et Nationis excidium ipsis Ormonistis imputanda esse ex narrationis serie constat.

(1302) Alia in praefatis accusationum capitibus Nuncio objectis continentur, quae ex antecedentium et sequentium in hac historia rerum lectione tanquam proprio pondere corruunt, non nullaque ibidem habentur, quae mihi alibi non occurrunt, quibus nullam plane fidem habendam esse colligendum est ex aliorum capitum refutatione. Credere enim par est eos, quos tot mendaciorum maculis in aliis pene omnibus capitibus notatos videris, in reliquis me latentibus, quae paucula sunt, simili calumniandi libidine fuisse abreptos, praesertim cum in tota hac, quae ipsis cum Nuncio intercessit, contestatione, mendacia mendaciis, fraudes fraudibus, et calumniis calumnias accumula-
verint, ut suam nuditatem instar veteris Adami aliquot focus foliis velarent, genuini illorum suorum Anglo-Ibernorum, | qui Regiae Elizabethae in Ecclesiae praejudicium militaverant, haeredes et imitatores.

(1303) Praeter praefatam epistolam et accusationum capita ad ipsum Nuncium pseudo-Comitorum nomine directa, invenio aliud actum eorundem nomine Anglice editum, nunquam sine summo horrore legendum, quod Philopater Latine in medium producit his verbis :

"Per Generalia Faederatorum Iberniae Catholicorum Comitia.

(1304) " Cum Iberniae Regnum nimia et inaudita hactenus tolerantia sustinuerit innumerabilia gravamina, distractiones, exorbitantia crimina, capitalesque offensas a Joanne D. Archiepiscopo Firmano in hoc Regnum a Sua Sanctitate, nomine Apostoli Nuncii, misso, per tres continuos annos jam prope elapsos sine ulla intermissione commissas ac perpetratas, ejusque id generis continuata molimina, jugesque conatus ad inevitabilem Catholicae religionis, Nationisque tam antiquae, tamque Catholicae extirpationem ac ruinam vergentes justorum ac legitimorum praesidiorum pro reliquiis Reipublicae ab integra ruina servandis praesens remedium efflagitent. Hinc est quod nos ipsi Domino Nuncio *praecipimus*, ut se ad redditum suum Romam quam primum paret, ubi se, si possit, defendat contra praedicta crimina ibidem adversus ipsum producenda ac probanda. Interim vero sub interminatione paenarum, quae vigore legum tam divinarum quam gentium incurri possunt, eidem *injungimus* ut se, nec per se, nec per quemquam Ministrorum suorum directe aut indirecte

Gen. 3.
1682
v

Vind :
lib. 1. p.
161.

ullius hujus Regni negotiis immisceat. Porro summorum illorum criminum, capitaliumque offensarum ab ipso in hac terra perpetratarum compendium quoddam in impressa declaratione, ab hoc publico Regni Conventu propediem adversus ipsum edenda, universis patebit. Quo igitur nec Galviae civitatis Praetor, nec | quisquam alius ejus urbis, in qua modo residet dictus Dominus Firmanus, civis, nec alii cujuscumque conditionis homines criminum illorum ignorationem praetexendo, ullum cum eo aut cum alio quoquam hominum adhaerentium ipsi, commercium aut communicationem ullam in posterum habeant. Hodie conclusum, statutum, et declaratum est et consequenter Generalia Comitia Regiae Majestatis nomine stricte *injungunt* et jubent vobis omnibus infrascriptis, vestrunque singulis, sub violatae fidei ac perduellionis, indeque incurrendarum paenarum ac mulctarum interdicto ut a recepto, viso, cognito, aut publicato hoc edicto, nullam habeatis aut servetis communicationem cum dicto Domino Archiepiscopo Firmano, nullo modo ad eum accedatis, nullis aut ipsiusmet aut aliorum ipsi adhaerentium censuris, decretis, aut interdictis obediatis aut faveatis, nec cuiquam jam ab ipso profectarum aut publicatarum in causa induciarum ullave re alia, ex quo nostra ad Suam Sanctitatem interjecta est Appellatio, ullisve omnino censuris, decretis, aut interdictis in alio quocumque negotio a dicto D. Archiepiscopo Firmano aut adhaerentibus ipsi vel eorum quoquam antehac aut in posterum fulminandarum aut publicandarum deferatis. Praeterea injungimus ut nec dictum D. Archiepiscopum nec adhaerentes ipsi, nec eorum quemquam sub paenis ac mulctis jam dictis foveatis, sustineatis, aut defendatis." Hactenus illud nefarium actum.

(1305) Idem Philopater hoc sceleratum edictum affirmat directum fuisse *ad Galviae Praetorem, Notarium, | annuos Vicecomites, Principem Juventutis, omnesque et singulos urbis cives, ut et ad reliquos Faederatos Catholicos, aliasque omnes quorum interesset per universum Iberniae Regnum.* Porro tradit Nuncius haec acta etiam Praetori Galviensi recens creato fuisse a Comitiis missa, ut ea sibi intimaret, eumque respondisse se officio illo non functurum. Nuncius tamen etiam antea significaverat se ex Regno discessurum et ex altera parte: "Declaravi (inquit) omnibus me discessione supersessurum usque ad ultimum, quae in Comitiis facienda essent, deliberationum articulum, et donec Marchio (Ormoniae) restitutus esset. Idque ut mea

Diarium
ad 4 Nov-
emb. 1648.

Rel.
Cap. 33.

v

discessio ex una parte appareret spontanea, quandoquidem eam ipse meapte voluntate statuebam et ex altera parte videretur coacta, quod Confaederatio, praeficiendo sibi haereticum, se dissolvebat." Sic ipse. Qui etiam 17 Novembris 1648 Cardinali Panzirolo notis secretis Galviae scribens : " Persisto (inquit) in discedendi cogitatione, licet biduo elapso D. Eugenius rationes significaverit, ob quas non discederem, quod ea Catholicorum pars, quae bona est, animum funditus desponderet, magnumque causae praejudicium fieret. Ego vero statuo (si mihi successerit) ipsi de novo significare meas rationes, et si (quod spero) victoriam reportaret, negotium tamen adeo in longum iturum ut interea digno modo morari nequeam cum altera pars Regimine gaudeat et in unum corpus coalescat, haec autem | licet multo major 1684 sit, haud tamen, sicut altera vice, in unum convenire possit, nec se adhuc opponere cum dominio." Sic ipse, et posterius, nempe 29 Novembris 1648, eidem cypris scribens : " Non (inquit) possum resistere litteris, quae ad me mittuntur a toto Regno Reg: p. 706. exhortatoria ad non abscedendum, quarum non nullae sunt, quae mihi scrupulum ingerunt, quasi nolle etiam carcerem in religionis opem tolerare. Verum spero quod me potero defendere ad istud tribunal, cui soli subsum. Interim Eminentiae Vestrae fateor, metum, ne ad incitas atque extremam inopiam redigerer, mihi forsan esse praecipuam abeundi rationem, cum viderim Comitem Glamorganiae tantopere vilipensum, cum inopia laboraret." Haec idem. De praefatis autem pseudo-Comitiorum actis ter horrendis ad eundem notis arcanis ultimo Octobris 1648 scribens : " Expecto (inquit) mandandam typis declarationem Reg: p. 67 adversus me factam cum delictorum capitibus duodeviginti, et epistola, qua moneor esse paratus ad proficiscendum Romam, quo super iisdem me defendam. Ea quae Suae Sanctitati istic exhibita fuerant, inter illa delicta comprehenduntur, ut liqueat haec omnia esse acta ejusdem Digbaei et Marchionis Ormoniae ad eorum appulsum edita." Sic ibi. Cum autem expectasset ut praefata delictorum ipsi imputatorum et ad se antea missorum capita juxta comminationem a Comitiis in sua declaratione superius posita factam typis mandarentur, atque in lucem ederentur, eodem die 29 | Novembris Cardinali jam dicto notis 1684 pariter secretis scribens : " Nunquam (inquit) querelae illae et litterae adversus me typis publicatae fuere." Haec ibi, et pauculis Reg: p. 704. lineis interjectis : " non (inquit) omitto Eminentiae Vestrae ibid: p. 705. subjugere rem mihi videri valde stupendum, quod viso laicos meae authoritati vim intulisse, et statuisse nequis mihi obtemper-

aret, non constet octo Episcopos, qui Comitiis intersunt, ne minimum quidem fecisse contrarium, nec ex civitate discessisse, nec in oppositum protestatos fuisse, nec Suae Sanctitati nec mihi per litteras purgasse, sed in summa quod voluerint videri consentire. Audio quoque laicos defendere hanc actionem exemplo Lusitaniae, affirmantes Cardinalem Pallotum ibi fuisse compulsum fugere, contruso in carcerem ejus Auditore. Quem casum cum haud probe sciam, solum mihi superest ut ipsis gratias habeam, quod eorum opinione me tanti meriti Praelato comparaverint." Hactenus Nuncius.

(1306) Ad ea acta a pseudo-Comitiis in Nuncium sancta redeo, quae, Ormonio in Regnum paulo antea appulso, et Insequinio quoque premente, surreptitie condita fuere non ab Ormonistis modo, sed etiam ab Ormonistarum paucis malevolentia et calumniandi libidine possessis, idque absentibus Episcopis et praecipuis vel ipsorum pseudo-Comitiorum membris, secundum
1685 Praelatorum utriusque partis epistolam | 12° Decembris 1649 ex Congregatione Clonmacnosiensi ad Innocentium Xum datam et inferius suo loco positam. Caeterum Boetius Mac-Eganus, Episcopus Elphinensis, auditio praefata acta ad Nuncium missa fuisse, has illi scripsit litteras non tam consolatorias quam congratulatorias.

" Illustrissime Domine.

(1307) " Non sine magno spirituali gaudio vestros indefessos labores terra marique ob defensionem et propagationem fidei Catholicae susceptos, exilii edicto audio remunerari, minime quidem dubitans hanc esse viam unice a Deo preeordinatam ad patientis gloriam et rei Catholicae incrementum. Ecclesiam enim suam quantalibet numerositate jam dilatatam humilitate, persecutione, et exilio Dominus vult crescere, et ad promissum Regnum aerumnis et calamitatibus pervenire. Doleo sane quod Ibernigena aliquis Episcopos relegaret et maxime Sedis Sanctissimae Legatum. Sed gaudeo propter vos, sciens quod tribulatio patientiam operetur, patientia autem spem, quae non confundit. D. Patricius praedixit, quod jam oculis cernimus, contentionem quippe futuram inter tenebras et lucem, sed post longum certamen lucem preevalituram prophetavit. Age igitur, dignissime praesul, accende lucernam, ne fures domum Dei effodian. Sume vires. Patere ignominias. Subi labores, et in foribus aderit consolatio. Deus enim cum his temptationibus fecit proventum. Manere (fateor) apud ingratos est molestum, sed propter nos summe necessarium. Parcat mihi sua Illustris-

sima | Dominatio quia vere non praesumptuose monendo eum, 1685
 qui me monere debet, haec scribo, sed potius gratulanter allud- v
 endo ad ea, quae in pectore vestro residere non dubito. Deus
 Opt. Max. consoletur ex abundantia misericordiae et suavitatis
 suae vestram Illustrissimam Dominationem ut ex corde optat
 et orat ille, qui sacras manus vestras deosculatur, et in perpetuum
 erit

Vestrae Illustrissimae Dominationis
 Humillimus filius et servus addictissimus
 Killconell,
 18 Nov. 1648.

Fr. Boetius Elphinensis."

(1308) Nuncium re ipsa ob injurias sibi ab Ormonistis illatas
 afflictum fuisse variae ejus litterae tunc dierum ad Cardinalem
 Panzirolum notis arcanis scriptae demonstrant. Quarum non
 nullas antea tetegi, at alias hic tangam. Itaque ad exeuntem
 Augustum : " Me (inquit) teneo Galviae pene obsessum a Clan- Reg :
 ricardo, qui eo progressus est ut tres epistolarum fasciculos, qui p. 660.
 Limerico ad me transportabantur, mihi abstulerit, et bajulum in
 carcerem conjecterit. Certus autem sum esse litteras Roma missas.
 Eminentia vestra perpendat in quem statum me redactum video.

De Decano (Firmano) a sesqui mense vivus an mortuus sit, nescio,
 quod nec litterae nec personae intercurrant. Famulorum alii
 duo mihi amanuenses nunquam Waterfordia huc transire potuer-
 unt, et jam audio decretum adversariis ut in custodiam darentur,
 quo forsan ab ipsis exprimerent ubi reliqua pecuniae (Pontificiae)
 pars servatur. Quare Duncaniam refugerunt." Et paulo
 inferius : " Deo (inquit) | gratias ago quod jam videam me esse 1686
 verum Nuncium Apostolicum cum omnibus fructibus, quos fidei ibid. p. 61
 purgandae finis parere solet." Sic ibi. Postea vero nefariis ep. eadem
 illis actis, quae superius collocavimus, ipsi missis, et suo con-
 fessario Romam destinato, eidem Cardinali ultimo Octobris 1648 Reg :
 scribens : " Audiet (inquit) Eminentia Vestra a dicto confessario pag. 672,
 angustias, ad quas redigor et redactus fui, cum haec factio me
 meis omnibus spoliarint, et mei crediti chirographa Decano
 abstulerint, qui solito arctius in custodia detinetur, nec spero
 eum mihi astitum in hac mea dissectione. Ab octo mensibus
 famulorum reliquos non vidi, et in summa, in eo sum statu, ut
 de velo, quacumque navi ventus dando cogitem cum longe
 minus mihi a mari quam a terra metuam Deo Opt. Max.
 gratias ago ob animum, quo me confortat, et vires ac sanitatem,
 cum spe futurum ut me recompensem in caelo ob molestias quas
 patior in terra." Haec Nuncius.

(1309) Nec solum Nuncius sui, sed etiam aliorum ecclesiasticorum vexationibus angebatur. Inter quos haud mediocrem hujus procellae partem sensit P. Paulus King, strictioris observantiae Franciscanus, tunc Conventus Kilkenniensis Guardianus. Qui cum Nuncii partes sequeretur, convenit cum D. Massario, Decano Firmano, tunc Kilkenniae commoranti, ut Eugenium O Nellum cum ejus exercitu Kilkenniam accirent, et ad ipsum in urbem introducendum pro virili cooperarentur. Eodemque tempore, nempe ad finem Julii, P. Paulus Episcopo Clogherensi, qui Eugenio charissimus erat, scripsit notis arcanis hoc epistolium, si Philopatro fides habenda. |

1686

“Reverendissime Domine.

v

(1310) “Breviter dico. Antrimius totus est ad obsequium Eugenii O Nelli et exercitus Ultoniensis, procurabitque omnes suos ponere statim ex parte illius. Rogat vehementissime ut veniat Eugenius O Neill et exercitus Ultoniensis sine mora versus Kilkenniam, et ne dubitent quin tota Lagenia, imo Ibernia erit in dispositione ipsorum. Oportet praevenire Ormonium, qui venturus est statim post Muskry et Browne. Vester Decanus Firmanus est hic quasi captivus. Ipse et Archiepiscopus Dubliniensis anhelant vestrum adventum. Omnia ad nutum fient cum acceleratione. Sed sine illa omnia nutabunt. Per alium bajulum mitto tibi litteras Nicolai Plunketti. Prestonus vix habet nomen exercitus, qui est omnino dispersus. Concilium Supremum et factionistae cadent, modo extemplo venerit exercitus Ultoniensis cum Eugenio O Nello.

Vester fidelis

Fr. Paulus King.”

Vind:
lib. 1. p.
132.

1687

(1311) Hoc epistolium mihi non aliter quam apud Philopatrum occurrit. Porro inter Massarium et P. Paulum convenit ut, si Eugenius in urbem insiliret,flammam in aliquam saltem levioris momenti domum injiciendam curarent, quatenus omnibus aliis in urbe circa praefocandum incendium occupatis et distractis, Kilkenniae janua etiam intrinsecus facilius interciperetur, et sic Eugenio aditus pateret. Quo fieret ut captis in urbe Consiliariis fideifragis nova Confaederatio et novus Magistratus ad Nuncii et partium ejus arbitrium erigeretur, illoque victoriae compendio Ormonistarum factio pessundaretur. Verum non modo praefatum epistolium, sed etiam cyphrarum clavis ad Concilii manus pervenit. Quo factum ut Eugenius, ubi Kilkenniam cum exercitu accessisset, nihil praestiterit. Quo autem modo cum P. Paulo processum sit, sequentia criminacionum capita

Comitiis adversus eum 29 Novembris Anglice exhibita te docebunt.

"Articuli accusationis a Jacobo Cusacko, Armiger, generali suae Majestatis intra Confaederatorum Iberniae Catholicorum jurisdictionem Advocato, exhibiti adversus Paulum King, sacerdotem et Religiosum ex S. Francisci Ordine.

(1312) " 1. Praedictum Paulum King ad 27 diem Julii hoc praesenti Domini nostri anno 1648, et regni supremi Domini nostri, Regis Caroli, 24°, cum D. Marchione Antrimiae, P. Dionisio, Decano Firmano, Emero Episcopo Clogherensi, Chiliarcho Eugenio *Rufo O Nello*, Tribuno Rogero Maguirio, Glangario, et multis aliis officialibus copiarum Ultoniensium et Legionis Scoticae Marchionis Antrimiae, tunc et nunc in praesens Confaederatorum Catholicorum Regimen jam dictum bellantibus et hostilitatem exercentibus, proditorie conspirasse et, quantum posset, tota industria elaborasse, ut in dicta eorum rebellione persisterent ac perseverarent, totisque viribus perfide operam dedisse, ut omnes alias suae Majestatis bonos subditos ex Confaederatorum Catholicorum partibus a debito ipsorum in suam Majestatem obsequio, jurata praefatis Catholicis fide, praestandaque praedicto Regimini obedientia seduceret. |

(1313) " 2. Eundem Paulum King in ejusdem rei testimonium 1687 suis proditoriois instantiis et seriis monitionibus id assecutum v fuisse, ut idem Marchio Antrimiae et Glangarius, aliqui ejus officiales, et legio Scotica adversus suam Majestatem et praesens jam dictorum Catholicorum Regimen perfide bellarint atque armis insurrexerint, unaque fideles suae Majestatis subditos, eosdemque Confaederatos Catholicos, hostilem rebellemque in modum, armati spoliarint, diruerint, et devastarint ad mensem Augustum proxime secutum eodem anno, contra ac ejus obsequium in Principem, ejusque professio, et associationis atque unionis juramentum postularet.

(1314) " 3. Eundem Paulum King ad 29^m Julii jam dicti spopondisse atque in se recepisse futurum ut Marchio Antrimiae, omnesque ejus jam dicti milites ex ejusdem Eugenii *Rufo O Nelli* partibus starent, et pro praefato ejus exercitu Ultonensi facerent, atque ad ejus nutum ambularent, eodemque Eugenio *Rufo*, praefatoque ejus exercitu tunc et nunc aperte rebellante, inque suam Majestatem, Coronam, et dignitatem militante, et armorum cessationi ab iisdem Catholicis cum Insequiniae Barone celebrae nec non praesenti Regimini se opponente.

(1315) " 4. Eundem P. Paulum King ad 29m Julii jam dicti praefatum Eugenium *Rufum* et praedictum ejus exercitum serio sollicitasse, et frequentibus litteris, nec non inquietis nuntiis institisse, ut ad urbem Kilkennensem festinarent, eam interciperent, et hostilem in modum diriperent ac depraedarentur, ejusque cives caperent et gladio delerent, eamdemque civitatem, ejusque castrum possiderent; proditorie quoque eidem Episcopo Clogherensi et praefato Eugenio *Rufo*, ejusque in ea proditione complicibus asseverasse, fore | ut brevi post occupatam (ut praedictum est) eamdem urbem, tota non solum Lisia sed etiam Ibernia per vim scilicet et expugnationem potirentur, omniaque in eo negotio ad eorum votum succederent, modo Kilkenniam properarent, sin autem, et cunctarentur, omnia in praeceps deferrentur. Denique plures alias illis fecisse perfidas protestationes et exhortationes ad animandum eundem Eugenium atque ejus copias, quatenus ad praefatam Kilkenniae civitatem citra moram accelerarent et praedictam proditionem, concilium, et caeptum exequerentur.

(1316) " 5. Eundem Paulum King ultimo Augusto examinatum in fide sacerdotis falsissime, sacrilege, et perfide negasse, ullum praedicti Eugenii *Rufi* concilium insiliendi in urbem Kilkennensem sibi innotuisse, vel se conscientia aut complice praedictum Eugenium ulla tenus fuisse invitatum ad veniendum versus dictam civitatem, vel ad praejudicandum Concilio Supremo, urbi, aut territorio, aut se quidquam unquam in eorum dispendium cogitasse, cum tamen momento post ipsissima die visis litteris et notis arcanis ad easdem proditiones atque accusationes pertinentibus, litteras et notas arcanae (quod iis, quae antea juraverat, ex diametro oppositum fuit) a se ipso subscriptas fuisse agnoverit, et tunc circa ea, quae illae suae litterae et notae secretae significarent, subjunxerit et proditorie protestatus sit, Turcam a se, si eum magis idoneum judicasset, praeferendum ad illam expeditionem, scilicet ad diripiendam urbem Kilkennensem, et ad trucidandos ejus cives sub specioso praetextu religionis propagandae per dicti Eugenii *Rufi* et Ultoniensium, ejus sectatorum, invasionem, qui spoliant, populanturque.

(1317) " Per quae omnia idem Paulus King proditorie in | id animum intendit, ut Regis subditorum corda a sua Majestate alienaret, eosque inter se committeret, anteque alia multos ex Faederatis Catholicis a praesenti regimine, dictaque armorum cessatione, nec non ab eorum unione, in ipsorum juramenti associationis et fidei publicae violationem, separaret, parique

modo Confaederatos Catholicos dissiparet, et vires ac partes rebelles nunc suae Majestati, praefatorum Catholicorum Regimini, Regnique paci et tranquillitati oppositas atque ex adverso armatas promoveret ac roboret, ea mente, ut illa ratione haec nationis Regnum, et praesertim fideles beneque affectae hujus nationis partes everterentur et destruerentur, bellumque semper et rebellio intra hoc Regnum continuaretur. Quas ob causas suae Majestatis Advocatus Generalis ex suae Majestatis, Reipublicae, atque hujus Regni, nationisque parte, eundem Paulum King accusat Laesae Majestatis in supremum Dominum nostrum, Regem, ejus coronam, et dignitatem. Advocatus etiam Regius cuiuscumque alterius accusationis vel insimulationis quovis tempore adversus dictum Paulum King exhibenda, et ad responsa, quibus ille praefatos articulos, vel eorum quemvis diluere conatus fuerit, replicandi, praefataque vel eorum quodlibet in ulla alia insimulatione vel accusatione ad curiae Parliamentariae praxim, vel sicut honorabilis ejus causidicus requisierit, intendenda probandi potestatem per protestationem sibi reservans, rogit ut idem Paulus King ad omnia et singula ex praedictis respondere cogatur, quatenus eorum singula iis processibus, examinibus, explorationibus, et judiciis, quae ad legem et justitiam quadrant, agitentur et diffiniantur.

Kilkenniae,

29 Novembris 1648.

Jacobus Cusackus."

"Copia vera extract. per Philippum Kearneum." |

(1818) Statutum fuit ad hunc libellum supplicem ut P. 1689
Paulus in judicium vocaretur, et ad haec tanquam laesae
Majestatis capita responderet. Actum illud ex Anglo hic
habe :

(1819) "Sancitum est ut Paulus King, sacerdos et religiosus
ex S. Francisci Ordine, ad prodictionis accusationem in se a
Jacobo Cusacko, Armigero, suae Majestatis Advocato generali,
exhibitam mox respondeat.

Ext. per Philippum Kearneum."

(1820) Paulus autem se purgaturus scriptum sequens dedit :

"Responsiones R. Patris Fr. Pauli King, S. Theo-
logiae Lectoris et Praesidis Conventus S.
Francisci Kilkenniae ad articulos illi objectos
per D. Jacobum Cusackum Procuratorem
Regni.

(1321) " Primus articulus multa dicit sed nihil probat. Accusatus ergo negat se uspiam, ullibi, aut cum ulla conspirasse aut conjurasse in Regem, Regnum aut religionem, quin potius intendisse, proposuisse, et procurasse quae sibi videbantur cedere ad majorem Dei gloriam, Ecclesiae exaltationem, haeresis extirpationem, Catholicorum reputationem, Confaederatorum unionem, Regis, Regni, et religionis restitutionem, restaurationem, et conservationem.

(1322) " 2us Articulus, qui assumitur ut probatio prioris, nullam enucleat veritatem. Accusatus igitur negat se locutum fuisse Marchioni de Antrim, ex quo venit in Iberniam sua Excellentia, vel in tota sua vita, nisi semel, praesente D. Richardo Everardo et aliis nobilibus. Non scripsit illi aut ulli mortalium a prima die Augusti, qua traditus est in arctam custodiam, usque in praesentem, nec ullum antea vel | post commercium v vel correspondentiam cum illo aut cum Glangario habuit, et (quod magis mireris) nec hunc, nec ullum suorum officialium ab aeterno novit.

(1323) " 3us Articulus pendet ex dictis et dicendis.

(1324) " 4us Articulus totus opertus est falsitate. Accusatus proinde negat se misisse frequentes litteras et ementitos tabellarios ad personas in hoc articulo nominatas, et multo minus eas provocasse ad depraedandam et depopulandam istam civitatem. Delatus est quidem et alia vice coram majori Regni Concilio, mense Junii proxime elapsi, quod introduxerit diversa arma in usum adversariorum, et quod renuerit admittere excubidores ad maenia. Verum compertum est fabulam fuisse et rabularum figmentum. Nam ne unus quidem gladiolus repertus est in toto conventu, et accusatus probavit se non solum recepisse milites praesidiarios, sed et serio rogasse Walterum Archer, praefectum militiae et alios, ut quos, quot, quando, et quomodo necessarios ducerent, introducerent, spondens praeterea se suosque omnes, urgente necessitate, usque ad internectionem acturos in muro contra invasores quoscumque. Unde colligitur manifeste, accusatum defensionem et non pruditionem Kilkenniae voluisse, velleque meditari et moliri.

(1325) " 5us Articulus agit de crimine pessimo. Accusatus autem negat se perjurium aut sacrilegium commisisse in illo examine, sed respondisse recte ad proposita, prout ea percepit. Interrogatus enim 1° fueritne in stratagemmata ad introducendum in hanc urbem D. Eugenium O Neill ? respondit negative,

cogitans de machina vulgo *Blacke plott*, quae tunc circumferebatur. Sed si intelligatur de quocumque consimili dolo, vera | erat ejus responsio. Interrogatus deinde an invitaverit eundem 1690 Eugenium ad dictam civitatem? Respondit se non invitasse nisi communi modo, dicens, si veniret, hoc vel illud efficeret, per hoc intendens semper excludere machinationem ut supra. Quod si aliter a partibus est apprehensum, certum est non intellexisse invicem. Caeterum ut accusatus suam ostenderet indifferentiam, seque nulla praepostera propensione aut caeca affectione ferri in D. Eugenium, dixit se velle praeferre, utique D. Eugenio, Turcam, si sciret quod ipse praemoveret obsequium Dei, religionis commodum, et Reipublicae bonum. Et mirum est quod vitio vertatur accusato id quod in ore alterius esset eximiae virtutis indicium. Desiderabat fortassis et dicebat res fore in dispositione Eugenii, non ut aliena raperet, conquisita repeteret, aut liberos subjugaret, sed ut Praelatorum pia placita promoveret, haereticorum vires enervaret, Confaederatorum corda reuniret, dissidium tolleret, gubernium roboraret. Quae omnia illum fecisse in consimili occasione constat. Ad haec collimavit accusatus cuncta quae intendit, egit, anhelavit. In quibus si defecit vel excessit, error fuit in intellectu et non pravitas in voluntate. Hinc patet vera et genuina explicatio, interpretatio et glossa mentis, verborum, et litterarum accusati, et clarum est extorta esse in contrarium allata. Plura fusius quando et ubi, etiam in Assemblea, opus, opportunum, et expediens fuerit, pro sua justificatione et vindicatione famae jam sparsim per clancularios susurrones et effrontes sycophantas traductae, referet. Interea haec hac lingua, hoc stylo | et ordine 1690 scribit et respondet, sciens se non teneri ad apices Juris Canonici, v et multo minus civilis, atque protestans de immunitate ecclesiastica asserit se haec exhibere pro recuperatione sua reputationis, quae dictis denigrata videbatur vergere in dedecus status ecclesiastici et detrimentum Ordinis sui et conventus S. Francisci Kilkenniae, in quo haec dedit 1^o Decembris 1648." Hactenus P. Paulus.

(1326) Quo modo etiam totus Pauli conventus ab Ormonistis male multatus fuerit, te docebit sequens Pauli pseudo-Concilio Supremo exhibita supplicatio.

" Illustrissimis Dominis Consiliariis Supremi Concilii Confaederatorum Catholicorum Iberniae pro Patribus Franciscanis civitatis Kilkenniae.

(1327) "Illustrissimi Domini. Nemo vestrum ignorat peculium nostrum et patrimonium esse piorum eleemosynas; ac consequenter hac (*sic*) privatos perire. Ad extrema ergo deducimur, dum detinemur intra septa hujus civitatis, fraudati rurali subsidio. Exeentes apprehendunt in januis insolentes milites, atque vi nos retrocedere cogunt, coercent, deterrent. Ad haec nocte dieque sub specie vigilum, nostrum occupant hortum, sed revera totum consumunt et devastant, conculcantes immatuos ramos, quae nobis et annum condimentum et alimentum praecipuum praestare solent. Miramur cur tam irreverenter et crudeliter tractemur et agitemur. Sed magis dolemus haec omnia permitti in oculis vestris, in hisce temporibus, et in hac 1691 urbe Kilkenniae, cum tamen interea nullo nos | videant maculari crimine, de nullo nos possint accusare scelere, nisi quod divinis et ecclesiasticis adhaereamus mandatis, quod vobis praestemur rationabile obsequium, quod reliquis fidelibus sedulo inserviamus, nemini dantes ullam offensionem. Quocirca rogamus vestras Illustrissimas Dominationes haec altius considerare, eisque tempestivum remedium providere dignentur, ne forte dicant in gentibus, *durius jam agi inter Confaederatos Catholicos cum viris Religiosis, quam cum meris haereticis*, et adjiciant *haec esse tempora collabentis, non surgentis Ecclesiae*, cogamurque nos ad divinam recurrere justitiam, destituti humana, licet libentius et liberius propitium vobis numen exorare cupiamus, quod et facimus assidue." Haec Paulus.

(1328) Ad Paulum missus est D. Patricius Brianus, Concilii Supremi albo ascriptus, qui inter alia ipsi objecit, quod haec non Anglice sed Latine exaraverit. Porro his omnibus, quae retulimus, non obstantibus, Paulus secundum non nullos Nuncii fautores in molitionis cum Concilio adversus Nuncium occultissime fotae suspicionem venit, quasi in tota hac scena praeclarum simulandi dissimulandique egerit artificem, et Massario atque aliis integerim Nuncii, partiumque ejus fautoribus tam egregie imposuerit, ut abditissima eorum arcana abditiore fuco aperuerit, proindeque id effecerit, ut Eugenius O Nellus uno illo stratagemmate plenum causae Catholicae triumphum non confecerit. Suspicionem auxit, quod ipsa notarum arcanarum clavis, quae penes Paulum esset, Concilio prodita fuerit, eaque litteras illas a Paulo non suo solius, sed et aliorum, qui ipso tanquam instrumento utebantur, 1691 nomine missas in apices communes | ressolverint. Verum Paulus v se Massario atque aliis de hac suspicione purgaturus affirmavit se

clavem illam in occultissimum sui conventus foramen abdidisse, nec ita quin Lynchaeus aliquis explorator effodiendo invenerit et Concilio communicarit. Crevit tamen suspicio, ubi innotuisset in Paulum nec a Concilio nec a Comitiis fuisse animadversum, sed urbem illi demum ita decretam in custodiam, ut facili negotio dilabi posset, reque ipsa se proripuerit. Paulum ego non condemnō, imo in plenissima innocentiae possessione relinquō. Suspicionem enim ita trado, ut lectori in memoriam revocem saepissime falli et fallere suspiciosos. Sane Paulus postea (sicut videbimus) a Philopatro, Ormonistarum apologista, hostili atque aculeato calamo exagitatus est, et a Nuncio ejusque fautoribus tanti etiam Romae habitus, ut illam demum suspicionem sprevisse videantur.

(1329) Ad ipsum D. Dionisium Massarium, Decanum Firmanum, jam redeo. Ille mense Maio a Nuncio Kilkenniae relictus spinosorem cum Concilio, deindeque cum Comitiis habuit collationem, duas potissimum ob causas, quas ut sibi mutuo intexam, narrationis ordo postulat. Vidimus Nuncii fregatam S. Petro nuncupatam 20 Novembris 1647 in Oceano Gallico expugnasse navem, quae cum mercibus pretiosissimis centena circiter scutorum millia valeret, praeter pecuniam numeratam, quadraginta circiter scutorum millia. Rem numariam Ludovicus Gedeon, fregatae victricis Capitaneus, in praefatam S. Petri fregatam transtulit, sed navem expugnatam contentasque in ea merces pene totas post victoriam jam partam procella perdidit. Ludovico autem cum sua celoce victoriosa et praeda pecunaria Rupellam digresso, | Gubernator Rupellensis in rem numariam, exceptis octo circiter scutorum millibus, quae praefatae fregatae suae milites, nautae, et viatores maritimi diripuerant, involavit, contendens pecuniam ad Hispanos, Galliae tunc hostes, pertinuisse, proindeque Fisco Gallico adjiciendam, cum bellum Faederatis Iberniae Catholicis et Nuncio cum Hispano non intercederet, atque adeo nullum capienda pecuniae Hispanicae titulum praeferendere valerent. Verum Massarius, tunc Roma per Galliam in Iberniam rediens, causa Rupellae diligenter discussa, Nuncio in Iberniam iisdem diebus scripsit, navem illam captam fuisse Anglicanam, et Ibernis hostilem, vexillum Anglicum ostentasse, publica Doverensem, qui Angli atque in Anglia positi rebelli Parlamento Anglicano adhaererent, fide ivisse rediisseque, et Angliae portum Doverensem petiisse, licet ex Biscaia solverit. Massarius hanc item, quam Nuncius Gallicanus in Regis Christianissimi aula pro-

1692

sequebatur, in Gallia ita pendentem reliquit, ut ante regressum in Iberniā clanculum a praefato Gubernatore Rupellensi illius praedae pecuniariae partem acceperit. Nuncius autem post Massarii redditum hoc anno 1648 in Iberniā, notis arcanis

Reg:
p. 592.

Cardinali Panzirolo 6° Aprilis 1648 scribens: "Ubi (inquit) audivi illorum Ministrorum, qui omnia munera publica venalia habent, avaritia effectum esse ut praeda in Gallia detenta fuerit, vellem potius quod Decanus ne illam quidem ejus partem, quam a Rupellae Gubernatore clanculum obtinuit, accepisset. Nam Iberni, qui in fregata victoriosa se tenebant, prae odio (credo) in ejusdem Capitaneum, Regis Hispaniae Oratori hic residenti supposuerunt praedam pecuniariam destinatam fuisse *Ostendam* in Belgium." Haec Nuncius. Quanta autem fuerit |

1692

haec illius praedae pars Massario tunc Rupellae concessa, sicut superius tetigi, hic breviter repeto me vix dubitare quin fuerint

v

10051 librae Turonenses. Nam Nuncii tabulæ accepti et expensi hanc summam ex praeda concessam fuisse habent, nulla facta temporis, quo concessa esset, mentione. Nihil autem ante

scriptas saltem illas tabulas nisi hac vice Massario Rupellae concessum fuisse pene certum duco. Ante vero Massarii redditum in Iberniā Iberni (credo), qui in Nuncii fregata inter conflictum se tenerent, in Iberniā reversi Concilio Supremo, a quo eadem

Nuncio 25 Januarii 1648 scripta sunt, retulerant inter alia Ludovicum Gedeon, praefatae fregatae sub Nuncio ducem, natione Gallum, id effecisse ut Gubernatoris Antuerpiæ cum aliquot aliis Hispanis in navi capta Belgium ex Hispania petentis chartae Regis Christianissimi Concilio apud Galliam innotuerint. Quod facinus bello tunc inter Hispanum et Gallum, praesertim ad

Flandriæ et Franciæ confinia, calente, expeditionibus ibi a Rege Catholico suscipiendis forsan nocere poterat in pacis, quam cum utraque Corona Confaederati foverent, praejudicium. Postea vero Massario post praedae jam dictæ partem a Rupellae Guber-

natore obtentam in Iberniā reverso, et lite apud Galliam inter Nuncium Galliarum et dictum Gubernatorem ad Concilii Regii Tribunal circa principalem praedae summam, quam Gubernator

penes se habebat, pendente, D. Didacus de La Torre, Regis Hispaniarum apud Confaederatos Iberniae Catholicos Orator, primo cum Nuncio et Massario, deindeque cum ipso Concilio Supremo egit, et litem intendit ut pecunia, tanquam ad Regem Catholicum

1693

spectans, | restitueretur, quam a sua Majestate ex S. Sebastiani portu in exercitus sui apud Belgium bellantis stipendia missam asseverabat. Concilio Supremo jam circa inducias diviso,

pseudo-Concilium Nuncio Kilkennia Mariamburgum ad Eugenium O Nellum profecto rem significaverat, et ille respondit his verbis :

(1330) "Ex quo Dominationes vestrae Illustrissimae miserunt ad me petitionem D. Didaci de La Torre super negotio praedae, censui non esse ex utilitate aut fidei Catholicae aut Regni, ut nos Ministri tantorum Principum, ostenderemus mutuam dissensionem, ex qua eorundem Principum praejudicium provenire posset, et multa bona impediri in profectum fidei Catholicae (tendentia). Quocirca scripsi Sanctitati Suae ut melius ipsa cum serenissimo Rege Catholico tractare possit rem hanc, et facile sine dubio convenire. Nunc cum audiam Dominationes vestras Illustrissimas cogitasse de *arrestanda* fregata S. Petri, cuius mora plurimum officere potest necessitatibus Regni, easdem precor ut memores navem esse Sanctitatis Suae, nolint in contemptum Patris erga illas tam benevoli hoc attentare, sed (prout dixi) ad eosdem Principes negotium totum remittere, in quo et prudentiae et respectus laudem sine dubio consequentur. Illis manus deosculor.

Kilmensi, Addictissimus servus

21 Maii 1648. Joannes Baptista, Archiepiscopus Firmanus."

(1331) Die ejusdem mensis 23 Concilium denuo super eadem re Nuncio scripsit, rogans ut per Procuratorem in foro causam suam defenderet. Ille vero 25 Maii eodem pene modo respondit, sicut in ambarum partium litteris longe plura alio spectantia continentibus superius legeris.

1693
v

(1332) Interea induciis 20 Maii contractis et 22 Kilkenniae promulgatis, et decretis, quae superius in medium produximus, a Massario per Nuncium delegato in inducias et induciantes ad Kilkenniae valvas affixis et 27 Maii censuris a Nuncio Kilmensi fulminatis, deindeque 29 Maii Kilkenniae promulgatis, aliquis deinde ortis discordiis Concilium metuens, ne Massarius Kilkenniae manserit, ut multis modis Nuncii fautorumque ibi et in vicinia causam occulte promoveret, rogavit, ut exinde discederet. Ille vero internuncio per Concilium ad se destinato respondit, se non crediturum, donec id eorum mandatum scriptum videret, deindeque etiam scripto respondit his verbis :

" Die . . . Junii 1648.

(1333) "Cum mihi infrascripto factum sit praeceptum ex parte DD. Consiliariorum Supremorum discedendi ab hac civitate Kilkenniae, in qua commoror pro actuali servitio Illustrissimi ac Reverendissimi D. Nuncii Apostolici et pro satis-

faciendo muneri meo, videlicet Auditoratus generalis hujus Nunciaturae ; me omnibus et singulis has visuris, lectruris, seu audituris declaro, et notum facio quod cum hic sim de mandato mei superioris directi, veri, et legitimi, non possum ullo modo discedere sine ejusdem speciali ordine, et ipso consulto. Unde supradicto pracepto non obstante, tempus et commoditatem peto ad dictum Illustrissimum Nuncium et meum Dominum certiorandum, protestans etc. quod aliter discedere non possum, nec debo. In quorum fidem &c. Datum ut supra &c.

Dionisius Massarius Decanus Firmanus
et Auditor generalis." |

1694 (1334) Nuncio satis cito innotuit, rogatum fuisse Massarium ut Kilkennia discederet. Nam 13 et 16 Junii rem notis secretis Cardinali Panzirolo significavit. Nec tamen video eum Massario, quam ille se expectasse affirmaverat, Kilkennia discedendi fecisse potestatem, fidemque habet Massarium a Nuncio tantum in mandatis habuisse, ut rem Catholicam pro sua prudentia Kilkenniae inter eas discordias promoturus, ibi pedem figeret, donec abire cogeretur. Inter has rerum circumstantias Didacus de La Torre praefatam praedae pecuniariae causam apud Concilium pressit, Massario semper respondente praedam ad hostes Anglicanos pertinuisse, et Concilio Massarium urgente, ut se saltem per procuratorem defenderet, cum ipse captae praedae tempore Nuncii fregatis in Gallia praefuerit ; praefatam S. Petri fregatam victricem in Gallia Armorica iterum pretio numario compararit ; annonae, armis, nautis, militibus, et duce jam dicto instruxerit ; eamque ante se ex Britannia minore, inter quam navigationem praeda capta fuit, Rupellam direxerit, ignorante citra dubium Concilio praedae partem ipsi concessam fuisse, et eodem tempore, quo haec in Ibernia agitarentur, Nuncium Galliarum contendisse ut Iberniae Nuncio tota praeda a Rupellae Gubernatore restitueretur. Massarius autem quo pacto in Ibernia Concilio responderit, aliaque huc spectantia discas ex hac ejusdem Concilii ad Iberniae Nuncium epistola :

" Illustrissime ac Reverendissime Domine.

(1335) " Quandoquidem Dominus Decanus Firmanus in negotio coram nobis pendente et controverso inter Illustrissimam Dominationem vestram et Catholicae suae Majestatis *Residentem* circa praedam | in mari captam, protestatus est se nullo modo subjecturum judicio Supremi Concilii aliquod interesse Illustrissimae Dominationi vestrae, commodum visum est Illus-

trissimam Dominationem vestram certiorem reddere quod, legibus hujus patriae ita jubentibus, non possumus ultro differre justitiam, et nisi intra decem dies jus suum, siquod habet in illa praeda, prosequatur, sententiam prolaturi sumus, eo magis quod partes agit et se, responso dato, nostro subjecit judicio, praedamque illam dicit se cepisse (prout in illo responso patet) Commissione nostra vulgo dicta *Letters of Martt* (ut suggesterit) habita. Illustrissimae Dominationis vestrae manus deosculamur.

Kilkenniae, Illustrissimae Dominationis Vestrae

19 die Junii 1648. Addictissimi servi :

Athunry. Dunboyne. Lucas Dillon. Rob.
Linch. Richardus Bellings. Gerald Fennell.
P. Brian. Robert Devereux."

(1336) Nuncius ad hanc pseudo-Concilii contumacis et in Ecclesiam debacchantis epistolam respondere dignatus est. Didaco autem de La Torre apud Kilkenniam residenti 25 Junii 1648 scripsit Italice quae hic sequuntur :

(1337) "Cum sit omnibus notorium quo pacto Consiliarii, qui istic remansere, meam et personam et quam a Sua Sanctitate teneo, autoritatem tractant, audire non potui sine magna admiratione, quod Illustrissima Dominatio vestra, Regis tam justi Minister, in suis praetensionibus cuiusdam praedae, cuius ego solum nomen novi, eorum judicio contra me uti velit, hoc tempore quo ipsi me modis omnibus, quibus me defendere queam, privandum procurant. Porro sicut I protestor quod in ejusmodi circumstantiis nunquam ipsi adversari vellem, meque alias ipsius Summi Pontificis integritati injuriam illaturum judicare, ita Dominationem vestram Illustrissimam velut quae Principi in eodem sanctos fines, quos Sedes Apostolica sibi proponit, collineanti obsequitur, pari modo in processuram spero. Illustrissima Dominatio vestra sibi non persuadeat aulas sine gravi consideratione laturas, quod ad eos, qui inter alias calumnias, quas in me spargunt, me id moliri ut hoc Regnum in suae Majestatis Catholicae manus incidat, dicere non erubescunt, recursum habeat, et turbidis adeo temporibus ambo ob ejusmodi interesse affectu videamus separati, cum ob graviores Catholicae religionis considerationes deberemus esse conjunctissimi, et, ne iis, qui nostras discordias sibi in triumphi basim sternunt, laetandi occasionem pareremus, contestationes in aliud tempus differre, vel permittere ut ipsa Sua Sanctitas et Rex Catholicus

Nuncii et Oratoris opera totam controversiam dirimant, sicut
 jam Suae Beatitudini diebus praeteritis scribere caepi. Ego ad
 Consiliariorum, qui in jurisdictionem Apostolicam contumaces
 sunt, et censuras a se susque deque habendas declarant, epistolam
 respondere non debedo. Quare quicquid ipsis significarem, id
 per has meas litteras Illustrissimae Dominationi vestrae dico,
 nempe me res ad Suam Sanctitatem pertinentes eorum foro
 neutiquam subjicere velle, et hodie ob publicas iniquitates, quas
 in me exercent, allegare, omnes mihi esse suspectos non solum in
 1695 hoc judicio, sed etiam in omnibus aliis litigiis, quae | nasci
 v possent. Porro si Illustrissima Dominatio vestra de mea integri-
 tate et modo, quo Suae Sanctitati et Majestati inter se bene
 convenit, ita diffidat, ut alicui a praedictis Consiliariis ferendae
 sententiae insistere vel eam acceptare velit, ipsi ingenue pro-
 testor, me, quibus potero, viis omnibus efficacissimam adhibi-
 turum diligentiam apud suam Majestatem Catholicam, et pro-
 curaturum ut etiam ipsa Sua Sanctitas pari modo elaboret,
 quatenus occurratur. Quamobrem rogo ut hanc meam episto-
 lam, cuius apographum penes me servatur, custodiat, quo semper
 testatum sit me ejusmodi judicium recusasse, et ipsi ostendisse,
 quot modis et quo tempore magis opportuno haec contestatio
 extricari posset, absque boni jam communis praejudicio." Haec
 Nuncius.

(1338) Respondit autem Didacus litteris Hispanicis propria
 manu scriptis, quas ex autographo Latine verto :
 " Illustrissime Domine

" Illustrissimae Dominationis vestrae epistola 25° Junii data
 eo me impellit, ut breviter in mentem revocem quae intervenere
 in lite inter nos pendente super pyratica, quam S. Petri fregata ad
 Illustrissimam Dominationem vestram spectans in mari exer-
 cuerat circa bona ad Dominum meum, Regem, ejusque subditos
 pertinentia. Ad Decembris proxime praeteriti finem per notitiam
 1696 ex Gallia haustam hic nunciatum fuit, dictam S. Petri frega-
 tam, | quae ad Illustrissimam Dominationem vestram pertinet,
 praedatam fuisse in Oceano quandam navem, quae *Cygnus*
 vocatur, quaeque ex S. Sebastiani portu cum certa pecuniarum
 summa atque aliis mercibus per Domini mei, Regis, negotiatores
 in Hispania ad eos, cum quibus in Belgio commercia foverent,
 destinatis navigabat. Quamvis autem ista fuerit notitiae sub-
 stantia, adeo tamen confuse innotuit ut nullum potuerit veritatis
 facti firmum haberi fundamentum. Recurri ergo ipse omni
 cum fiducia ad Illustrissimam Dominationem vestram, quo rei

evidentiam ipsi a suo Decano tunc in Galliis commorante significatam mihi communicaret. Verum Illustrissima Dominatio vestra semper mihi respondit, ejus litteras defecisse, et solum eadem confusione, qua ego acceperam, se intellexisse dictam S. Petri fregatam ita prospere successisse, ut S. Maclovio Rupellam navigans opulentam praedam ceperit, idque, si verum, hujus Regni indigentii sublevandis valde fore opportunum. Illustrissimae Dominationi vestrae respondi, praedam, si illius conditionis, quae percrebuerat, esset, et bona ad Dominum meum, Regem, ejusque subditos pertinerent, non detinendam sed restituendam. Ad quae Dominatio vestra Illustrissima responderet dignata est, futurum, ut eo casu, aut modo Hispaniae vel tantilli interesset, absque ullo dubio restitueretur, ipseque causae judex constituerer. Tunc Illustrissima Dominatio vestra Waterfordiam profecta est, qua ad ipsissimum tempus appulit ex Gallia D. Jacobus Prestonus, Castrametator, a quo juxta ac ab aliis, qui una navigando advenerant, | didicimus captas a 1696
praefata S. Petri fregata pecunias ad Dominum meum Regem v
pertinuisse, et in Flandriam fuisse destinatas, quo copiis ibi militantibus de sumptibus, qui pro more transmittuntur, provideretur. Itaque in votis habui, et apud Illustrissimam Dominationem vestram litteris 7° Martii datis institi, ut dignaretur mihi notum facere, quicquid dictus Decanus ipsi de successu et praedicta praeda significasset. Die autem octavo respondit Illustrissima Dominatione vestra in epistolarum omnium, quas a Decano accepisset, nulla fuisse, ne verbum quidem unicum, ex quo colligi posset quantulamcumque illius praedae partem ad Hispaniam spectasse. Secus autem, et si ad dictum Regnum ullatenus pertineret, Dominationem vestram Illustrissimam adeo fuisse paratam ad satisfaciendum, ut ante alios meo ipsius judicio libenter staretur. Eodem tempore Illustrissima Dominatione vestra ad recolligendas suas fregatas, quae in horas singulas expectabantur, Duncananiam se transtulit, et ego dictam Illustrissimae Dominationis vestrae epistolam, unaque tantum hora interjecta fasciculum a sua Celsitudine, Serenissimo D. Archiduce Leopoldo missum recepi, quo declarans totum rei successum, et significans capta bona jam dicta fuisse suae Majestatis, et quantopere per rem illam steterit, quominus exercitui in Flandria prospectum sit, mihi mandaverat, ut hic reclamarem, et promptam atque expeditam exigere satisfactionem, cum bona illa nec diripi, nec ullo jure retineri potuerint. Illustrissimae Dominationi vestrae per litteras decimo ejusdem mensis Martii a me

scriptas dictum mandatum communicavi, et cum tunc nullum
 1697 superesset dubium, quin bona illa ad suam | Majestatem pertinerent, supplicavi quatenus de satisfaciendi modo statuere dignaretur. 13° ejusdem mensis Illustrissima Dominatio vestra mihi respondit Decanum ex Gallia advenisse, et primum, de quo cum ipso egerit, negotium fuisse illam praedam, parique modo ipsum ante omnia ad me venturum, quo totum mihi rei successum recenseret. Hac spe fretus in singulos dies eum praestolabar, sed usque ad 29^m accedere distulit. Interea cum hic a Supremo Concilio sententiam non obtinerem (quam etiam usque in diem hanc consequi non potui) Illustrissima Dominatio vestra totam pecuniam fregatis allatam seposuit, et in loco tuto collocavit. Ut autem cum Decano tertia post ejus in hanc civitatem adventum die de hoc negotio egeram, et ubi mandatum mihi a serenissimo Domino Archiduce missum, quo capta bona ad suam Majestatem spectasse constabat, ipsi ostenderam, respondit bona ad Anglos pertinuisse, proindeque praedam fuisse legitime captam, suamque Celsitudinem illi mandato manum apposuisse interventu alicujus Ministri a mercatoribus, quorum interesset, constuprati sperantibus futurum ut ea ratione sua bona recuperarent. Porro alias deinde secutas ineptias Illustrissimae Dominationi vestrae referre omitto ex modestia, ad quas bono modo respondi, et aliter me gessissem, nisi observantia cultus, quo statum ecclesiasticum et sacros ordines prosequabar, me continuisset.

(1339) "Haec, quam Illustrissima Dominatio vestra cum suo Decano mihi miserat, fuit satisfactio, cum juxta tot factas verbo et scripto pollicitationes persuasum habuissem, venisse, quo rem nummariam et bona mari capta mihi restitueret,
 1697 postquam per suae Celsitudinis epistolam | satis compertum esset
 v praefatam pecuniam et bona ad Dominum meum Regem, ejusque subditos spectasse, et Regio ejus mandato in Belgium fuisse destinata. Cum ergo nulla alia recuperandorum bonorum jam dictorum superesset via, necesse fuit recurrere ad justitiae tribunalia, in quibus Illustrissima Dominatio vestra in responsione ad meum libellum supplicem confessa est praedam mari a sua S. Petri fregata captam fuisse juxta factam hujus Regni diplomaticae potestatem, quamvis postea subterfugiis male fundatis hujus Concilii Supremi judicium et sententiam sibi detrectandam causata sit, cum verae et constantes probationes meae redarguissent malitiam et excessus in mari per dictam fregatam patratos, violando hujus Regni litteras patentes solum ad bellandum cum hostibus concessas, si tamen eas dicta fregata tunc

habuit, quod, cum non exhibeantur, dubitari potest, sicut de facto Concilium in dubium vocat. Hoc autem casu aperta et manifesta est pyratica, cuius Dominus meus, Rex, iteratis mandatis mihi praescribit ut promptam in hoc Regno exigam satisfactionem. Porro sicut Illustrissima Dominatio vestra me justi adeo Regis Ministrum hanc causam prosequi admiratur, ita magis mihi admirandum est, omnesque orbis universi aulae pariter stupebunt quod Illustrissima Dominatio vestra, Suae Sanctitatis, cuius bonae actiones nobis imitandae sunt, Minister, ista bona vel uno momento retinere praetendat, et non potius legitimo domino redhibenda atque in aliorum exemplum reos illico puniendos curet, sed rem tantopere a tramite aberrantem proponat, ut scilicet Romam ad causam civilem et saecularem, qualis ista est, dirimendam recurratur, cuius judicium ad hoc Concilium | Supremum in suis dominiis spectat. Quod si 1698 pecuniae (sicut jus et justitia vera postulabat, et in omnibus mundi plagiis fieri solet) ubi in hoc Regnum allatae sunt, priusquam eas Illustrissima Dominatio vestra sibi securas fecerat, sequestro depositae fuissent, hanc controversiam paucis horis componeremus, cum credam Illustrissimam Dominationem vestram adeo esse sedulam, ut desideratam satisfactionem non deferret, idque efficeret ut tota illa pecunia et bona sua Majestati erupta restituerentur, cognito quod nec tuta conscientia, nec ullo alio titulo possint, nec debeant retineri. Sed Concilium Supremum ob quasdam considerationes, a quibus in hoc casu abstinendum esset, sententia ferenda supersederat, donec Illustrissima Dominatio vestra pecuniam in suos usus impendisset, proindeque ego jam in aere litigo, cum non videam unde vel quo pacto obtineam satisfactionem. Quare de Concilio Supremo potissimum conqueror, a quo nunquam intellexi, se tantam de Illustrissimae Dominationis vestrae studio in occasionibus, quibus Domino meo, Regi, obsequium praestari posset (quod praesenti experimento satis demonstratur) concepisse opinionem, ut dicerent Illustrissimae Dominationis vestrae actionem eo collineare, quatenus procuret ut sua Majestas in hujus Regni possessionem mittatur. Quinimo potius in diversis congressibus probe audivi, Illustrissimae Dominationis vestrae scopum fuisse, ut suam Celsitudinem, Serenissimum Magnum Ducem Etruriae, in illud introduceret, quibus eandem habui fidem, quam Illustrissima Dominatio vestra aliis discursibus ad suam (sicut dicit) notitiam delatis habere debet, cum credendum sit, utramque famam traxisse originem ab iisdem authoribus hodie observanti-

bus suum Regnum tot obnoxium esse vicissitudinibus, quas alicui fini extraordinario attribuunt. Usu autem comparatum |
1698 est, ut, qui res plus tractant, semper culpentur, et ab iis, qui
 v suam exerunt malitiam, quod magis quadrat, obtendatur. Sed
 ut redeam ad praecipuam scribendae hujus epistolae segetem,
 nempe restitutionem pecuniarum atque aliorum bonorum ab
 Illustrissimae Dominationis vestrae fregata raptorum, quorum
 sua Majestas mihi mandat ut in hoc Regno petam satisfactionem.
 Credo equidem Illustrissimam Dominationem vestram Suae
 Sanctitati et huic Regno majus obsequium exhibituram, id
 peragendo, ut dictae pecuniae mihi quamprimum numerentur,
 quam per illas sua epistola contentas protestationes, cum dubi-
 tandum non sit Summum Pontificem, velut Principem adeo
 justum, desideraturum, imo maximi beneficii loco habiturum, ut
 talis excessus tamque enormis malitia vindicetur, promptaque fiat
 satisfactio. Hoc quoque Regnum querelis ipsi, quod consuetum
 justitiae tempore debito petitae cursum distulisset, intendendis,
 et damnis eam ob causam inferendis liberabitur. Caeterum
 Illustrissimae Dominationi vestrae agere debo, sicut re ipsa
 ago, gratias immortales ob favorem, quo me dignata est pree-
 monendo ut sua epistolae, cuius exemplar penes se esse dicit,
 autographum asservem. Ego etiam eodem modo Illustrissimae
 Dominationi vestrae supplico, ut has meas litteras autographs
 dicto apographo annexendas curet, quo ambo acta juncta
 legantur, exindeque in aulis innotescat Illustrissimae Domina-
 tionis vestrae juxta ac meus procedendi modus in tanti ponderis
 negotio, in quo tantopere in id animum intendi ut Illustrissimae
 Dominationi vestrae gratificarer, sed salva semper (quae mea
 principalis obligatio et est et nunquam esse non debet) execu-
 tione mandatorum sua Majestatis et sua Celsitudinis, serenis-
 simi Domini Archiducis, Leopoldi. Servet Deus Illustrissimam |
1699 Dominationem vestram cum omni, quam ipsi appreco, faelicitate.

Illustrissimae Dominationis Vestrae
Kilkenniae,

10 Julii 1648.

D. Didacus de La Torre."

(1340) Nuncius non plus in hac causa cum Didaco profecit
 quam cum Concilio, a quo duodecima deinde die epistolam
 accepit his verbis :

" Illustrissime et Reverendissime Domine.

" Quandoquidem omni juris circumstantia adhibita, causa in-
 ter Illustrissimam Dominationem vestram et Dominum Diego de

La Torre, Catholicae suae Majestatis *Residentem*, coram nobis agitata jam ad sententiam matura sit, Illustrissimae Dominationi vestrae indicamus, diem 5^{am} in sequentis mensis Augusti statutam esse, in qua finale super illa causa judicium ferre decrevimus, ideoque indicimus Illustrissimae Dominationi vestrae, ut per procuratorem suum tunc adesse velit. Illustrissimae Dominationis vestrae manus deosculamur.

Kilkenniae,

22 die Julii 1648.

Illustrissimae Dominationis vestrae
Addictissimi servi,

Dunboyne. Lucas Dillon. Rich. Blake. Gerald Fenell.
Richard Bellings. P. Brian. John Walshe."

(1341) In hujus citationis invaliditatem allegare sufficeret non nisi quatuor ex subscriptis, nempe 2m, 4m, 5m, et 6m, fuisse Consiliarios *Residents*, cum tamen ad omnis acti validitatem requireretur ut ex duodecim Consiliariis residentibus saltem septem subscriberent. Pseudo-Concilium tamen re ipsa pro Didaco non solum in fregatae praediatricis Ducem et Massarium, sed etiam adversus Nuncium sententiam tulit, qua decretum ut Nuncius illi quina scutorum millia solveret, sicut ipse Nuncius 3^o Octobris Cardinali Panzirolo significavit. Cui etiam de eodem D. Didaco 17 Novembris scribens: "Quem (inquit) S. Ursulae fregatae | tormenta bellica, equos, et alia ad Decanum spectantia, non nulla mea sparsim explorata distractisse audio, ipsa praeterea fregata ei adjudicata, qui etiam stitit . . . scuta, quae Waterfordiae haud ita clam asservari potuerant quin detecta fuerint." Haec ibi.

Reg.
pag. 664.

(1342) Nuncius ante natas induciarum et censurarum controversias libenter ratum gratumque habuerat, ut non haec quidem Ormonica Concilii pars, sed Concilium Supremum, dum integrum esset, hanc causam discuteret. Verum orta deinde magna illa divisione, flagrantque belli civilis incendio, Concilii truncati etiam hostilis atque infensissimorum pseudo-Comitiorum judicio stare recusavit, transmissa in hunc finem non solum illa epistola ad Regis Catholici Oratorem scripta, sed etiam alia protestatione Galviae 22 Septembris data, qua etiam se causam ad Suam Sanctitatem et Regem Catholicum devolvisse declaravit. Quod et quantum posset, praestitit, scriptis per cyphras ad Cardinalem Panzirolum 3^o Augusti, 3^o Octobris, 17 Novembris, et 29 Novembris variis schedis et datis ad Illustrissimum D. Iulium Rospigliosum, tunc Archiepiscopum Tarsensem et Hispaniarum

1699
v

Reg.
pag. 676.

Nuncium Apostolicum, nunc vero S. R. E. Cardinalem, litteris, transmissaque ad eundem, quo causam apud Regem Catholicum melius ageret, totius controversiae relatione, qua dicit Didaco, ante quam ipse Kilkennia discesserat, ostensum fuisse instrumenti in navi capta reperti autographum; "quod (inquit) manifeste continet pecuniam fuisse ex S. Sebastiani portu destinatam, quo Dubrim in Angliam transportaretur." Sic Nuncius, qui postea ab Hispaniarum Nuncio litteris rogatus, ut instrumentum illud exhiberet, respondit Concilii Supremi authoritate quosdam Kilkenniae in Massarri tunc suspecti chartas involasse, interque eas hoc instrumentum sibi periisse. Reque ipsa articulorum accusationis adversus Massarium | in pseudo-Comitiis exhibitorum atque inferius ponendorum qus docet Massarri chartas hunc in modum fuisse prehensas, et eum propterea Concilio maledixisse. Denique re in Hispania Regi Catholico, Philippo 4°, ab Hispaniae Nuncio jam dicto repraesentata, idem Monarcha duas epistolas D. Didaco de La Torre scripsit, Iberniae Nuncio missas ut eas Didaco traderet, quas hic in Nuncii Iberniae purgationem ex autographis Hispanicis Latine verto :

" Rex.

(1343) " Domine Didace de La Torre, mi secretarie, Suae Sanctitatis Nuncius in hac aula residens mihi repraesentavit, controversiam, quae tibi cum Nuncio istic residente circa quandam navem a quadam Suae Sanctitatis fregata in maris Anglicani *Canale* captam, quae a S. Sebastiani portu Dubrim navigabat, intercesserat, te dicente pecuniam, quam transportabat, fuisse meam, et quod in Flandriam navigabat. Quare ab Iberniae Concilio in eum sententia lata fuit. Supplicavit autem mihi Nuncius, ut dignarer tibi praecipere ne in causa procederes, donec inter Suam Sanctitatem et me de eo, quod fieri poterit, Nota convenienter deliberatum fuerit. Cum autem hic praeter illam, quam Nuncius refert, nulla hujus rei notitia habeatur, et rationes, ob quas pecuniae per navem a Suae Sanctitatis fregata captam portatae ad me pertinuisse dicuntur, ignorentur, mihi haec et caetera circa hanc causam tibi nota mox significabis, ut omnibus visis | deliberem, sicut expedit.

v Madriti,

29 Decembris 1648.

Ego Rex.
Hieronimus de La Torre."

(1344) 2a epistola hic sequitur :

“ Rex.

“ Domine Didace de La Torre, mi secretarie, in altera epistola, quae tibi cum hac tradetur, tibi praescribitur, ut subito mihi significes quid successit circa quandam navem, quam cum pecuniis ex Hispania in Flandriam transeuntem quaedam Suae Sanctitatis fregata in maris Anglicani *Canale* ceperat. Hic autem seorsim tibi praecipiendum duxi (sicut praecipio) ut absque novo meo mandato in causa ad exitum perducenda non procedas. Ubi enim a te rei notitia recepta fuerit, componetur hic negotium sicut expedire judicabitur.

Madriti

29 Decembris 1648.

Ego Rex.

Hieronimus de La Torre.”

(1345) Hae duae litterae Nuncio in Ibernia nihil profuere, quas utique non nisi anno inferiori in Gallia recepit, tragedia (sicut videbimus) apud Iberniam absoluta. | Eas tamen hic 1701 in medium producendas duxi, cum ex ipsis colligendum videatur pecunias illas et praedam ad Regem Catholicum et ad Hispanos non pertinuisse, et Didacum secus atque in Ibernia dixerat, nullum a Rege Catholico praedae repetendae mandatum accepisse. Si enim pecunia illa ad numerandum Regis exercitui in Belgio stipendum in Flandriam destinata fuisset, et Didacus in mandatis ex Hispania missis habuisset, ut eam in Ibernia repeteret, qui fieri posset, ut praedae 20 Novembris anno 1647 captae et a Didaco in Ibernia ad ineuntem annum 1648, exindeque importunissime repetitiae nulla prorsus die ejusdem anni 1648 penultimo in aula Hispanica haberetur notitia, praeter illam, quam Hispaniae Nuncius de Didaco conquerens communicavit. Ex quibus omnibus colligendum etiam videtur Massarium Didaco Kilkeniae optime respondisse, quae in ipsius Didaci epistola ad Nuncium 10 Julii 1648 scripta et superius posita continentur. Caeterum modus, quo Didacus in Ibernia se gesserat, eo Innocentium Xnum impulit ut gravissimis litteris 23 Januarii 1649 ad Hispaniae Nuncium et ad Belgii Internuncium, nec non ad ipsum Iberniae Nuncium per notas arcanas exaratis Cardinalis Panzirolus ejus indignationem expresserit, et quam Iberniae Nuncius in hoc negotio iniverat viam approbarit, admirans quod si praeda ad Hispanum pertinuisse, nec Rex Madriti cum Hispaniarum Nuncio, nec Archidux, Leopoldus, Belgii sub Hispano Gubernator, cum

Belgii Internuncio de re tanto tempore egerit praesertim tanta ut Didacus pecuniam ad exercitum Hispanicum in Belgio sus*1701* tentandum destinatam dixerit. Porro negari non potest, | quin

^v haec infausta Didaci cum Iberniae Nuncio litigatio haud mediocre eidem Nuncio, ejusque partibus, proindeque causae Catholicae damnum pepererit, Ormonistis cum Ormonio demum appulso dissidii hujus incendium foventibus, et Didaco in instrumentum utentibus, quo Nuncii partes redderent debiliores, quibus alias Didacus in Ecclesiae et Regis Catholici obsequium non solum non obviasset, sed etiam subvenisset, et Regis nomine haud parva subsidia pecuniaria subministrasset, saltem juxta factam Eugenio O Nello pollicitationem clanculariam, de qua Nuncium notis secretis Cardinali Panzirolo 24° Decembris 1647 significasse vidimus. Nam (sicut alibi perstrinxii) is erat rerum domesticarum et externarum status, ut Ormonistae ad concludendam pacem Angliae Regi Reginaeque, atque adeo Cardinali Mazarino, status Gallici Ministro Principi, arridentem semper propenderint, Hispano in Galliam bellante, continuoque judicante, nedum Ecclesiae Ibernicae sed etiam sua ipsius magnopere interesse, ne partes in Gallum sed in se propensae apud Ibernam preevalerent.

(1346) Sententia a pseudo-Concilio circa praedam illam in Didaci favorem contra Nuncium, Massarium, et Capitaneum, Ludovicum Gedeon lata, Massarius Kilkenniae durius tractatus fuit. Nam antea a Concilio in suspicionem vocatus, proindeque pressus, ut Kilkennia discederet, cum discedere renuisset, deindeque interceptis P. Pauli Kingi litteris arcano charactere exaratis, aliisque argumentis eum re ipsa Nuncii partibus modo superius tacto occulte inserviisse compertum esset, Concilium id effecit ut domi apud Kilkenniam se teneret. Postea vero lata sententia jam dicta, Didacus de La Torre honesto semper modo arctius custodiendum curavit, ut | praedam preefatam extorqueret. Pseudo-Comitiis autem sequentia accusationum capita in eum exhibita sunt in perennem ejus laudem et Ormonistarum ignominiam, hic a me non refutanda, cum nulla prorsus refutatione egeant.

"Articuli accusationis ab Advocate Generali sua Majestatis ex parte Regis et Reipublicae adversus P. Dionisium, Decanum Firmanum, exhibiti, jubentibus Confaederatorum Catholicorum Iberniae Comitiis Generalibus."

(1347) " Dictum Decanum Firmanum sibi regalem et quae legislatorem saperet, assumpsisse potestatem, publicando suo nomine absque authoritate et hujus civitatis Kilkenniensis Ecclesiae valvis die circiter 27 Maii 1648 affigendo edictum, quo omnibus ecclesiasticis, saecularibus et laicis sub paena excommunicationis latae sententiae mandatum est, ut eorum nullus sententiam ullam aut opinionem contra declarationem ab Illustrissimo D. Nuncio et quatuor Episcopis adversum inducias conditam proferret, eorumque nemo armorum cessationem nuper a Concilio Supremo cum Insequinniae Barone conclusam justitiae aut conscientiae consonasse sustineret. Quo ille edicto Confaederatos Catholicos a praestanda iisdem induciis aut eorundem Confaederatorum Regimini obedientia alienare proditorie tentabat, conspirabatque, arrogando sibi nulla fultam autoritate atque illimitatam potestatem et jurisdictionem in eosdem Catholicos, circa res temporales, contra Regni jura et statuta hoc casu provisa.

(1348) " 2°. Dictum Decanum, initis cum P. Paulo King consiliis, proditorie assiduum per litteras cyphris atque apicibus arcanis exaratas, aliterque, molitionum commercium fovisse cum Tribuno, Eugenio O Nello, Emero Episcopo Clogherensi, Chilarcho Rogero Maguirio, aliisque ex eorum partibus, idque ipsis dictae armorum cessationi se palam opponentibus, et | in 1702
praesens suae Majestatis Gubernium, Regnique tranquillitatem v
rebellantibus, specialiter mensibus Julio et Augusto ultimis, ut ipsius et eorum litteris circa haec exhibendis probari potest.

(1349) " 3°. Dictum Decanum cum Alberto Paoletto sacerdote, Illustrissimi D. Nuncii famulo, et Gelasio Smithaeo, praesbytero, ad Capitaneum, Thomam Rochaeum, Castri Duncananiensis Gubernatorem, a fidelitate suae Majestati et Gubernio debita seducendum, et ad efficiendum ut Duncaniae praesidium et Castrum dicti D. Nuncii et partium illarum nunc suae Majestati, Catholicorum Regimini, praefatisque induciis se opponentium, apertoque bello adversantium nutus sequeretur, laborasse et conspirasse, et hanc suam conjurationem proseguendo ita in praedicto Rochaeo persuadendo operam non perdidisse, ut gubernio restiterit, et diversis in Regimen rebellantibus et Confaederatos Catholicos spoliantibus, ac nominatim in Comitatu Waterfordensi circa Kalendas Octobrias Iberno-Scotis arma ex illo propugnaculo praebuerit.

(1350) " 4°. Praefatum Decanum proditorie suis litteris et aliter operam deditse, ut diversis Praelatis atque aliis Confaedera-

tis Catholicis persuaderet, quatenus dictis partibus nunc in praesens Gubernium armatis, et palam refragantibus coalescerent, ut manifeste patet ex D. Episcopi Laghleniensis atque aliorum seductione ad vires eodem fine contrahendas.

(1351) "5°. Dictum Decanum praefato mense Julio diversis litteris et aliter apud Eugenium O Nellum jam memoratum proditorie institisse, ut cum suo exercitu Kilkenniae civitatem invaderet, spoliaret, occuparetque, et dicti Concilii personas ac alios in Gubernium optime affectos caperet, quo de ipsorum vita et fortunis ad praenominati Eugenii beneplacitum statueretur, idemque Eugenio asseverasse, futurum ut omnia | deinceps ad eum pertinerent. Quibus dictus Decanus, traditoris instar, sua Majestatis in hac natione et Regno jura et potestatem subvertere, praesens Gubernium, Regnique leges abolere, inque eorum locum Regimen externum aut tyrannicam et licentiosam gubernationem introducere moliebatur in extremum eorundem Catholicon ac nationis excidium.

(1352) "6°. Praefatum Decanum circa diem Julii praeteriti 24am in sumnum Regni contemptum, absque ulla autoritate, litterarum, quae maximi et urgentis momenti essent, fasciculos ad Concilium Supremum spectantes intercepisse, eosque reserasse, et varias extraxisse epistolas, quarum duas a praefato Concilio ad D. Archiepiscopum Tuamensem directas semper hactenus detinuit in gravissimam Regiminis injuriam, et negotiorum tunc expediendorum detrimentum.

(1353) "7°. Dictum Decanum ultimo Julio et Augusto a Supremo Concilio requisitum ut eidem se sisteret, maximo cum contemptu recusasse.

(1354) "8°. Praefatum Decanum Julio praeterito requisitum et Concilii mandato pressum, ut ex hac civitate discederet (postquam eum in suis proditoris sollicitationibus et seductionis machinationibus prosequendis et in Confaederatis ab eorum concordia atque obedientia, nec non in sua Majestatis fidelibus subditis a dicta sua fidelitate dimovendis nimis strenuum experti essent) eorum mandatis obtemperare prorsus noluisse, allegando nullam Concilio in se ipsum competere potestatem aut jurisdictionem.

(1355) "9°. Dictum Decanum ad 29^m Julii anno 1648 dum coram variis personis fide dignis de Concilii litterarum jam dictarum interceptione interrogaretur, superbe et palam protestatum | 1703 fuisse, se adhuc quoties posset, Concilii litteras intercepturum, et v dictum Decanum, quod ejus chartae dicti Concilii autoritate

tunc praehensae essent, ob id mandatum in Concilium imprecatio-
nes et suam maledictionem effudisse.

(1356) " 10°. Dictum Decanum in lite inter D. Didacum de La
Torre, Catholicissimi Hispaniarum Regis Oratorem, et praefatum
Nuncium ad Concilii tribunal circa rem mere temporalem pend-
ente constitutum eo fine praedicti Nuncii procuratorem, et
citatum ad comparendum coram dicto Concilio ut ad testes
circa 13^m Augusti 1648 examinandos accederet, absolute re-
nunisse, et subdidisse etiam se dicti Concilii jurisdictionem re-
pudiare velle adeo ut adversus eorum actiones in ista lite pro-
testatus sit, affirmans eas omni legi tam humanae quam divinae
adversari, idemque Decanus cum imprecationibus Deum in-
vocaverit, quo illatas sibi injurias vindicaret, inque eos omnes,
qui dictam causam aut litem agitassent, promovissent, aut
judicassent, vel quasvis in ea partes egissent, animadverteret.

(1357) " 11°. Praefatum Decanum D. Episcopo Ossoriensi,
quod dictas inducias approbasset aut promovisset, et quam
Concilium eo fine ad Suam Sanctitatem interposuerat appella-
tionem promulgasset, Julio circiter praeterito insolentissime com-
minatum fuisse, suaque privata autoritate diversas personas
super his examinasse, quo sic aliquem reperire posset praetextum
calumniandi dictum Episcopum apud Suam Sanctitatem, et
irrogandi ipsi aliquam injuriam aut praejudicium, quod se
gubernio et praefatae armorum cessationi conformasset.

(1358) " Quibus omnibus dictus Dionisius, Decanus Firmanus,
in id proditorie animum intendit, ut subditorum Regi fideliter
obsequentium corda a sua Majestate atque ejus corona | alien-
aret; ipsos inter se committeret, et potissimum Confaedera-
torum Catholicorum plurimos a sua fidelitate debita, juribus
fundamentalibus et praesenti Regimine atque armorum cessatione
et unione in faederis juramenti violationem, fideique publicae
prophanationem, seduceret; Catholicorum exercitum enervaret;
et rebellium et partium, quae jam Catholicorum gubernationi ex
parte suae Majestatis in hoc Regno statutae, Regnique quieti et
tranquillitati se armis opponunt, vires roboraret, atque adeo ex
professo hanc nationem et Regnum, ac praesertim fidelem,
beneque affectam hujus gentis partem deleret ac destrueret, et
bellum in hoc Regno rebellionemque excitaret, et semper foveret.
Quorum omnium intuitu, suae Majestatis apud dictos Catholicos
Advocatus generalis, ex suae Majestatis, Reipublicae, hujus
Regni et Nationis parte, dictum Dionisium, Decanum Firmanum,
accusat laesae Majestatis in supremum Dominum nostrum,

1704

Regem, ejus Coronam et dignitatem, dictusque Advocatus generalis quovis posthac tempore quaslibet alias postulationes et accusationes adversus praefatum Decanum Firmanum exhibendi et ad responsiones, quas ad dictos articulos aut ad eorum ullos fecerit, replicandi, nec non praefatas aut eorum aliquas aut alias accusationes a se in ipsum ad Curiae parliamentariae praxim vel prout honorabilis hic consessus generalis senserit, exhibendas probandi copiam per protestationem sibi reservans, rogat, ut dictus Dionisius, Decanus Firmanus, ad omnia et singula praedicta respondere compellatur, quatenus singula iis processibus, discussionibus, explorationibus, et judiciis, quae legi et justitiae consona sunt, agitantur et diffiniantur.

Jacobus Cusackus."

"Extract. per Philippum Kearneum generalem Com. Iberniae Clericum," |

1704 (1359) Hos articulos non refuto quod non aliud quam Massarii zelum et Ormonistarum perfidiam antea fuse probatam spirent. Porro invenio etiam 30 Octobris 1648 decretum fuisse ut Massarius nec verbo nec scripto, nec nuncio in Ormonistarum praejudicium quicquam ageret, et litteras nunciaque huc spectantia, siquae ad eum dirigerentur, iis, qui Regiminis clavum usurpaverant, communicaret. Deinde vero Archiepiscopo Tuamensi postulante, et postea aliis quoque Praelatis, qui pseudo-Comitiis interessent, rogantibus, Massario decreta est ab iisdem Comitiis non ulterius sua domus, sed ipsa civitas in custodiam, officiale, qui eum custodiebat, demum remoto, sed praestita de non delabendo et de se negotiis amplius in pseudo-Concilii et pseudo-Comitiorum praejudicium non immiscendo securitate ipsius Massarii instrumento publico, et promisso sacerdotali roborata. Plus tamen ei D. Didaci de La Torre lis, quam hae Ormonistarum accusationes, negotium facessebat; quibus molestiis, quo demum pacto expeditus fuerit, ad ineuntem annum inferiorem recensebimus.

(1360) Ad alia ab his Ormonistarum Comitiis gesta transeo, a quibus decretum ut Atlonia Vicecomiti Dillonio restitueretur, quod et factum ad exeuntem Octobrim, biennio pene postquam eo Castro excussus esset. Quod ille, ubi bene vallasset, et praesidiariis ita sibi fidis muniisset, ut non metueret ne amplius interciperetur, indidem 15 Decembris 1648 litteris ad Nuncium Anglice datis: "Statui (inquit) propediem Kilkenniam proficisci, ubi Illustrissimam Dominationem vestram audio multum atro-

carbone notari et traduci ex opinione Comitiorum, inter quae et Illustrissimam Dominationem vestram utinam de rebus omnibus benigne potius interpretandis bene conveniret. Persuasum habeo me fide atque auctoritate apud Comitia valitum, et modo mei conatus Illustrissimae Dominationi vestrae ulla tenus inservire queant, eosque impendere dignetur, | mandata vestra efficacissime exequar." Haec Vicecomes manu propria, quae eo libentius inserui, quod multa ipsi cum Nuncio nunc dulcia, nunc amara intercesserant, juxta rerum varie succendentium vicissitudines, suis quasque locis delineatas.

1705

(1361) Vidimus Insequinnium a Concilio invitatum cum copiarum parte Kilkenniam accessisse et in eorum ex Ormonistis, qui majore animi alienatione Nuncium ejusque partes prosequerentur, atque ipsius Ormonii mente pessima secundanda non mediocrem pseudo-Comitiis vim, sed ab ipsis (credo) ratam intulisse. Quo tempore quadringenti circiter equites Anglicani ex illa militum manu, quam in illam Kilkenniae viciniam duxerat, ubi se suis fratribus Parliamentariis, Dubliniae praesidiariis, forte fortuna vicinos reperissent, ad Jonium, Dublinae sub Parlamento Gubernatorem, transfugerunt. Quo etiam ingenio possessori milites Anglicani Corcagiae atque in aliis illius viciniae praesidiis ab Insequinno dispositi eodem tempore caeperunt tumultuari, adeo ut ipse etiam Ormonius tumultum sedatus Novembri postremo Kilkennia Corcagiam remigrarit, qui seditionis flamma non restincta, sed ad tempus cohibita, post paucos dies ad pseudo-Comitia Kilkenniam se recepit, quo etiam paulo post Insequinnius Corcagia rediit. Porro haec futurae prodigionis, quam illi nebulones Anglicani jam corde fovebant, symptomata, Deo specialiter providente, Catholicos, etiam Ormonistas, satis superque praemonebant, ne Ormonio aut Insequinno nisi praesidiis Catholicis nedum indigenis | Orthodoxis, quos Insequinnius 1705 aliquot annis antegressis deturbaverat, Corcagiam atque in alios illius viciniae munitiones prius admissis coalescerent. Sane ad arcanam hanc juxta ac altissimam Dei vocem vel ipse Ormonius atque Insequinnius sapuissent, et in Iberniae quidem suaे Catholicis omnem, in illis vero latronibus Anglicanis, nedum haereticis sed etiam occulte Parliamentariis, nullam fidem collacassent. Verum hoc tam evidenti futurae prodigionis signo et sonitu eorum atque Ormonistarum Catholicorum aures non monitae sed completae obsurduerunt in Regni damnum irreparabile, sicut suo loco non silebitur.

Diar.
18 Nov.Diar.
25 Novem.

v

(1362) Jam tempus exigit ut ad Episcopum Fernensem, et Nicolaum Plunkettum, Equitem a Pontifice, Innocentio, creatum, redeat narratio. Illi modo superius tradito apud Suam Sanctitatem legatione functi, ad finem Augusti ex Urbe discesserunt, in Iberiam regressuri. Dux autem una ex Ibernia Romam ad Suam Sanctitatem ab Eugenio O Nello et Episcopo Clogherensi allegatum fuisse P. Bernardum Davetum, Jesuitam Ultoniensem, quem ab Eugenio in sua ad Illustrissimum D. Franciscum Albitum, tunc apud Urbem S. Congregationi Cardinalium rebus Ibernicis praepositae a Secretis, epistola credentiali appellari video *suum cognatum germanum, causae communi et sibi fidissimum et promotorem zelantissimum.* Quis autem susceptae a Daveto legationis scopus fuerit, non actis mandatum, sed ejus pectore | 1706 ultro citroque creditum video. Quare hic tantum subdo epistolae, quam Cardinalis Panzirolus 19° Augusti ad Eugenium ex Urbe dederat, laciniam: “Quamvis (inquit) P. Bernardus Davet ad pedes Suae Sanctitatis non accesserit, ego tamen Suae Sanctitati omnia ea proposui, quae ipsem P. Bernardus mihi exposuit. Excellentissimae Dominationi vestrae gratias redbo, pro iis quae secreto et confidenter Pater mihi significavit.” Haec Cardinalis, qui affirmans P. Davetum ad Suae Sanctitatis pedes non accessisse, de audientia ad privatam Daveti legationem specialiter pertinente intelligendus videtur. Secus enim P. Laurentii Incurii, Jesuitae Itali, litteris 16° Maii datis et superius ex parte collocatis adversaretur. Caeterum Fernensis et Plunkettus Romae ante regressum auditio censuras in Ibernia a Nuncio fulminatas, frustra operam dederunt ut illae ad tempus a Sua Sanctitate suspenderentur, vel absolutio daretur ad cautelam. Nec dubito quin hanc praesertim ob causam, in qua Nuncii et ejus in Ibernia partium mentem impugnaverant, et genuinos Ormonii atque Ormonistarum patronos Romae sub boni publici praetextu gesserant, P. Davetus, tunc ex Urbe Florentiam ad Equitem, Rinuccinum, Nuncii fratrem, scripserit hos duos Oratores Romae ante redditum ad partes Nuncio in Ibernia adversantes palam transiisse. Ambo autem et P. Davetus una in patriam Insulam remeaturi, viam, quae ad Sanctam aedem Lauretanam ducit, tenuerunt. Inter quod iter P. Davetus ita curru decidit, ut illo lapsu brachium fractus requieverit apud *Colle Floridum*, Italice *Colle-Fiorito*, donec alii duo suae | apud aedem Lauretanam devotioni satisfecissent. Regressi ergo ad *Colle Floridum*, una cum Daveto iter in Iberiam prosecuti sunt Florentiam, ubi auditio eorum appulsa, Eques Rinuccinus mox ipsis a publico

v

diversorio quod *Rosa* indicatur, domum suam conduxit, et licet Davetus ei etiam ore ad os confirmarit, quod de duobus aliis Nuncio palam adversantibus antea ex Urbe scripserat, Nuncii tamen atque Equitis pater quintum supra octogesimum annum tunc agens, ipseque Eques, una tres comitate, hospitalitate, et munificentia cumularunt. Serenissimus etiam Magnus Dux Etruriae, Ferdinandus Secundus, cui Confaederatorum nomine ob arma cum Massario in Iberniā transmissa Oratores Iberni nationis gratitudinem professi erant, humanitatem in exteris tanto Principe dignam, suaequē Celsitudini amicam, ipsis ibidem demonstravit, et cum ab aula rediissent, *secutus est eos cibus regius*, Magnoque Duce jubente, ipsis ostensa est ad crepusculum vespertinum B. V. M. Imago miraculosa Annunciationis mysterium repraesentans, quae Florentiae in Annunciationis Deiparae Ecclesia maxima habetur venerationi, nec nisi raro ostenditur, quam non humano penicillo atque arte sed miraculose et caelitus pictam tradunt. Porro Davetus dum legati bini Florentiae haerent, in Equitis Rinuccini domo decumbebat, humanissime tractatus. Illis vero duobus in itinere progressis, se transferendum curavit in Florentinum Jesuitarum collegium: "ubi a me (inquit Eques in quadam epistola Italice scripta) visitatum, recordor mihi dixisse se, si Deus cito sanitatem restitueret, in id incubitum, ut ante ipsos in Iberniā appelleret, machinationibus, quas struebant, occursum." Sic Eques. Verum itineris laboribus et brachii convulsione factum, ut Davetus, etiam in eo Collegio singularem Equitis Rinuccini humanitatem plusquam quotidianam expertus, febri laborarit, et 24 Septembris 1648 expirarit, atque adeo legatio ejus ad Eugenium O'Nellum et Episcopum Clogherensem referenda nec non illae aliorum duorum *machinationes* nos lateant.

(1363) Fernensis et Plunkettus in Iberniā 21^o Novembris appulsi, et Kilkenniam progressi, ibi in pseudo-Comitiis, quando suam legationem 24 Novembris ex parte retulerint, ipse Fernensis in sua Apologia postea mense Maio anno 1653 ab ipso Romae porrecta testatur. "Contendo (inquit) mihi calumniose imponi ab asserentibus me et collegam meum Plunkettum non retulisse Comitiis Regni cum summa fide et probitate mentem, responsaque Suae Sanctitatis, quibus omnia candide et sine fuso (ita nos amet Deus) manifestavimus, nihil demendo aut addendo, cum porrecto Brevi Suae Sanctitatis clare diximus, non potuisse eam salvis Cathedrae pietate et sanctitate approbare ullam faederis tractationem in materia religionis inter populum Catho-

2 Reg. 11.

170,

licum pro religione et ecclesiis pugnantem et ullum Principem haereticum. Laudavimus impense sententiam Beatissimi Patris, paternumque in gentem nostram amorem, verba ejus suavissima deponendo. Significavimus onera quibus impedita (Sua Sanctitas) non potuit pro optima, qua imbuta est, voluntate nationis aerumnam sublevare, nempe quod tota fuerit in Venetis juvandis contra Turcam, quibus jam triremes aliquot submini stravit ; quod | illa aestate, dum bellum arderet circa Neapolim 1707 v inter Gallum et Hispanum, aluerit in sua ditione exercitum numerosum ; quod necessum fuit refundere magnam pecuniae vim pro frumento Urbis civibus comparando." Haec Fernensis. Verum haec legationis relatio parum sincera fuit. Notorium enim erat legatis in Galliam et in Urbem missis ea in monitis data fuisset, quibus si institutum esset, natio et religio triumphassent, et per sceleratam pseudo-Concilii atque aliorum Ormonistarum in Ibernia cum haereticis conjurationem, nec non per legationem Gallicanam perfide frustratam, et per decretam a Regina Angliae atque a Principe Walliae Ormonii, saevissimi Ecclesiae hostis, in Iberniam destinationem stetisse, quominus illis monitis ac mandatis institutum fuerit. Neque enim Sua Sanctitas nisi praefatam Ormonistarum perfidiam per litteras ex Gallia missas, quas suo loco superius habes, satis superque edocta suppetias a se denegandas respondit, aliasque legationis Romanae propositiones jam per dictam perfidiam evacuatas nihil fecit, haud ignorans dictam conspirationem eo structam ut Ormonius in Proregem revocaretur, pax iniqua contraheretur, et Confaederatione Catholica dissuta haeretici cum haeresi depresso Clero et religione Catholica postliminio restituerentur. Quibus in fundamentum jactis, Pontifex nec opem nec operam suam in rebus Ibernicis collocandam duxit. Itaque Fernensis et Plunkettus cum haec (sicut vel ex ipsorum actis Romae porrectis et superius positis liquet) non ignorarint, vel nullo modo ad ea Ormonistarum, Ormonii jam in Iberniam imo in urbem Killenniensem regressi, et Insequinnii pseudo-Comitia sed potius 1708 ad Nuncium atque ejus partes se receperissent, | vel certe magnis lateribus in pseudo-Comitiis illius perfidiae authores ejusdem reos egissent, ipsorumque nequitiae et malignitati ascripsissent, quod nec Prorex Catholicus, nec pax juxta ultimorum Comitiorum sanctiones honorifica tutaque a Principibus obtenta, nec ea denegata Princeps exterus, qui potenter subveniret, in protec torem electus, nec alia plurima et saluberrima media, quae in praefatis Legatorum in Galliam destinatorium monitis legas,

adhibita sed deserta fuerint. Pressissent deinde Fernensis et Plunkettus ut pseudo-Comitia ad se redirent et resipiscerent, hujusque voti et spei irriti lavissent inter innocentes manus suas, et ipsam potius mortem subiissent, quam malignissimas Ormonistarum machinationes secundassent. Haec vera fuit illius legationis Romanae referendae ratio, non autem illa, quam Fernensis et Plunkettus inierunt, postea ab Ormonio et Ormonistis adhibiti in valentissima suarum machinationum instrumenta, adeo horrendum in modum, ut validissima Nuncio atque ejus e Clero populoque partibus praebuerint argumenta, quibus inducerentur ad suspicandum ipsos antea semper Ormonio et Ormonistis favisse, et nunquam eorum zelum fuisse nisi fucatum et subtilissimum simulandi dissimulandique artificium, quo plus nocerent. Porro legatione non (sicut dixi) generose et sincere, sed tepide, astute, et enerviter relata, tantum abest ut in perfidiae authores ob frustratam eorum dolis legationem, etiam Romanam, proindeque ob denegatas a Pontifice suppetias animadversum sit, ut etiam iidem, aliquae Ormonistae populo fucum facturi, hanc subsidiorum Pontificiorum denegationem ipsorum culpa secutam alteri sueae | culpae omnium maxima, acceleranda scilicet cum 1708 Ormonio paci iniquissimae, in rationem praetenderint. Ipse v enim Fernensis in praefata sua Apologia se ipsum incaute jugulans: "Utebantur (inquit) responso Suae Sanctitatis tanquam argumento ad pacem accelerandam, innuentes a Beatissimo Patre minime datam esse subsidiorum pro sublevatione populi certitudinem. Cum ergo ab Urbe (aiunt illi) et Principibus Catholicis ad nos non veniant auxilia, nobisque non suppetant facultates cum omnibus hostibus bellandi, necesse est cum aliquo pacem habeamus, a Sanctissimo Domino minime culpandi, si in tali casu necessitatis non valentes ecclesias, vitam, et libertatem contra omnes tueri, aliquem faedere hostem conciliemus." Haec Fernensis. Qui (sicut dixi) se ipsum hic jugulat, cum Comitia, vel ipso authore, suam malignam mentem hoc fuco palliarint, quem ipse facilime sustulisset, ipsis Ormonistis palam imputando quod sceleratissima conjuratione Pontifici atque aliis Principibus Christianis, quorum aliquis juxta conditiones legatis praescriptas in protectorem eligendus libentissime potentissimeque subvenisset, subsidiorum suppeditandorum viam paecluserint. Caeterum quis hic contortuplicatos Ormonistarum labyrinthos technarum non horreat? Siquidem inducias cum Insequinnio ad revocandum Ormonium et iniquam pacem intrudendam

contrahere gestientibus Nuncius per chartas mense Aprili scriptas, et suo loco superius positas semel objecerat, praedixeratque futurum ut exinde Sua Sanctitas a suppeditando subsidio averteretur, illi | vero id minime timendum (sicut ex Concilii responsis ibidem positis liquet) asseverabant. Subsidis autem (sicut Nuncius praesagierat) re ipsa propterea a Pontifice denegatis, allegarunt in suis pseudo-Comitiis se ad iniquam suam pacem cum Ormonio pangendam necessitate compulso, quod Pontifex subsidia non suppeditasset. Et sic per has duas machinationes sibi oppositas armorum cessationem, Ormonii reductionem, et pacem cum ipso maturandam procurarunt. Cujusmodi artificiis pro sua politiae exigentia faciem subinde mutantibus eorum factionem se liberalissime mancipasse video. Porro praefato suo in Comitiis fuco se iniquae pacis contrahendae invidia deonerantes, eam in Pontificem tanquam tenacem refuderunt. Quae nova circumstantia Fernensis et Plunketti culpam graviorem reddit. Quos de insigni ignavia purgare sic nequeo ut hanc pudendam eorum atque apertam defectionem stupeam, cum ad annos superiores talem praesetulerint causae Catholicae zelum, ut Nuncius per litteras Romam missas eos summis laudibus onerarit, ipseque atque ejus in Ibernia partes maximam in ambobus tanquam inconcussis fidei columnis fiduciam collocarint, justo Dei judicio in imprudentiae paenam sua spe demum aperte frustrati quod illi duo anno 1646 et 1647 in maximi momenti rebus ita se gesserint, ut in occultae jam pridem defectionis suspicionem vocari meruerint, nec propterea Nuncius atque ejus partes se suaque omnia eorum integritati perinde ac si nunquam suspectae fuissent, credere destiterint.

(1364) Praeterea Fernensis et Plunketti causam deteriorem reddunt non nullae rerum tunc ad eorum appulsum | circumstan-
1709 viae, quas ex ipsius Fernensis Apologia jam dicta anno 1653 Romae correcta habe. "Timebat (inquit) Illustrissimus Dominus Nuncius interitum extremum religioni et ecclesiis inferendum per Ormonium factiosorum artificiis Catholicorum humeris imponendum, qui sub pectore magnas iras coquens, machinabatur perniciem ejusdem Illustrissimi D. Nuncii, et Regni Praesulum eo nomine, quod primam pacem cum illo conclusam tanquam impiam et probrosam repudiassent, qui timor impulit dictum Illustrissimum Dominum ad fulminandam excommunicationem contra membra Supremi Concilii, duces exercituum, omnesque adhaerentes suspensioni armorum cum Insequinno conclusae,

quae viam sternebat Ormonio ad imperium." Haec Fernensis, quae non solum in Ormonistas omnes generaliter militant, sed etiam specialiter in ipsum atque in Plunkettum, quod ad ejusmodi factiosorum partes transierint. Deinde Fernensis ibidem : "Verum (inquit) haec omnia (aiunt aliqui) non liberabunt culpa Fernensem et Plunkettum tempestive admonitos per viros fide dignissimos de dolo corruptorum hominum Ormonium patriae et pietati antefherentium. Quare ita admoniti non sunt protestati contra scelera et fraudes factiosorum ? Quare non incendrunt omnes ad continuandam Confaederationem et non auscultandum illi de pace illa tractationi ? Quare non excitarunt Catholicum militem ad arma capessenda contra auctores malorum in patria ?" Haec ille. Quae ipsos ad appulsum *per viros fide dignissimos* admonitos fuisse docent, proindeque haud ex malorum ab Ormonistis patratorum et patrandorum ignorantia caespitasse. Imo (quod plus est) Ormonistarum malignitatem 1710 ipsis nedum suasam, sed etiam persuasam | fuisse ipse pauculis lineis ibi interjectis fatetur : "Non (inquit) latuerunt nos omnino perversorum dolus et articia, sed mala, quae non potuimus curare, patienter pertulimus, pacem tanquam minus malum permittendo, cum penes nos non esset illam evitare." Haec idem, quibus addo ipsum in ea sua Apologia fateri Ormonistas ad Ecclesiae causam pessundandam menti malignae tyrannicam violentiam associasse. Sicut ex ipsa Apologia inferius ad annum 1653 in medium producenda patet, digna quae hic per saltum legatur cum non pauca contineat ad rerum in illis pseudo-Comitiis gestarum notitiam conducentia. Rogo etiam lectorem ut Vicecomitis Taaffi epistolam 20 Augusti 1651 Fernensi scriptam et suo loco inferius positam legat. Mirum ergo est cur Fernensis et Plunkettus non solum ad pseudo-Comitia illa, in quibus prae Ormonistarum maligna mente et violentia bonis proficiendi libertas praeriperetur, perrexerint, sed etiam scientes prudentesque illi malignitati et violentiae non occurserint. Imo potius ante alios pene omnes utramque palam secundarint eo potentius quod simpliciores magnam ipsis, tanquam antea semper sinceris et velut mentis Pontificis consciis fidem habuerint. Itaque ex quinque legatis, quorum tres in Galliam et duo Romam hoc anno a Confaederatis Iberniae Catholicis destinati erant, quatuor, nempe trium Gallicanorum duo, Muscrius et Brounus, nec non duo Romani, Fernensis et Plunkettus turpiter claudicarunt, solo Antrimio, legatorum in Galliam destinatorum 1° fidem in se

positam non fallente, ut propterea nullam apud posteros laudem
 1710 non meruerit. Is enim, non solum | in Gallia suas apud Reginam

v Angliae et Walliae Principem partes generosissime egerat, sed
 etiam in Iberniam reversus aliorum bonorum in ea sua legatione
 collegarum machinations integerrime aperuit, relataque pseudo-
 Concilio legatione, secessit, ne se eorum sceleribus contaminaret.
 Pseudo-Comitiis quoque Kilkenniae inchoatis, epistola, qua
 praeter communem et generalem citationem ab ipso spretam eo
 invitatus erat, a Richardo Blako, Equite aurato, eorum prolo-
 cutore, recepta, hanc se dignam fecit per alias litteras respon-
 sionem.

“Ornatissime Domine.

Doctor
 Enos. Just:
 cap. 22
 num. 8.

(1365) “Tuas 15° hujus mensis datas litteras accepi, quibus de
 illorum, qui modo Kilkenniae convenerunt, me istuc conferendi
 votis admones. Verum cum ob insititiam Regni distractionem
 viderim non posse me impraesentiarum istic adesse cum commodo
 et utilitate provinciae meae, injiciente obicem ingenti schismate
 in ruinam Faederatorum exorto; donec illa contentio penitus
 evanescat (in qua me ipsum, appropinquante Kilkenniam exercitu,
 mediatorem obtuli) stante quam debo provincia meae et faeder-
 atis fide, istic adesse nequeo, nisi ad ruinam istius provinciae
 concurrere vellem, quam a pauculis e nupero Concilio machinatam
 perspicue intueor, qui meos modernarum temperandi convulsi-
 onum intemperiem rejecere conatus. Progressus et successus
 rerum mihi aliisque apud Reginam et Principem creditarum
 rationem reddere quam paratissimus essem, nisi quod jam antea
 illud ex parte coram Concilio absolverim pensum. Dum vero
 illos de Clero et populo, qui me legaverant, congregatos comperero,
 1711 ubiorem reddere | rationem, nec necessarium nec ad con-
 servationem Regni unionis conforme censeo, usque dum Oratores
 Romam legati saltem revertantur, et plena ex singulis Regni
 Provinciis convocentur Comitia. Quo praestito ego cum vitae
 meae periculo ea operam navabo alacritate, quae expectari
 posset ab eo, qui est

Tuus amicus integerrimus.

Antrimius.”

(1366) Nec solum Antrimius, tametsi multifariam tentatus
 illa pseudo-Comitia tanquam Ecclesiae et Patriae exitialia
 spreverat, sed etiam in illa tanquam iniquissima et in Ormonistas
 omnes aperto Marte insurrexit. Quo si non aliam victoriam
 reportavit, certe suae conscientiae integritatem demonstravit.

Porro Fernensis et Plunkettus 24 Novembris tradiderunt hoc
Breve Pontificium :

“ INNOCENTIUS PAPA XUS.
Venerabilibus Fratribus et dilectis Filiis,
Supremo Concilio Catholicorum Iberniae.

“ Venerabiles Fratres et dilecti filii salutem et Apostolicam
benedictionem.

(1367) “ Eximia charitatis ejus significatione, qua Catholicae
religionis apud vos causam praecipue amplexi sumus, Venerabilem
Fratrem, Episcopum Fernensem et dilectum filium, Nicolaum
Plunkettum, Agentes istius Regni, et advenientes excepimus, et
ad vos redeuntes prosecuti sumus. Horum ut hic enituit erga
res vestras studium, et in tractandis | negotiis prudentia, ita 1711
sane in preferendis ad vos animi nostri sensibus fides ac diligentia
suppetet. Illud unum de concordia et animorum unione inter
vos constanter retinenda repetere, ac iterum, iterumque monere
pro gravitate rei nunquam pigebit. Hoc etenim solum et serva-
tum vos integros prorsus ac invictos adversus hostes fidei praestare
potest, et neglectum, ipsorum avaritiae ac saevitiae (quod avertat
Deus) in manus dedere, quod illi optime intelligentes, ut unicum
hoc fortitudinis vestrae praesidium evertant, nihil non tentatum
qua vi, qua insidiis plane relinquent. Nos, qui in istis Iberniae
rebus nihil aliud unquam spectavimus, quam religionis Catho-
licae bonum, illiusque securum et publicum exercitium, profecto
ejus stabiendiæ ac propagandæ rationem nullam iniri posse
videmus nisi perfectam voluntatum et consiliorum conspira-
tionem sedulo tueamini et in hac via Domini, quam ingressi
estis, ambuletis cum consensu. Igitur, venerabiles fratres, et
dilecti filii, qui pro vera Christi fide servanda tot labores suscep-
tis, tot pericula adivistis, tantum sanguinis profudistis, si aliquem
tandem fructum percipere, neque omnia haec incassum ruere
velitis, in hanc pacis et concordiae curam totis viribus, totis
animis incumbite. Mementote civitates ac regna nullo validiori
munimento firmari quam consensione bonorum. Recordemini
verborum Domini repromittentis se in medio eorum futurum qui
congregati fuerint in nomine ejus, ipsisque consentientibus
super terram, quicquid petierint, de caelis praestiturum. Hanc
mentem et ab ea cum religionis Catholicae incolumentate omnia
verae pacis ac totius consolationis bona a Misericordi Deo vobis
deposcimus, | Apostolicam benedictionem paterne largientes. 1712

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris
die 18 Augusti 1648, Pontificatus nostri anno 4°.

Franciscus Nerlius."

(1368) Hoc Breve Romae scriptum fuerat antequam Fernensis et Plunkettus in suspicionem vocarentur, quo Pontifex ad Concilii Supremi litteras 18 Januarii 1648 sibi cum iisdem duobus scriptas respondit. Cum itaque non pseudo-Concilium, sed ante ortas super armorum cessatione et censuris discordias Concilium Supremum litteras illas ad Pontificem dederit, Pontifex non pseudo-Concilio sed Concilio scripsit. Quare Fernensis et Plunkettus a Pontificis mente aberrarunt hoc Breve tradentes pseudo-Concilio, et pseudo-Comitiis compactis ex Ormonistarum pestilentissimis tot tantorumque malorum in Ecclesiam et Sedem Apostolicam apud Ibernam ab eorum discessu patratorum et Pontificem cum Breve daret, latentium authoribus, vel certe ita ipsum non latentium ut partes reconciliandas sperarit, et Breve Concilio redintegrando tradi voluerit. Porro ante Fernensis et Plunketti redditum de pacis cum Ormonio contrahendae articulis ad res temporales pertinentibus actum quidem est, sed ultima manu nihil conclusum ; de conditionibus vero ad religionem spectantibus ne actum quidem. Nam ab ultimis Comitiis decretum erat, nequid nisi legatione Romana et Suae |

- 1712** Sanctitatis circa religionis articulos sententia prius relata, in hoc v negotio concluderetur, quam Ormonistae ita expectabant ut illa expectatio fuerit pro ipsorum more fraudulentissima et summopere nugatoria, cum per legationis Gallicanae frustrationem, Ormonii reductionem, coitam cum haereticis conjurationem, aliaque plurima mala ad pacem longe aliam cum Ormonio contrahendam sibi viam efficacissime straverint, atque adeo legationem Romanam a Gallicana pendentem evacuaverint, Pontificem deinde, si suam circa articulos ad religionem pertinentes sententiam (nam haec expectabatur) tulisset, ludibrio habituri, ita tamen ut populo, etiam in hoc, fucum fecerint, asseverantes nihil a se circa religionem, nisi expectata juxta ultimorum Comitiorum mentem Pontificis sententia, concludendum. Ad quales fraudum labyrinthos Ormonistis adeo familiares fuisse video, ut nulla pene historia memoriae prodat homines ad decipiendum subtiliores. Sed scrutati sunt iniquitates. Defecerunt scrutantes scrutinio. Nam *Deus non irridetur*. Gravissime autem peccarunt Fernensis et Plunkettus, quod Ormonistis vitio palam non verterint, Pontificis sententiam latam non fuisse, et ad nihilum recidisse.

Ilio enim aliisque fucis reiectis, plures antea decepti resipuerunt, et pseudo-Concilium forsan cum Ormonio lapidassent. Vide inferius suo loco Taaffi epistolam Fernensi 20 Augusti 1651 scriptam in gravem ejus hac ex parte culationem.

(1369) Pontifex Innocentius cum Fernensi et Plunketto ad Iberniae quoque Praelatos Breve dedit, quo ad litteras sibi ab Iberniae Praelatis 18 Januarii 1648 cum iisdem duobus scriptas responderit. Clero autem (sicut vidimus) | diviso, Fernensis et 1713 Plunkettus contra Pontificis mentem Breve illud, non Praelatis Nuncio Galviae astantibus, nec aliis ab eo stantibus, transmisere, nec tradendo abstinuerunt, sed septem Praelatis Nuncio et Iberniae Clero pene reliquo adversantibus turpissime tradiderunt tunc Kilkenniae contra sanctae obedientiae praeceptum schismatice praesentibus et Ormonistarum laicorum molitiones toto pectore promoventibus, qui aliis Regni Praelatis Nuncii praecepto audientibus, eamque ob causam Kilkennia sparsim absentibus litteras scripsere, quae cujus spiritus essent te docebit haec epistola ab ipsis ad Episcopum Clonmacnoseensem Anglice exarata.

"Optime Domine Noster.

(1370) "Illustrissimi Domini, Episcopus Fernensis et Nicolaus Plunkettus, magni ponderis et circumspectionis diploma Pontificium a Sua Sanctitate, praesertim circa fidem Catholicam, ad hujus Regni Archiepiscopos et Episcopos directum nobis tradiderunt. Ita quidem ipsis fuerat cogitatio ut hoc Breve ad Nuncium transmitterent, quatenus ipse Praelatos convocaret; sed reperientes magistratum civilem et Nuncium tam longe a se invicem distare, ut nulla sit spes fore, ut sua Illustrissima Dominatio huc tempestive veniat, dictum Breve nobis tradiderunt. Quare hujus diplomatis Pontificis autoritate Illustrissimam Dominationem vestram rogamus, ut in hanc civitatem se conferat, quatenus nobis cogitatus et conatus nostros unientibus, haec pax inter Marchionem Ormoniae et Confaederatos contrahenda fidei Catholicae secura evadat et honorifica. Hoc diploma | Pontificium citandi vim habet, 1713 v proindeque Praelati omnes ei obtemperare tenentur, nullusque Antistes in excusationem legitimam suae absentiae praetendere potest factam ab Illustrissimo Domino Nuncio inhibitionem. Nos enim huic diplomati a Sua Sanctitate immediate misso nullam ejusmodi prohibitionem obviare, aut obicem ponere posse arbitramur, cum inhibitio dubio procul in pium et consonum charitati finem fuerit ordinata. Omnis enim potestas est ad

aedificationem. Cum ergo jam tempus extet opportunum ad providendum religioni, et Comitiis decretum sit, hanc pacem absolvere; quis Praelatus tuta conscientia potest huic celebritati non adesse, ubi speramus quod Deus pacis erit nobiscum, et quod ejus opus operabimur fortiter suaviterque. Si Illustrissima Dominatio vestra assistere neglexerit, Deus negligentem puniet, et nos de ipsa significabimus Suae Sanctitati. Sumus Kilkenniae,

30 Novembris 1648. Illustrissimae Dominationis vestrae
Humillimi servi,

Joannes Tuamensis. David Ossoriensis. Thomas
Midensis. Franciscus Aladensis. Edmundus Limericensis.
Fr. Patricius Ardaghadensis. Andraeas Finniborensis."

(1371) Haec epistola Anglice a septem hisce Praelatis scripta et Latine non usquequaque bene traducta, ad Nuncium missa fuit, nec ego nisi utcunque Latinorem reddere conatus sum. Porro ab apographi in Nuncii gratiam Latine redditu tergo propria ipsius manu scripta lego | haec verba : *Epistola Episcoporum citatoria ob Breve Sanctissimi ut deciperent reliquos.* Breve autem illud hic sequitur :

" INNOCENTIUS PAPA XUS.

" Venerabilibus Fratribus Archiepiscopis et Episcopis Regni Iberniae.

" Venerabiles Fratres salutem et Apostolicam benedictionem.

(1372) " Ex Venerabili Fratre, Episcopo Fernensi et dilecto filio Nicolao Plunketto, litteras fraternitatum vestrarum acceperimus et de statu rerum Catholicarum in isto Regno certiores facti sumus, Nunc iidem, quos sane communis boni studiosos et prudentes cognovimus, istuc redeuntes, vobis, quae pro paterna in vos caritate significanda duximus, coram exponent, et sollicitas curas nostras, qui solam religionis Catholicae causam, ejusque publicum et tutum exercitium istic spectamus, plene referent. Caeterum etsi iis nullam rem aequae commendaverimus, quam ut, tum Concilio Supremo, tum etiam vobis, nostro nomine serio explicare studerent, quam vel hoc tempore necessariam omnium istius Regni Catholicorum concordiam et unanimem concessionem arbitraremur, tamen pro rei gravitate idem saepius repetere et inculcare non alienum existimavimus, quae praesertim fraternitates vestrarum tanquam populorum lumina et dispensatores verbi, et rei qua exemplo, qua exhortationibus apud

populos praeire sedulo velitis, ut cum gaudio audiamus de vobis, quia statis in uno spiritu collaborantes fidei. Quod nos a bonorum omnium authore, Deo, enixe precantes fraternitatibus vestris Apostolicam benedictionem peramanter impertimur. Datum Romae apud S. Mariam | Majorem sub annulo Piscatoris die 18 Augusti 1648, Pontificatus nostri anno 4°.

Franciscus Nerlius.^v

(1373) Nuncius, ubi praefatas litteras citatorias a septem Praelatis jam dictis ad alios Regni Antistites Kilkenniam accendos exaratas clam accepisset, Praelatis Kilkennia absentibus significavit latere anguem in herba, nullamque illi Brevi Pontificio inesse citandi vim, licet septem Praelati jam memorati contrarium falso scripserint. Misit etiam ad eosdem Praelatos Kilkennia absentes multiplicata praedicti Brevis ad Iberniae Clerum directi exemplaria ex apographo, quod a Cardinale Panzirolo acceperat. Qua diligentia haud ita profecit, quin dicti septem Praelati per illas suas litteras citatorias Archiepiscopum Cassiliensem, et duos ejus suffraganeos, nempe Waterfordensem et Immolacensem, in urbem Kilkenniensem attraxerint bona fide seductos antequam ipsis per Nuncii litteras et transmissum ab eo dicti Brevis Pontificii apographum constaret de fraude et praetextus vanitate. Horum trium Immolacensis in ipsis Kilkenniae suburbii in fucum penetravit. Quare citatis equis recessit. Alii autem duo antea ingressi Kilkenniam detenti fuere. Porro quis hos Praelatorum seducentium dolos non detestetur? Quibus et Brevi Pontificio Ormonius et Ormonistae tanquam instrumentis usi sunt, ut sinceros alias Praelatos antea Nuncio constantissime obsecutos, et a pseudo-Concilio ad conventiculum illud Kilkenniense citatos sed interesse nolentes deciperent, et contra expressum Nuncii paeceptum, cui illi morem gerebant, ad pseudo-Comitia advocarent, quo illorum constantiam viis | omnibus labefactarent, certi eos saltem suffragiorum pluralitate in illo conventiculo, in quo Ormonius et Ormonistae dominarentur, succubituros, atque adeo se in majorem populi decipulam cum aliquo fundamento allegatuos, iniquissimam pacem haud fuisse contractam, nisi in Regni Comitiis, in quibus ipsi Iberniae Praelati, etiam Nuncii fautores, suffragati essent. Secus enim valde timebant Ormonistae, ne populus si non universus, certe majore ex parte Nuncii mandatis obtemperaret, et in pacem illam ejusque authores insurgeter. Quod re ipsa constanter credo fuisse successorum, nisi Fernensis, Plunket-

1715

tus, et septem illi Praelati, seductores, cum Episcopo Dromorensi, quem tamen, quia forsan Kilkennia tunc absentem, fraudulentissimae illi epistolae subscrisisse non video, suis partibus defuisse.

(1374) Hactenus Tuamensi de Nuncii partibus pessime merito pallium Archiepiscopale defuit. Quod ex Urbe cum Fernensi transmissum idem Fernensis Kilkenniae Tuamensi audacter tradidit, licet ipsi antea intimatum fuerit Nuncii praeceptum, quo authoritate Apostolica ipsi praescriperat, ne contumacissimo Tuamensi pallium traderet, nisi se consentiente. Quod praeceptum Fernensis transgressus est. Qui, et Plunkettus postridie quam Ormonistarum Comitiis legationem retulissent, et Breve Pontificium iisdem tradidissent, Nuncio miserunt epistolam, quam ex autographo habe propria Fernensis manu exarato his verbis : |

1715 " Illustrissime Domine.

v (1375) " Tandem pervenimus in patriam multis plagis male contritam. Heu non edit amplius lyra Iberniae unionis harmoniam. Vestrae Dominationi Illustrissimae e sincero corde maximas agimus gratias propter parentis grandaevi, fratris, viri humanissimi, aliorumque praepotentium affinium tuorum in nos amorem ac benevolentiam. Cum non possimus ipsorum munificantiam aliter quam amore compensare, decet nos ingenuae gratitudinis argumenta depromere. Habemus ad Dominationem vestram Illustrissimam multas litteras nulli tradendas bajulo nisi de consilio Decani tui. Certe affligimur doloribus vestris. Speramus tamen Dominationem vestram Illustrissimam brevi fusius et coram per nos de variis rebus ita instruendam, ut inde possit nasci inter Dominationem vestram Illustrissimam et Dominos Consiliarios reconciliatio. Sine tali vero unione timeri potest tam populi, quam religionis ruina. Contristamur admodum in hac Confaederatorum separatione, quae peperit animarum amaritudinem vix remedabilem. Redibit adhuc ad nos pacis Deus. Si in ulla re poterimus subservire Dominationi vestrae Illustrissimae, jubeat servis suis, qui tuam *Gratiam* nunquam decipient. Petimus benedictionem, et sacras manus deosculamur.

Kilkenniae,

25 Novembris 1648.

Illustrissimae Dominationis vestrae
Addictissimi servi,

Nicolaus Fernensis.

N. Plunkett." |

(1376) Quinetiam post habitum cum Massario tunc Kil-kenniae detento colloquium annexerunt pariter eidem Nuncio scriptam schedulam, quam eadem Fernensis manu exarata ex autographo subdo : 1716

(1377) " Illustrissime Domine, post seriam cum Domino Decano conferentiam, ob varias rationes visum est nobis aequum rogare Dominationem vestram Illustrissimam, ut velit consentire in adventum DD. Episcoporum ad Assembleam. Certe ita expedit religioni Catholicae, pietati, et Sanctae Sedis Apostolicae splendori. Quo citius, eo melius. Et propterea ut quam cito fiat, enixe orant manus sacras deosculantes,

Illustrissimae Dominationis vestrae

Addictissimi servi.

Nico : Fernensis.

N. Plunkett."

(1378) Nuncius autem ad haec respondens : " Inter praecipuas (inquit) rationes, quibus permotus fui ad impediendos Reverendissimos Episcopos, ne irent ad Assembleam, una fuit dilatio reditus Dominationum vestrarum Illustrissimarum, et ignoratio voluntatis Sanctissimi Domini Nostri circa res religionis. Quocirca antequam Dominationes vestrae Illustrissimae huc veniant (prout scripserunt) et per litteras ab eis mihi consignandas mandata Suae Sanctitatis recipiam, non est mihi liberum aliquid super hac re decernere. Expecto igitur illas, prout perfectio eorum legationis postulat, et hic de re ipsa colloquemur fusius, habebuntque me semper paratum illis (quoad | potero) inservire. Interim plurimum confert honori Sedis Apostolicae ut Dominationes vestrae Illustrissimae vel veniant, vel litteras tuto mittant, quibus visis possim statim de discessu etiam meo certius disponere." Haec Nuncius. 1716 v

(1379) Fernensis et Plunkettus ad has atque alias Nuncii litteras mihi perditas, quibus ille se ab Ormonistis in Ibernia male tractatum fuisse conquestus erat, responderunt his verbis propria Fernensis manu (nam ex autographo subdo) exaratis.

" Illustrissime et Reverendissime Domine.

(1380) " Quam ingentem maestitiam tristis Dominationis vestrae Illustrissimae litera animis nostris advexit, testis est nobis Deus. Illustrissima Dominatio vestra in Ibernia nostra bonis spoliata, proscripta, a plurimis impetita vix vivit, et nos in Italia tua amorem habuimus et venerationem. Pereant infaelicia tempora, quibus vivimus. Id tamen solatii habet sua Dominatio Illustrissima, quod ipsa fortitudo calamitatibus et

tribulationibus augeri soleat et proficere. Nihil avidius cupimus, quam sanctam tuam benedictionem accipere, et coram ea omnia referre, quae possent in ullo Dominationem vestram Illustrissimam solari. Sed ecce fere ad terminum progeditur tractatus cum D. Ormonio, cui assistere forsan non erit jucundum, et tamen abesse, cum maxime opus erit fortitudine, non erit gloriosum. Per nullam rem in hoc tractatu ita patiemur ac Dominorum Episcoporum absentiam, qui una juncti, paci huic (si Deo et pietati probrosa erit) adversantes, verisimiliter moverent maiorem Assembleae partem ad sententias mutandas. Sed inter alia Iberniae infortunia id tanquam maximum est reputandum, quod non erit inter Episcopos animorum consensio, et plurimi hic
 1717 potent | eam opinionum differentiam ortam non ex amore aut zelo pietatis, sed propriis interesse desideriis, et quadam nationali passione. Multa de hac re circumferuntur, unde venit scandalum. Propter misericordiam suam Iberniam e laqueo miseriarum educat Deus. Hoc unum impraesentiarum nos angit, quod absentibus DD. Episcopis (si tractatus cum D. Ormonio aut rescindendus erit aut concludendus, in utroque casu timeri debet dissolutio ligaminis sancti I. nostrae associationis ob praegnantes rationes, quas coram dedimus D. Decano, cui referimus Dominationem vestram Illustrissimam) non sit consilium, sapientia, fortitudo bonam faciendi unionem et ea media excogitandi, quibus posset malis quamplurimis obviari. Exurgat Deus et nos juvet atque inspiret ut ea fiant, quae Dei gloriam promovebunt, et Iberniam reddent Catholicam et faelicem. Osculumur sacras manus

Kilkenniae,
11° Decembris 1648.

Dominationis vestrae Illustrissimae
Addictissimi servi
Nico. Fernensis.
N. Plunkett."

(1381) *Rationes autem praegnantes*, quas se Domino Decano, nempe Massario, dedisse dicunt, ex autographo Latino propria Massarii manu scripto, et per Fernensem (credo) dictato, hic sequuntur :

"Breves rationes quibus moveri possit Illustrissimus Dominus Nuncius ad tollendam inhibitionem DD. Episcopis ne ad Assembleam accederent, et ob quas ipsi Episcopi absentes redire et assistere deberent praesenti tractatui de religione cum Marchione Ormoniae.

(1382) " Observandum est Assembleam conflari a parte longe majori Confaederatorum Catholicorum, partem autem quae recessit cum D. Eugenio O Neill, longe minorem esse.

(1383) " Item. Isti de Assemblea habent redditus, emolummentum, et substantiam | ad alendum bellum, quam non habent qui cum D. Eugenio sunt. Foris autem impetrare non possunt 1717 v subsidia propter dissidia nostra intestina.

(1384) " Item. Civitates, corporationes, et oppida murata omnia ambulant cum Assemblea et ipsius parent imperio.

(1385) " His praemissis, et cum jam resoluerit absolute sedens Assemblea inire et concludere pacem cum Marchione Ormoniae autoritatem habente *a Regina et a Principe*, si modo conditiones Ecclesiae et Regno utiles atque securae concedantur, illam DD. Episcoporum praesentia et assistentia, et cum D. Ormonio conventionem religioni longe securiorem et pietate digniorem probabiliiter reddent. Expedit ergo ut tollatur inhibito et dicti DD. Episcopi tractatui assistant.

(1386) " 2°. Si Praelati adesse tractatui renuerent, respondendo se nolle tractare cum D. Ormonio tanquam viro haeretico, vel non habente legalem et validam autoritatem, in primo casu Episcopi habebuntur authores belli immortalis, et tales qui nihil aliud cogitent aut moliantur, quam dissensiones et gentis universae ruinam, praecipue cum Assemblea omnimode promittat constantiam in negotio religionis, ita ut nullam velit cum Ormonio concordiam inire, nisi prius obtentis bonis pro pietate conventionibus. Quomodo in tali rerum et temporum articulo, tuta conscientia DD. Episcopi possunt deserere Confaederatos spondentes optima mente juramentum associationis. Quod vero autoritatem Marchionis Ormoniae concernit, habet Reginae et Principis autoritatem, qua contenti erant Confaederati in ultima Assemblea, neque scitur adhuc an habeat Dominus Ormonius etiam autoritatem ab ipso Rege.

(1387) " 3°. Sua Sanctitas reliquit populum Ibernum in sua libertate tractandi et decernendi quicquid ipsis videbitur | bonum, quia renuit ullam dare resolutionem aut sententiam in tractatu ineundo cum ullo haeretico. Voluit enim vel tacite approbare quamlibet pacem vel quamlibet respuere. Unde in suo Brevi ad Confaederatos Catholicos Iberos tantum exhortatur 1718 ipsos ad unionem et constantiam in religione tuenda atque promovenda. Ad Episcopos autem nullam transmisit inhibitionem, qua detineantur a tractatu cum haereticis pro salute populi procuranda.

(1388) “4°. Si adessent omnes Praelati et Ormonius conditiones proponeret, quae cultui divino neque utiles forent neque honorificae, in tali casu foret verisimiliter tanta consensio conscientiarum, tantum turpium conditionum odium, tantus excludendae pietatis ardor, ut omnes uno ore paci ignominiosae intrudendae adversarentur, imo palam protestarentur contra talem conventionem Ecclesiae Dei probrosam. Profecto facta tali protestatione sperari bene posset ut major pars Assembleae suam mutaret sententiam, fortiter insistendo ut DD. Episcopis et religioni satisferet. Numerus vero parvus Praelatorum contemnetur, neque audebit tantum, quantum multi et uniti.

(1389) “5°. Si DD. Episcopi essent multi, facilius meliores indulgeret conditiones Ormonius. Tunc enim diligentia et gratia Episcorum apud populum sponderet sibi perfectam omnium partium unionem, qua omnium animos et pecuniae vim ad bellum traderent. E contra dum praesentes Episcopi pauci sunt, minus robur, vires, pecunias, expectare poterunt.

(1390) “6°. Si Episcopi noluerint absolute venire et sedere in Assemblea et assistere dicto tractatui, forsan erunt bonis spoliati et proscripti, neque ullam habebunt partem, quae ipsorum causam velit tueri. De exercitu Eugenii incertum est, quid erit. Quin fertur treugam aliquam aut unionem fecisse vel brevi facturum cum Jonio et Parliamentariis, et in tali casu ipsi adjungere Episcopos | non permittit associationis Juramentum.

1718

v

(1391) “7°. Episcopi, qui modo Kilkenniae resident et qui idem senserunt cum DD. Consiliariis de cessatione et excommunicatione, proponunt ambulare cum ea fortitudine, qua decet Praelatos ecclesiasticos, in tractatu cum Ormonio, imo si eo res deveniant, protestari contra universam Assembleam pro defensione et propagatione religionis Catholicae. Ergo absentes Episcopi tenentur vi conscientiae ipsis adesse in hac bona mente ad Dei gloriam augendam. Vis enim unita praevalebit, et Sua Sanctitas bene sentiet de his, qui assident et fortiter agent, et e contra de illis, qui se separarunt ab opere Dei; dum in hoc puncto corruere vel florere debet religio in Ibernia.

(1392) “8°. Resolverunt Praelati praesentes, in gubernio militiae, praesidiorumque, et in castris futuram obtainere securitatem, et hoc facilius et fortius fieret, si unanimiter omnes Praelati essent praesentes.

(1393) “9°. Replicabitur forsan non posse securiorem inviri modum pro conscientiis Episcorum quam ut omnes se modo subducerent tractatui praefato, quia hoc tutius videtur

quam factam postea pacem reprobare et protestari. Respondeatur illam negationem influxus seu absentiam non esse tutam, neque Praelatos reddet securos in conscientia, quia inde imminent multa mala, uti discordiae, invidiae, odium, et animorum pessima amaritudo, et suspicio de ipsorum prava et perversa voluntate. In super Assemblea forsan aliorum theologorum sententiam secutura concludet cum Ormonio pacem, et quid postea Episcopi poterunt operari contra pacem factam et publicatam, nisi novam dissensionem et majorem ruinam. |

(1394) " 10°. Si Ormonius non satisfactus valedicat et pacem 1719 . non concludat, majus bellum erit, et associatio absolute dissolvetur, et exercitus Ultoniensis non poterit resistere tribus aliis Provinciis, cum praecipui Domini sint ex parte dicti Ormonii, et praecipue Clanricardius et omnes alii Majores Barones et Domini, et universa mala irruent in Iberniam. At contra si per unionem omnium Episcoporum fiat pax bona cum Ormonio, omnia bona possunt sperari, et Confaederati Catholici resurgent et religio florebit.

(1395) " Ultimo, cum nunc in Regno sit illa maledicta suspicio et animorum divisio inter veteres et novos Iberos, videtur quod omnes Episcopi absentes, et cum D. Eugenio procedentes, velint unam partem fovere, et alii hic praesentes aliam defendere. Unde eo magis exemplo ecclesiasticorum divisio saecularium orietur, et incrementum habebit. Quare, etc." Hactenus Fernensis et Plunketti rationes.

(1396) Nuncius ante has ultimas litteras et rationes mere stramineas acceptas ob occasionem aliunde natam scripsit ad Fernensem et Plunkettum hoc epistolium :

(1397) " In litteris, quas nudius tertius accepi, Sanctissimus Dominus die septimo Septembbris scribit mihi, noluisse admittere ullam instantiam sibi factam pro appellatione nostrae hujus causae, et proinde totum negotium cum plena facultate mihi remittit, addens id totum *Dominationibus vestris Illustrissimis insinuari fecisse ante earum discessum*. Existimo easdem vestras Dominationes significasse rem omnem Illustrissimis Dominis in Assemblea congregatis, et certe si mihi notus esset rerum status, ex tali remissione sperarem nunquam oblitus ministerii mei, ut plurimi memores propriae salutis cogitare tandem inciperent de reconciliatione cum Ecclesia. In quibusdam aliis rebus Sanctitas 1719 Sua se refert ad litteras Dominationibus vestris Illustrissimis v consignatas. Quapropter iterum eas ex parte ejusdem Sanctita-

tis peto, ne novae injuriae veteribus superaddantur, et illis manus deosculor. Galviae 14 Decembris 1648."

(1398) Post scriptum hoc epistolium Nuncius litteras illas 11° Decembris a Fernensi et Plunketto ad se datas, et eorum praefatas rationes una a Massario annexas, nec non aliquot epistolas Roma cum Fernensi et Plunketto ad se directas accepit. Quare 18° Decembris dedit ad Fernensem et Plunkettum hanc epistolam :

(1399) "Accepi litteras Romanas missas a Dominationibus vestris Illustrissimis, unaque a D. Decano rationes circa convocationem istic DD. Episcoporum, doleoque non potuisse adhuc videre Dominationes vestras, quibus communicare desiderabam motiva, quae in contrarium urgent conscientiam meam et honorem Apostolicae Sedis. Quicquid tamen in praesenti committere possum litteris, est hoc. Si Reverendissimi Domini ad id vocantur ut Breve Sanctissimi Domini ipsis directum aperiatur, (prout audio contineri in litteris convocationis), hoc vere nihil est, cum Dominationes vestrae Illustrissimae possint illud cum paucis aperire, et copiam aliis mittere, quam ego etiam publicare possem nuper a Sanctitate Sua acceptam. Si vero ad interessandum negotio pacis desideratur convocatio, tales mihi rationes contra persuadent ut non videam, qua securitate conscientiae possim hoc approbare. Certe Congregationes generales ad tractandum de rebus ad religionem pertinentibus cogi sine me vel a me deputatis non possunt, dum adhuc sum | in Regno, neque tuto agitur de rebus religionis nisi Ecclesia legitime congregata. Quod si Reverendissimi etiam Episcopi adeo me adversantur, ut praesentiam meam non curent, proponerem ut sub Archiepiscopo Cassiliensi a me deputando convenirent in civitate Limerici, ubi Deo inspirante communiter de rebus religiosis disponere possent, et ipsorum conscientiis satisfacere. At si hoc videatur aliquo modo difficile Dominationibus vestris Illustrissimis, cum ex alia parte non possim actu positivo concurre ut adeant Kilkenniam, ero contentus in gratiam Dominationum vestrarum abstinere ab omni actu, et totum remittere conscientiis Reverendissimorum Dominorum, prout etiam scribo D. Decano. Melius ac faelicius sine dubio haec res perficeretur si potuissent hic adesse Dominationes vestrae, prout expectabam et videbatur mihi congruum ex pluribus rationibus. Sed Deus, qui *praeparat in futura tempora statum Iberniae, haec etiam permittit justo semper ac salutari suo iudicio.*" Haec Nuncius.

(1400) Fernensis et Plunkettus, quid ad has binas Nuncii litteras 14 et 18 Decembbris datas (quarum primas illi forsitan in calculo lapsi 15 ejusdem mensis scriptas fuisse dicunt) responderint, hic subnecto ex ipso autographo Latino Fernensis manus scripto.

" Illustrissime Domine.

(1401) " Binas Dominationis Vestrae Illustrissimae litteras accepimus datas 15 et 18 mensis currentis. Ultimis significavit ipsi traditas litteras ex Italia per nos directas Dominationi suae Illustrissimae. Quod citius ad manus Illustrissimae Dominationis vestrae non pervenerint, non sumus rei. Vera enim ratio eas ad aliquod tempus detinendi, fuit timor | eas in via amittendi. Erat enim periculum ne interceperentur in via, prout D. Decanus nobis intimavit, et ideo e consilio ipsius salvum conductum habuimus eas D.V. Illustrissimae consignando per bajulum specialem. Inclusam postea invenimus. Siquae sunt aliae, in sarcinis nostris sunt, quae necdum sunt a Galliis exportatae. Eramus animo non parum turbati quod ab appulsu (licet id vehementer cupivimus) non licuit nobis Dominationis vestrae Illustrissimae sacras manus deosculari. Multis ad tale obsequium nominibus fuimus obstricti. Id in primis a nobis deposcebant nostra in Sanctam Sedem Apostolicam observantia, cum ipsius authoritas eluceat in vestra Dominatione Illustrissima. Dein singularis Suae Sanctitatis et paterna in nos benevolentia honoribus et muneribus nos augendo. Demum parentum tuorum atque amicorum amor, quo nos complectebantur. Veneramur (ita nos amet Deus) ex animo Dominationis vestrae Illustrissimae dignitatem et personam amamus, ipsi sincere et obsequiose servire desiderando. Quid praemii non vindicat amicus ille in nos affectus litteris tuis ad Beatissimum Patrem et Eminentes DD. Cardinales exaratis peramanter expressus, ubi de nobis supra merita et sentire et loqui placuit. Non sumus ita a virtute alieni ut possemus tanta beneficia tradere oblivioni. Vere antehac solvissemus Dominationi vestrae Illustrissimae tam officii nostri quam amoris et gratitudinis debitum, si non stitisset nos plorabilis infaelicis patriae conditio. Ad Iberniae enim sepeliendae exequias accessimus. Ita est pessimis hominum discordiis et plagis contrita atque percussa. Nihil enim unde lustrare licet quam orbitatem, fletum, lacrymas, desolationem. Vix est | remedio locus, neque imaginari possumus 1721 modum eam ab interitu praeservandi. Hic invenimus Assemble-

am sedentem, conflatam a membris civitatum atque oppidorum muratorum, omnibusque Provinciarum Lageniae, Momoniae, et Conaciae ordinibus. Etiam non nulli sunt e Provincia Ultoniae, personae spectabiles. Agnovimus in hoc caetu viros locupletes, et tales (siqui sunt similes in Regno Iberniae) qui habent substantiam ad bellum sustinendum. Insuper observavimus populum universaliter propendentem ad pacem cum D. Ormonio concludendam. In eam enim sententiam iverunt omnes non superesse ullam aliam viam, qua liberari possit patria ab interitu et ruina. Haec Assemblea videtur nobis esse maxime considerabilis portio unionis Confaederatorum Catholicorum. Pars enim adhaerens D. Eugenio O Neil exigua est respectu horum, et indies minuitur. Comperimus in hoc populo grandem animorum alienationem atque aversionem a D. Eugenio et exercitu ipsius suscitatam e memoria rapinarum, oppressionum et praedarum exactarum, atque e nupera sanguinis effusione, ut vix unquam sperari possit ulla inter ipsos concordia. Non pauci viri spectabiles, Ultonienses, ut Vicecomes Iveagh, Felix O Neil, Alexander Mac-Donel, Milerus Relly cum multis aliis partes D. Eugenii deseruerunt. Etiam Terentius O Neil, Tribunus, filius Henrici, cum quingentis huc nuperrime venerat. Audimus militem in dies ab ipso elabentem. Id etiam ab his memoratur, quod in omnibus conatibus suis infelix fuerit ab initio hujus schismatis. Hinc | fit ut populus in Assemblea
 1721 v sedens, qui ipsum et Dominum Reverendissimum Clogherensem aversatur, militem ipsius tanquam contritum et expugnat facilem spernere incipiat. In appulso nostro invenimus in manibus sedentium hic opus arduum, scilicet pacem cum D. Ormonio ineundam, in qua factus fuit progressus non exiguus. Hic gradum sistere jubemur. Etsi enim opinaremur in hoc temporum rerumque articulo non obtainendas pro religione Catholica conditiones adeo securas et honorabiles, attamen quia per Assembleam res differri non potuit in aliud tempus, jussit ipsa conscientia nos hic immorari, omnemque adhibere sollicitudinem ut conventio fidei Orthodoxae securior et pietate dignior redderetur. In hoc opere die et noctu (testis est nobis Deus) nos ipsos superimpendimus, sperantes cum Dei gratia conventionem fore per hoc meliorem, id nobis pro certo proponendo per absentiam nostram potuisse huic tractatui aliquod malum accidere, quod per praesentiam bene posset praeveniri.

(1402) "Diu durare non potest hic tractatus intra paucos dies vel concludendus vel rescindendus. Unio autem Confaedera-

torum Catholicorum (si forte non concordabuntur) videtur nobis dissolvenda et penitus evertenda. Videmus enim plerosque in casu separationis parantes sibi prospicere aut fuga e Regno, *aut sui ditione in manus hostis communis*. Ecce infaelicem exitum Confaederationis Catholicae, si erunt semel dispersi, | divisi, 1722 palabundi, extorres, in ordinem punitivae servitutis redacti.

(1403) " Romae intelligentes de lite et schismate implacabili orto inter Confaederatos Iberos, timentesque non fore spem ullam Assembleae cogendae ad tollendas omnes dissensiones, quia Dominationi vestrae Illustrissimae obtemperantes scrupulum haberent conveniendi aut communicandi cum excommunicatis, reliquimus in manibus Cardinalis Protectoris unum memoriale, quo supplicatum est Suae Sanctitati, quatenus dignaretur statuere modum aliquem ad effectum suspendendi ad tempus excommunicationem inflictam vel absolvendi in cautelam, utque id fieret (si ita ipsi visum fuerit) per Dominationem vestram Illustrissimam. Haec instantia *mente optima facta* est a nobis in illa materia, et nulla alia, et licet totus istius causae status ante nostrum Roma exitum ad nos pervenerit cum precibus DD. Consiliariorum ad Appellationem interponendam, nihil omnino in illa re fecimus, arbitrantes nos minime obligatos ullam in illa Curia causam prosequi, praeter illam, quae fuit nobis a Generali Assemblea demandata; ac proinde Appellatio reicta fuit in manibus P. Lucae Waddingi. Nunquam enim in animum duximus ullam differentiam aut item DD. Consiliariorum contra Dominationem vestram Illustrissimam urgere. Etenim id omnino vetuerunt pietas tuae authoritatis et memoria beneficiorum acceptorum. Haec omnia fusius significare Dominationi vestrae Illustrissimae aequum putavimus, ut pro nobis loquatur ipsa veritas, stemusque recti in opinione Dominationis vestrae Illustrissimae. Dum enim multi multa dicunt et scribunt, | ex variis relationibus possit nasci constructio in nostrum 1722 praejudicium. Magnum sane peccatum committeremus non v reponendo gratias ingentes e cordibus sinceris pro magna fiducia, quam reponit Dominatio vestra Illustrissima in servis suis, prout loquitur littera ad nos data 18 Decembris, ubi declarat se contentum totum remittere conscientiis nostris. Frustra fieret Limerici vel alibi congregatio DD. Episcoporum ad effectum hujus tractatus ut per eum bene religioni prospiciatur, quia infra quinque ad summum dies aut bene aut male finietur. Propter hanc in nobis fidem, aliaque amicitiae argumenta spondemus Dominationi vestrae Illustrissimae nullam per nos omittendam

opportunitatem, qua valebimus Dominationis vestrae Illustrissimae honorem aut ullius tandem Ministri Apostolici tueri, praesertim reputationem viri tanti, qui nos tot benevolentiae vinculis ligavit. Quid autem circa hoc Romae praestitimus, poterunt Dominationis vestrae Illustrissimae parentes et amici referre. Osculamur cum humilitate sacras manus.

Kilkenniae

30 Decembris 1648.

Dominationis vestrae

Addictissimi et humillimi servi

Nico. Fernensis.

N. Plunkett."

(1404) Ad hujus epistolae calcem addiderunt et hanc appendicem : " Illustrissime Domine, nihil aequo optamus ac omnium partium reconciliationem cum Dominatione vestra Illustrissima. Si homines vellent nostris precibus inclinari, res bona cito et bene fieret. Quod ad nos attinet, statuimus | in omnibus authoritatem Sedis Apostolicae venerari. Non dubitamus nihil etiam posse accidere Dominationi vestrae Illustrissimae jucundius quam ut omnes iterum partes venirent in amicitiam. Certe melior esset una amnestia et universalis oblivio quam ut Ibernia schismate pessimo infelix diutius ingemiscat. Dignetur servis suis suam de hac re voluntatem judicare. Haud dubie nos sinceros in ea re et zelosos habebit. Non sumus immemores D. Eugenii.

Dominationis Vestrae Illustrissimae

Humillimi et addictissimi servi.

Nico. Fernensis.

N. Plunkett."

(1405) Quid ad has amborum litteras Nuncius responderit, me latet, nec invenio ex Episcopis ab ipso stantibus alios Comitiis interfuisse praeter Cassiliensem et Waterfordensem Episcoporum ipsi adversantium stratagemate jam recensito Kilkenniam accersitos ; quos conscientiae angustiis magis liberavit ipse Nuncius, qui in suo Diario ad 23^m Decembris 1648 : " Nuncius (inquit) observato Episcopis bonis, ex omni parte, mala intentari, et ipsis ut Kilkenniam proficiscantur, fucum fieri, in eam ivit sententiam ut omnibus significaret se eorum conscientiis relinquere quatenus eo se conferant vel non conferant, ita tamen ut protestetur se ob graves rationes nullum super hoc facere velle

actum positivum," Haec ipse. Qua licentia non obstante, alii Praelatorum ab ipso stantium (sicut dixi) Comitia illa ita horruerunt ut nec arte nec Marte adduci potuerint ut interessent, ne pacem iniquissimam approbare viderentur. Porro licentiam illam Episcopus | Corcagiensis ab ipso Nuncio recens in Momoniam suam missus ignorasse videtur cum eidem Nuncio scriberet
1723 v his verbis solito zelo plenis.

" Illustrissime ac Reverendissime Domine.

(1406) " Postquam Dominationi vestrae Illustrissimae vale-dixi, sperabam me, cum in hanc Provinciam venissem, Illustrissimum Casseliensem posse convenire, et eidem, quae in mandatis habui, aperire, sed hac spe frustratus. Illustrissimus partim minis, partim blanditiis ductus, ne dicam deceptus, Kilkenniam est profectus, antequam appulisset. Ad quem statim scripsi, ut me de statu rerum ac progressu certiore faceret; qui rescripsit ut Kilkenniam peterem, recepturus, quae in Brevi Apostolico ad Praelatos Regni directo continentur. Insuper (velimus nolimus) pacem concludendam fore affirmat; neque praesentibus neque absentibus de conditionibus super quibus eadem sit fundata, adhuc constat. Angustiae sunt undique. Si praesentes, etiamsi pauci fuerimus, pax, licet iniqua, publicabitur. Si absentes, rebelles denunciabimur. Verum inter utrumque perplexus, malo incidere in manus hominum licet iniquorum quam justas Ecclesiae leges et ejusdem Ministrorum debitam violare obedientiam, et (quantum potero) dilationibus utar, antequam de ulteriori Dominationis vestrae resolutione plenius intelligam. Interim Dominationis suae Illustrissimae manus deosculor, qui sum
Fedardiae

29° Decembris 1648.

Illustrissimae Dominationis vestrae

Obsequentissimus filius et humillimus servus.

Robertus Corcagiensis et Cluonensis." |

(1407) Vidimus Nuncium Fernensi et Plunketto 14° Decembris 1724 scriptisse, se 12° ejusdem mensis litteras a Sua Sanctitate 7° Septembris datas accepisse, quibus significatum esset totum censurum negotium sibi fuisse relictum. Litteras fuisse invenio schedam a Cardinale Panzirolo arcanis Italice scriptam, nec ille eam Suae Sanctitati ascribens fecellit, cum Cardinalis eam tanquam *Secretarius Status* ex Suae Sanctitatis mandato pro more scriperit. Actum illud ex apographo, ex quo Romae in notas arcanas trans-

fusum erat, et ex autographo, in quod apud Iberniam ex notis
arcaniis resolutum fuit, proindeque ex ipsa scheda cyphris ex-
arata, quae et ipsa ad meas manus pervenit, hic Latine reddo :

(1408) "Excommunicationis, quam in adhaerentes induciis a
Concilio Supremo cum Barone Insequinniae initis Dominatio
vestra fulminaverat, et Interdicti a se atque a suis delegatis in
universitates et civitates a dictis stantes vibrati habita
fuerat per Dominationis vestrae litteras notitia antequam Episco-
pus Fernensis et Nicolaus Plunkettus, istius Regni Agentes,
Roma discesserunt. Et licet ore tenuis juxta ac per memoria
diversas fecerint instantias et quandam etiam scripturam super
Appellatione a Concilio interposita typis mandatam exhibuerint
ut ipsis et quibus necessarium foret, quo in religionis progressum
alios ad concordiam reducere valerent, censurae suspenderentur,
Sua tamen Sanctitas dictam Appellationem admittere aut ad
eorum instantias quicquam respondere noluit, sed ipsis signifi-
candum curavit, ut ad vestram ipsissimam Dominationem re-
currant, quae in religionis Catholicae et causae, de qua agitur,
utilitatem faciet, quicquid expedire judicaverit. Credit equidem

1724 Sua Sanctitas Dominationem vestram bonis ductam | fuisse
v fundamentis ad publicandam excommunicationem et ad vib-
randum Interdictum, totumque esse factum suae prudentiae et
zeli, quo dirigi debet sicut Dei obsequio et uniendis Catholicorum
animis visum fuerit convenire. His suppositis Sua Sanctitas
praefatorum Agentium instantiis jam dictis haud aurem praebuit,
sed totum ad vestram ipsius Dominationem remittit, quae in
hoc suis facultatibus atque omnibus aliis, quae ipsi necessariae
esse possent, uti poterit, concedente ipsi Sua Sanctitate per
praesentes quicquid opus fuerit, super qua re integrum ipsi
Breve transmittetur. Romae 7° Septembris 1648."

(1409) Haec scheda notis arcaniis scripta parum Nuncio
profuit, cum nullam producere posset decisionis Pontificiae
evidentiam. Quinimo pene plus ipsi in Ibernia nocuit, ejus
adversariis in vulgum spargentibus nullam ei a Pontifice factam
fuisse ejusmodi potestatem cum eam nullo instrumento aut
acto publico a Sua Sanctitate misso demonstraret. Nam quod
ad Breve attinet, quod super hac re Cardinalis Panzirolus Nuncio
transmittendum scripsit, id ad Nuncii manus saltem quamdiu in
Ibernia fuit, non pervenit. An autem postea id receperit, vel
nunquid ullenius missum fuerit, inferius examinabitur? Pon-
tifex autem suam illam decisionem judicaverit satis superque in
Ibernia Nuncii adversariis constitutam Fernensis et Plunketti

testimoniis, cum eam ipsis Romae (ut ex hac scheda liquet) significandam curarit. Nuncius etiam (ut ex ejus epistolio 14 Decembris ad ipsos Kilkenniam scripto constat) expectavit, ut hanc Pontificis respositionem ipsis Romae intimatam, pseudo-Comitiis ac toti Regno propalarent, quo pseudo-Concilium, et eorum in induciarum censurarumque controversia per totum Regnum | fautores se submitterent, peractaque paenitentia ab 1725 ipso Nuncio absolutionem impetrarent, exindeque binis partibus Catholicorum dissidentibus lata ad concordiam redintegrandam via sterneretur, ac denique non unius tantum sed ambarum partium Comitia Generalia celebrarentur, in quibus religionis et nationis bonum longe melius procuraretur. Verum Fernensis et Plunkettus rem illam non propalarunt, usque adeo ut ad Nuncii litteras ipsis 14 Decembris scriptas et schedae illius a Cardinale Panzirolo 7° Septembris notis arcanis exaratae compendium continentis responderint quidem per suas litteras 30 Decembris exaratas et superius positas, sed admirabili sagacitate. Nam (ut ibi videre est) Suae Sanctitatis respositionem illam sibi Romae intimatam fuisse ita negare non ausi sunt ne gravissimi et palpabilis mendacii redarguerentur, ut tamen intimatam fuisse non dicant. Secus enim Nuncius eorum epistolam in sufficientissimam asserti sui evidentiam ostendisset. Ostendere autem non potuit cum illi directam respositionem sagacissime et callidissime declinaverint. In eadem etiam sua epistola Nuncius : " Existimo (inquit) easdem vestras Dominationes significasse rem omnem Illustrissimis Dominis in Assemblea congregatis." Haec ille. Ad quae illi pari sagacitate non respondent, ne Nuncio (ut validissime praesumendum est) in se ipsos et Ormonistas arma, nempe propriam et ingenuam respositionis Pontificiae et sui noxii in Comitiis et Regno silentii confessionem, praebeant populo ostendendam in assertae a Nuncio veritatis probationem, summam Regni atque Ecclesiae Iberniae incolumentatem, et factionis Ormonicae vel | resipiscentiam vel depressionem. Nam 1725 optime in eadem epistola 14 Decembris ad ipsos data Nuncius : " Certe (inquit) si mihi notus esset rerum status, ex tali remissione sperarem, nunquam oblitus ministerii mei, ut plurimi memores propriae salutis cogitare tandem inciperent de reconciliatione cum Ecclesia." Haec ille; ad quae pariter haud directe respondent, secus suam machinationem prodituri, quam tamen nolentes volentes satis in confessio ponunt, dum illam respositionem sibi a Pontifice in Urbe intimatam fuisse non negant, nec illam a se pseudo-Comitiis atque aliis omnibus pro munere relatam

referendamque respondent. Risu porro dignum est id omne quod allegant, ut se Nuncio de instantiis a se ad censuras in Ibernia suspendendas Romae factis purgent. Nam licet ingenia torqueant ut evadant, quod tamen ipsi fatentur, sufficit ad probandum ipso pseudo-Concilio, Ormonistis, et Ormonio adversus Nuncium atque ejus partes potentissime sagacissimeque fuisse Romae patrocinatos, cum operam dederint ut censurae suspendentur, vel absolutio ad cautelam concederetur, proindeque antidotum conjurationis veneno a Nuncio atque Iberniae Clero objectum enervaretur, licet morbi vis et qualitas postularet ut remedium praesentissimum adhiberetur. His addo insignem eorum temeritatem et audaciam cum calumniarum et mendaciorum faraggini a pseudo-Concilio Romam transmissae aurem accommodantes, ad eas instantias in Urbe facientes se accinxerint, Nuncii Clerique Ibernici rationibus constantissimis vel non auditis vel spretis, idque | postquam ambobus, et per ipsos Aulae Romanae innotuisset Ormonium et Ormonistas in Gallia atque in Ibernia (sicut ex actis ab ipso Fernensi et Plunketto antea Romae porrectis et superius positis liquet) in religionis, Cleri, Regnique perniciem sceleratissime coisse cum haereticis illam conjurationem, quam Nuncius per censuras dissipare conatus est.

(1410) Sed haec omnia pene levia apparebunt, si cum aliis eorundem duorum artificiis hic dicendis comparentur, siquidem ambo in Iberniam appulsi tantum abest ut illam Suae Sanctitatis respcionem Regno propalarint, ut etiam testati sint Suam Sanctitatem, non nullos Cardinales, praesertim Cardinalem Protectorem, et universam Aulam Romanam male sensisse de Nuncii in fulminandis censuris deliberatione. Nec solum hunc rumuscum in vulgus (sicut ipse Nuncius notis arcans ad Cardinalem Panzirolum 23 Januarii 1649 ex Ibernia, deindeque apicibus planis ex Gallia in sua de his duobus relatione inferius ad longum ponenda significavit) sparserunt, sed etiam epistolam a Cardinale *Roma* (sic Suae Eminentiae familia vocabatur) ex Urbe scriptam Nuncio in Iberniam attulerunt, quibus litteris solo sigillo volante munitis, proindeque prius Kilkenniae nescio quoties lectis, deindeque obseratis ac Nuncio missis, suum rumorem confirmarunt. Epistolam illam mente (credo) optima a Cardinale missam sed noxio artificio a sua Eminentia 1726 obtentam ex lingua Italica, qua scripta fuit, Latinam reddo, | ut v lector subtilissimam artem suis ponderibus libret.

"Illustrissime et Reverendissime Domine.

(1411) "Audito hic Illustrissimam Dominationem vestram excommunicasse istud Concilium, quod certae paci vel treugae, quae forsan in religionis Catholicae praejudicium vergit, acquievisset, auditae quoque sunt super ea re diversae sententiae, pluribus fere arbitrantibus, licet Dominatio vestra Illustrissima dubio procul optimo cum zelo processerit, nihilominus vel suam eo non pertigisse autoritatem, vel rerum statum postulasse aliquam conniventiam, et jam malorum omnium pessimum esse discordiam eapropter secutam inter ipsos Catholicos. Quamobrem Sua Sanctitas videtur excusata, si tantopere necessaria ad fidem Catholicam in isto Regno stabiliendam auxilia elargiri recusat. Cum ergo mihi videatur inde nascitura eorum omnium ruina, quae hactenus cum tanta Illustrissimae Dominationis vestrae laude gesta fuere, ea fiducia, quae mihi secum intercedit, suggestendum duxi me credere quod valde congruit ut Illustrissima Dominatio vestra cuicunque rerum inter se et excommunicatos componendarum tractatui aurem praebeat, suam conservet autoritatem, et alienatos censorum fulminatione animos sibi reconciliet, praesertim cum Comitia Generalia adeo impendeant, quae si excommunicati iis intervenire vellent, haud parvae obnoxia esse possent variationi. Hae censoriae, quae a sua procedunt | authoritate, a semet possunt omnino tolli, 1727 absolvendo reos absolute, vel ad cautelam, vel eos ad tempus suspendendo, sicut suae prudentiae et rerum statui visum fuerit expedire. Non ergo convenit ut hinc expectetur, quod ab Illustrissima Dominatione vestra praestari potest, et secus suapte natura faelici istarum rerum componendarum, quae illam toti mundo gloriosam reddituram sunt, progressui viam praecludat, cum certum sit donec dissensionem cessasse innotuerit, hic non cogitandum de subsidiis, quae Dominatio vestra Illustrissima cum tanta ratione desiderat et expectat. Hoc est quod mihi occurrit, et ipsi manus deosculari.

Romae,

24 Augusti, 1648.

Illustrissimae Dominationis Vestrae
studiosissimus ad obsequium.

Cardinalis Roma."

(1412) Mihi ingenii vires non suppetunt ad detegendas illorum, qui hanc epistolam a Cardinale *Roma* procurarunt, fraudes tot tantasque et tanto artificio adhibitas ut nusquam mihi occurrerint technae subtiliores et magis ad decipiendos viros

etiam sagaces idoneae. Praestabo tamen quod virium tenuitas praestet, sed lectorem rogans ut ipse meos defectus suppleat, et suo judicio dolos maturius ponderet, quam a me detegantur. Re enim ipsa nunquam legi aut animadverti astutiam purius eliquatam et malum sub boni specie periculosius propinatum.

1727 Itaque ante omnia eorum, qui hanc | epistolam a Cardinale Roma v scribendam procurarunt, scopum declaro. Quem fuisse video ut aliquod in Urbe actum obtineretur et in Iberniā transmittetur, quo ibi osteno factio Ormonica Aulae Romanae approbatione munita fulciretur, Nuncius ejusque partes illo ariete debilitarentur, ipseque Nuncius eo adduceretur ut suapte sponte caeptis desisteret, licet qui epistolam scribendam procurarunt, causam a Sua Sanctitate ad Nuncium remissam non ignorarint, imo fidem habeat ipsos epistolam procurasse ut a Sua Sanctitate rejecti illam ejus responsonem et causae remissionem alias Nuncio atque ejus partibus futuram in Ibernia utilissimam, et Ormonistarum factioni fatalem, apud Iberniā enervarent, suspicantes quidem sed haud certi Suam Sanctitatem Nuncio decisionem litteris significaturam, et forsan persuasum habentes vix litteras illas perventuras inter tot partium Catholicarum et haereticarum Nuncio adversantium insidias. Et haec quidem sunt, quae in summa ad scopum, in quem collinearint, pertinent.

(1413) Modum autem, quo ad scopum pertingerent, fraudulentissimum excogitarunt, nempe ut Cardinalis *Roma*, quem dubio procul suam metam celarunt, et cui rem sub boni publici velo proposuerunt, epistolam illam tanquam charitate plenam, sed re ipsa Cardinale nesciente crudelissimam Nuncio scriberet, sicut ipsi scribendam dictarent. Pestilentissime autem dictatam fuisse videmus, ita ut Ormonistis in Ibernia suffecerit ad ostendendum 1° Romae plures fere arbitratos Nuncio illarum censurarum fulminandarum defuisse autoritatem, quod falsissimum

1728 esse alibi demonstravimus. 2° Rerum statum postulasse | coniventiam, quod pariter a vero longissime distat. 3° Malorum omnium pessimum esse discordiam eapropter secutam inter ipsos Catholicos, cum tamen certum sit illam discordiam Ormonistis vitio vertendam. 4°. Ibidem indicatur Suam Sanctitatem ob has discordias, quae Nuncio tacite ascribuntur, auxilia denegasse, proindeque Nuncio imputatur quod suppetias Faederati per suos Oratores Romae non obtinuerint, licet certo certius sit per Ormonistarum conjurationem et per eorundem perfidiam Pontifici per ipsum etiam Fernensem et Plunkettum Romae satis significatam stetisse, quominus Pontifex suppetias

subministrarit. 5°. Ibidem Nuncii constantia concutitur ut censuras relaxet, vel absolutionem ad cautelam concedat. Denique (sicut dixi) hanc epistolam solo sigillo volante munitam Cardinalis impetrantibus Romae tradidit ut legerent et suis votis satisfactum esse non dubitarent, deindeque ipsi sigillum firmarent et epistolam tradendam curarent. Sic enim in more positum est apud omnes fere, praesertim in Italia, qui litteras ad aliorum instantias scribunt. Illi vero sigillum non nisi in Ibernia firmarunt cum jam epistolam suis Ormonistis ibidem communicassent, licet Cardinalis *Roma* nunquam in illius causae notitiam perfecte penetrarit, nec aliud quam quosdam rumores male fundatos significarit ad aliorum postulationes, fide bona et mente optima, sed ab iis deceptus, quos fide dignos censuit. Caeterum haec machina de facto gravissimum causae Catholicae in Ibernia praejudicium intulit, cum profecerit ad efficiendum ut Ormonistae ostentarint, Nuncii causa Romae improbata, suam ibi fuisse approbatam, ridentes quicquid Nuncius | in contrarium 1728 asseruerit. Qui per litteras Cardinali *Roma* 24 Januarii 1649 v Galvia scriptas respondit, gratias agens immortales, et rogans ut dicendis a P. Josepho Arcamonio Romam a se antea misso fidem haberet, subjunxitque se potius parum quam nimis factioni Ormonicae occurrisse, cum suapte sponte Ormonium revocaverint, et se haeretico ejus dominio submiserint. Porro jam dicto P. Josepho, quatenus Cardinali in Urbe ore ad os responderet, transmisit Italice haec monita.

"Informatio ad P. Josephum."

(1414) "D. Cardinalis *Roma* mihi scribit multa cum humanitate et animi studio super nostro censurarum negotio. Sed cum totam machinam ex Patris Fr. Lucae Waddingi, qui ipsi familiarissimus est, farina compactam esse animadverterim, respondendum duxi suaे Eminentiae per litteras tantum *credentialles*, et transmittendam Reverentiae vestrae facti informationem, ne mea responsio in dicti Patris manus inciderit. Itaque rogo ut suam Eminentiam conveniat et primo omnium ob demonstratam mihi benevolentiam humillimas agat gratias, deinde ipsi fuse exponat meum suaē in hac causa approbationis desiderium.

(1415) "D. Cardinalis 1° ostendit, se de mea in fulminandis censuris autoritate non nihil dubitare, et dicit varie de ea re Romae sentiri. Reverentia vestra respondeat excommunicandi in causis spiritualibus juxta ac interdicendi autoritatem clare

1729 (sicut ipse vidisti) | contineri in meis facultatibus. Verum quidem est mihi non fuisse visum debere illam exhibere, nec sententiae inserere tanquam facultatem jam notoriam, quod ab universo Regno fuisse ratihabita inter pacis praeteritae proscriptionem, qua excommunicati et perjuri declarati fuerant ipsissimi Consiliarii. Deinde si Episcopis hic in unum congregatis talis facultas competit, eamque exercent, quo pacto credi potest munitum facultate Legati a latere Nuncium ipsis futurum ea potestate inferiorem. Praeterea cum (sicut Reverentia vestra certo norit) plena Comitia me saepius et rogarint et ad me scripserint ut ob causas mere prophanas exercituum Praefectos Generales, Vicecomitem Dillonum, aliosque excommunicarem, non possunt modo allegare mihi eam facultatem non competere in spiritualibus et rebus ad religionem spectantibus.

(1416) " 2°. D. Cardinalis mihi author est ut omnes absolvam ad cautelam, multisque ostendit rationibus me id agere debere et posse. In responsum Reverentia vestra ipsi ob oculos ponere poterit rerum praeteritarum conditionem, nempe omnes civitates ante receptam hanc ejus epistolam Interdicto fuisse liberatas mediantibus libellis supplicibus per ipsas factis vel directe, si facere potuerunt, vel totius Cleri opera cum a copiis militaribus undique cingerentur. Idque totum cum omni in Sedem Apostolicam obsequio. Quod ad privatos spectat, ipsi dicere poterit omnes pene esse absolutos vel absolvendos, nam nemini denego facultatem.

1729 Supersunt | Concilium, exercituum Imperatores,
v et civitas Kilkenniensis, nec dubium est quin his etiam, si postularent, pari modo annuerem. Verum haud postulatueros esse expecto, tam ob Episcoporum et Religiosorum, qui ipsis assistunt, opiniones, quam ob execrabilis excessus, quos ab eo tempore in immunitatem ecclesiasticam perpetrarunt, qui nisi revocati fuerint, sui authores reddent indignos omni absolutione, et ego potius sum paratus nihil non pati quam committere, ut tantus Sanctae Sedis et religionis contemptus non vindicetur.

(1417) " Declarat postea D. Cardinalis se scripsisse et deditse hoc consilium ob duas causas. 1^a est ut in Comitiis animi reconciliarentur et ad eam rediretur concordiam, ut subito expectari possent nova subsidia a Sua Sanctitate. Verum D. Cardinalem latet longa et subtilissima conjuratio ab his structa ad efficiendum ut Marchio Ormoniae dominaretur; omnes Episcopi opprimerentur; Nuncius exploderetur; Ultonienses trucidarentur; et res ad religionem spectantes solius Marchionis arbitrio relinquerentur. Quare Reverentia vestra eum reddet certiorem haec omnia

fuisse secutura majore cum vehementia et praecipitatione quam nunc post censorum effectum sequentur. Nam etsi modo eorum, quae in votis habuerant, re ipsa forsitan summam concluderint, nihilominus residua est apparentia religionis, salvati Ultonienses, superstites adhuc sunt Episcopi, et ego me spero discessurum ubi voluero. Quod | deinde ad suppeditias Pontificias attinet, superfluum est modo ea de re ulterius cogitare. Cum enim divisi sint Confaederati, utrilibet partium subsidia subministrarentur non nisi ad alendos haereticos conducerent. Concilium enim ea Marchioni Ormoniae daret et haec altera O Nelli pars, quae nihil tentavit atqui receptui cecinit, forsitan Parlamentariis coalesceret, et sic idipsum succederet.

(1418) " 2^a D. Cardinalis ratio est quod me comparata hactenus gloria frustrari nollet. Ad hoc Reverentia vestra respondere poterit, me propter Paradisi gloriam semper desudasse, et omnes molestias apud hoc Regnum toleratas aliquam mihi ejus particulam in terra protulisse. Spero me ea non spoliandum per hanc ultimam actionem. Video equidem me id, quod Sedes Apostolica sibi in metam proposuerat, et ipse desideraveram, haud fuisse assecutum. Sed consolationem mihi affert viros gradu me superiores in Regnis etiam minus longinquis vel nihil ad exitum perduxisse, vel sortitos fuisse effectus diversos ab iis in quos animum intendebant. Quales fuere Cardinales Butenus et Caesarinus, quoad res militares, et Caetanus ac Campeggius quoad ecclesiasticas." Hactenus illa monita.

(1419) Inter totam hanc circa inducias et censuras controversiam Thomas Rochaeus, Duncaniae praefectus, a Nuncio fideliter stabat. Nihil autem ab Ormonistis non tentatum, ut ejus labefactaretur constantia. Non solum ejus frater, sed etiam sororius, Petrus Butlerus, pari in Clerum animi firmitate clarus, in | Castro Kilkennensi ita squalebat, ut nedum ipsi 1730 Rochaeo, sed etiam his in ejus odium ruina atque ultimum suppliū intenderetur. Adhibitae fuere machinae omnes ut prece vel pretio, praemiorum pollicitatione vel paenarum comminatione ad deditioinem, atque ad Nuncii fregatam, quam sub propugnaculi tutela multis mensibus sartam tectamque conservaverat, Concilio permittendam adduceretur, misso etiam D. Didaco de La Torre, Regis Catholici Agente, cum charta et propositionibus hinc timore, illinc spe plenissimis. Ex quo conjecto Didacum forsitan illam etiam fregatam nedum alteram sistere voluisse. Verum Rochaeus nec Nuncio nec toto illo

tempore Duncaniae commorantibus eius sacerdotibus Italis, nec partibus Nuncio militantibus fidem fefellit. Fernensis autem et Plunkettus in Iberniam regressi eum ad pseudo-Comitiorum, Ormonistarum et Ormonii partes allexerunt ea lege ut illa praefectura non abdicaretur.

(1420) Fernensis etiam, mox a suo in Iberniam reditu, operam dedit, ut ipsum Eugenium O Nellum pseudo-Comitiis reficeret. Huc spectant hae ejus litterae ad Episcopum Clogherensem, qui pene in Eugenium dominaretur, quinto post appulsum die exaratae.

" Illustrissime Domine.

(1421) " Invenio hic patriam meam charissimam multis malis pessime afflictam. Ubique homines rapiunt, spargunt, perdunt

1731

omnia. Haec mala nata sunt a pugna | inter ecclesiasticum et civilem magistratum. Tua Dominatio habetur fere causa omnium malorum, quia putaris et Illustrissimi D. Nuncii et D. Eugenii dominus et magister. Sapiens dicit : Si scintillam affles, ardescit. Si conspuis, extinguitur. Vides ignescere scintillam discordiarum. Conspuer ut extinguatur, ausim dicere. Cor tuum converte et componentur Ibernorum discordiae. Quod si in ea re laborare renuas, quanta erit Catholici sanguinis profusio ? Erit (spero) modus reconciliandi per Dei gratiam D. Nuncium cum his. Nosti meum genium candidum et simplicem. Non sum mutatus nec possum a te separari amore et effectu. Lubeat igitur parumper auscultare amico tuo fidelissimo, qui lege amicitiae tibi imperat ut D. Eugenium non deterreas a tanto bono sed invites. Noli dubitare. Bene erit nobis et gaudebunt omnes de faelici animorum unione et concordia. D. Eugenius poterit tibi plura referre. Si non poterit in petitione tam honesta praevalere servus tuus dolebit amare de tanto infortunio. Promitto mihi adhuc te esse meum amore. Per responcionem potero judicare de mea apud te gratia et authoritate, siqua forsan est. Sum

Kilkenniae

26 Nov. 1648.

Dominationis vestrae Illustrissimae
Sincerus amicus et servus,

Nicolaus Fernensis." |

1731

(1422) Hae atque aliae machinae ab Ormonistis adhibitae

v Eugenium jam omni subsidiorum spe destitutum adduxerunt ut Commissarios Kilkenniam destinari ; quam incassum, suo loco non silebimus. Toto autem discordiarum tempore, qua se ratione

cum Parliamentariis gesserit, tradit Nuncius : "Certior (inquit) factus est Nuncius inter Ultonienses et eos qui in urbe Dublinensi dominantur, nullum (sicut dubitabat) intervenisse pactum, ligam, aut confaederationem, sed solum intercessisse tacitam nullius sibi invicem inferendi damni conventionem." Sic Nuncius. Qui etiam 29 Novembris Cardinali Panzirolo notis arcannis scribens : "D. Eugenius (inquit) praeter Marchionem Antrimiae continuo cum Jonio et Scotis tractat et nihilominus ad Comitia Commissarios allegavit, ita ut ex omni parte procedatur cum artificiis absque pactorum conclusione." Sic ibi. Sed addidisset illas omnes partes, cum quibus Eugenius agebat, ejus suorumque ruinam licet inter se discordarent, anhelasse, proindeque Eugenio id non ignorantia maxima opus fuisse prudentia, ut eorum artificiis et viribus obviaret.

(1423) Inter haec Jonius, Dubliniae sub Parlamento Angliae Gubernator, exeunte hoc anno cum mille circiter peditibus et quingentis equitibus suum praesidium egressus, Confaederatos Catholicos in agro Lageniensi vastavit, Prestono incassum urgente Concilium, ut arma atque alia suppeditarent, quo hostem repremeret.

(1424) In memoriam hic revoco quod apud Philippum O Sullevanum in sua Iberniae historia et apud *Pacatae Iberniae* authorem, aliasque modernos historiographos legeris, | nempe O Sullevanum Bearrensem, dynastam in Momonia spectabilem, et domi militiaeque celeberrimum, ultimo Catholicorum Iberniae bello in impiam Elizabetham, Angliae Reginam, fidei et patriae causa gesto praeclarissime se gessisse. Qui Elizabetha recens mortua, in Hispaniam exulavit, a Rege Catholico, Philippo 3°, cuius copiis in Iberniam adversus Elizabetham antea missis sed demum repulsis, constantissime apud patriam Insulam adhaeserat, trecentis nummis aureis menstruis et Cruce Equestris Ordinis S. Jacobi (qua etiam ejus duo filii insigniti fuere), nec non titulo Comitis de Beerhaven seu Dunboyae, quae sui apud Iberniam patrimonii locus principalis est, donatus, cui 16 Julii anno 1618 Madriti ab ingrato Joanne Bathaeo, Anglo-Iberno, perfide occiso successit in eadem dignitate filius, qui praeclarissimi generis splendorem virtutibus et meritis ac praesertim prudentia consilioque nobilitavit, maxima nedum apud aulam Hispanicam, sed etiam apud ipsum Regem Philippum 4m, tertii jam defuncti filium, et successorem, autoritate pollens, ab eoque demum hoc anno 1648 ad Confaederatos Iberniae suae Catholicos in Oratorem allegatus cum subsidiis pecuniariis, quae quanta fuerint, vel

Diarium,
ad 9m
Decemb.
1648.

Reg : p.
704.

1732

quis legationis fuerit scopus, non secus didici, quam per Nuncii Apostolici Hispaniarum, nunc Eminentissimi Cardinalis Ros-pigliosi, ad Iberniae Nuncium litteras Italicas hic in tui gratiam ex autographo Latine redditas. |

- 1732 " Illustrissime et Reverendissime Domine mi observandissime.
v (1425) " Sua Majestas, quo istis Catholicis inter praesentes perturbationes, modo quam potest optimo, opem ferat, D. Comitem *de Beerhaven* legat prudentia singulari et spectatis multum virtutibus dotatum, inter quas agnoscunt omnes incomparabilem obsequii Deo debiti et religionis zelum specialiter relucere. Quamobrem non poterat a sua Majestate eligi in ejusmodi occasione magis idoneus, sicut Illustrissima Dominatio vestra inter agendum cum ipso cognoscet. Ipsi testificabitur suae Majestatis propensionem in suppeditandis omnibus illis subsidiis, quae per praesentis temporis angustias subministrare licebit. Unde caetera huc spectantia ipsius Domini Comitis vivae voci relinquens, in Illustrissimae Dominationis vestrae memoriam revoco continuum meum ipsi obsequendi desiderium, eique supplico ut id suis imperatis exerceat honoretque, quatenus in iis adimplendis satisfaciam obligationibus, quibus ipsi devinctus sum. Illustrissimae Dominationi vestrae manus reverenter deosculor.

Illustrissimae et Reverendissimae Dominationis Vestrae
Devotissimus et devinctissimus servus

Madriti, Julius Archiepiscopus Tarsensis."
3 Octobris 1648.

- (1426) Comes tot annis in aula Hispanica exul lingua et moribus pene in Hispanum se induerat. Uxorem quoque 1733 Hispamicam ibi nobilissimam et opulentam duxerat, quae cum ipso in Iberniam trajecit. Linguam tamen Ibernicam in ipsa Hispania tam diligenter coluit Comes, ut eam non solum bene loqueretur, sed etiam legeret scriberetque. In legatione tamen Ibernica non Iberni sed Hispani ei assistebant et famulabantur, cum quo etiam novus Episcopus Duacensis, Hugo de Burgo, Archiepiscopi Tuamensis frater, nec non D. Dermotius O'Brien, S. Theologiae Doctor, ex Hispania in patriam Insulam remigrarunt.

(1427) Multae in Regis Catholici rem rationes Comitem ad obeundam hanc legationem ante alios reddebant idoneum. Nam cum ex antiquissima splendidissimaque apud Iberniam O'Sullivanorum familia genus paternum maternumque traxerit, praeclarissimos quosque totius Regni, praesertim Momoniae

suae, magnates agnatione, cognatione, vel affinitate proxima vel remota attingebat. Fidemque habet eo etiam illum collineasse, ut avitum in Ibernia patrimonium luculentissimum recuperaret a suo agnato lege Anglicana in O Sullevanum Bearrensem salutato et in patrimonii possessionem misso post patrem, qui Reginae Elizabethae in hujus legati genitorem tametsi ex fratre primo-genito nepotem militaverat. Viam quoque ad hanc recuperationem sternere videbatur ipse agnati zelus quod Nuncio et Cleri partibus semper adhaesisset, Ormonio et Ormonistis ad hujus legati appulsum propterea odiosus. De hoc legato nihil praeterea mihi | dicendum restat quod ad hunc annum pertineat. Nam ¹⁷³³ cum in anni 1648 et anni 1649 colliminio appulerit, caetera ad ^v annum inferiorem spectant.

(1428) Hoc anno quidam Joannes-Franciscus de Lattre, Flander, assumptus est in Abbatem Monasterii nuncupati de *Sruill*, alias *fluminis Dei*, Diaecesis Ardaghadensis in Ibernia. Cum enim sub Henrico 8° et aliis posterioribus Angliae Principibus heterodoxis vastissima Canonicorum Regularium et monachorum, atque aliorum ecclesiasticorum latifundia in Ibernia fisco addicta et in laicos translata essent, factum est ut jamdudum extinctis illis ecclesiasticis, qui possessione excussi fuerant, Cistercienses quidem non nulli exinde in natione Ibernica floruerint, sed nulli vel prope nulli ex eadem natione ad hujus belli initium extiterint Canonici Regulares vel Benedictini. Quidam tamen nostrates postea iisdem institutis nomen dederunt, et alienigenae, earundem Regularum professores, sperantes futurum ut prospero belli Catholici successu latifundia illa sibi suisque Ordinibus obtinerent, Romae titulos procurabant. Porro quomodo Nuncius et Episcopus Ardaghadensis circa hunc novum Abbatem ex Flandria oriundum sententiis disreparant, haud plus mihi liquet quam ex Ardaghadensis responsione ad Nuncium scripta his verbis.

" Illustrissime Reverendissimeque Domine.

(1429) " R. P. Geraldus Ferrall, nostrae diaecesis nativus, a multis | annis in *Commendam* habet Abbatiam de *Sruill*, et an ¹⁷³⁴ eandem resignaverit Patri Francisco per Illustrissimam Dominationem vestram ad hanc recommendato, mihi non constat; et quamvis constaret, tamen leges Catholico tempore servatae non patiuntur externum non *naturalizatum* (ut vocant) promoveri ad ecclesiastica beneficia in Regno. Contra quas leges ire, per difficile mihi esset et forte periculosem in nostra diaecesi, in legum praejudicium, primum admittere exemplum. Si id

directe contra leges non esset, libentissime annuerem. In aliis omnibus inveniet Illustrissima Dominatio vestra me ad omnia paratissimum. Cui sacras manus deosculor.

Kilkenniae

8 Octobris 1648. Illustrissimae Dominationis vestrae servus,
Fr. Patritius Ardaghadensis."

(1430) Nuncius tamen spreta Ardaghadensis renitentia hunc Abbatem (ut video) ratum habuit. Nam juramenti Abbatibus ministrari soliti forma autographa, cui Abbas ille Galviae 15 Novembris 1648 manum sigillumque apposuit, inter ejus tabulas asservatur. Sed secuta deinde persecutio item diremit.

(1431) Finem facio hujus anni 1648 Faederatis Iberniae Catholicis infaustissimi, quo si unanimes, ad Nuncii Clerique Ibernici votum, religionis orthodoxae causam promovissent, 1734 triumphum (ut credere par est) | confecissent, Anglia et Scotia v adeo intra et inter se commissis, ut suis haereticis in Ibernia bellantibus suppetias venire non valuerint, quinimo revocandarum ex Ibernia copiarum indiguerint, et ipsi haeretici in Ibernia bellantes pro partium in Anglia Scotiaque studiis se mutuo atque immortali odio prosecuti sint, usqueadeo ut non obstantibus Catholicorum discordiis ipsi in nostrates pene nullum progressum ficerint. Haec hostium dissidia et debilitas opportunissimam fidei patriaeque ab immani haereticorum jugo asserenda occasionem, Deo specialiter providente, porrexerunt perutiliter arripiendam, nisi pseudo-Concilium et Ormonistae a faedere Catholico ad haereticos descivissent, et victoriarum cursum per necessariam conjurationem stitissent.

FINIS VOLUMINIS TERTII.



